Opera universa medica / Editionem reliquis omnibus emendatiorem et vita auctoris auctam curavit C. Gottl. Kühn.

Contributors

Sydenham, Thomas, 1624-1689.
Kühn, Karl Gottlob, 1754-1840.

Publication/Creation

Lipsiae : Sumptibus Leopoldi Vossii, 1827.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/y339y2df

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

3 — 50462/B
A. XXX. Syd

63-B-39 29540

SCRIPTORUM CLASSICORUM

DE

PRAXI MEDICA

NONNULLORUM

OPERA COLLECTA.

VOLUMEN PRIMUM.

Parisiis, rue de l'école de médecine, No. 4., apud J. B. Baillière.

Londini, 3 Bedford Street, Bedford Square, apud J. B. Baillière.

Amstelodami, apud Müller et Soc.

LIPSIAE,

EX OFFICINA HIRSCHFELDII.

29540

TH. SYDENHAMI

OPERA

UNIVERSA MEDICA.

EDITIONEM RELIQUIS OMNIBUS
EMENDATIOREM ET VITA AUCTORIS AUCTAM

CURAVIT

C. GOTTL. KÜHN

PROFESS. PHYSIOL. ET PATHOL. PUBL. ORD. ET PLUR.
SOCIET. ERUD. MEMBR.

LIPSIAE, SUMPTIBUS LEOPOLDI VOSSII.
MDCCCXXVII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRAEFATIO

EDITORIS LIPSIENSIS.

Quod olim ceperat consilium Vir Illustris, Jo. Fr. Pierer, *collectionem operum aut omnium, aut selectiorum scriptorum medicorum, a medicinae exordio ad recentissima usque tempora usui manuali medicorum accommodatam instituendi*, quod ob ingentem ambitum nullatenus perfici poterat, illud Leopold. Vossius, celeberrimus apud nos bibliopola, utilitatem bibliothecae selectioris, in quam scriptores de medicina practica probatissimi inde a seculo decimo septimo recipiantur, optime perspiciens, exsequi apud animum constituit. Per literas enim, ad mercaturae librorum socios d. XXII. mensis Augusti anni superioris datas, hos de nonnullis scriptoribus medicis, quorum et nunc adhuc magna auctoritas est, denuo edendis certiores reddidit. Ad hos scriptores Sydenhamum, Baglivium, Huxhamum, Morgagnium, Burserium referebat, ut de reliquis taceam. Facile est ad perspiciendum, Vossium bibliothecae, quam meditabatur, medico-practicae non tam late patentes limites adsignasse, quam Pierերus, qui tot libris eam ditare voluit, quibus apte disponendis admodum pauci medicorum sufficiens spatium, legendis autem nulli tempus necessarium dicare potuerint.

Equidem cum serius rogatus essem, ut edendi saltem Sydenhami et fortasse Baglivii quoque curam in me susciperem, hisce precibus deesse nolui. In utriusque enim magni medici scriptis tam amplum et pretiosum thesaurum experientiae medicae et saluberrimorum artem felicissime faciendi prae-

ceptorum reconditum esse, qui ingeniosissime excogitatis hypothesium, quibus nostrates avidissime inhiare solent, somniis plurimum praestet, certissime mihi est persuasum. Id autem mei officii in hoc negotio esse putavi, ut quam accuratissime SYDENHAMI scripta typis exscriberentur. Quam ob rem editionem Lugduno-Batavam, quae CIↃIↃCCXLI. octonis prodiit, ad cujus exemplum mea editio facta est, cum Genevensi CIↃIↃCCXVI. 4. diligenter contuli, id quod eo magis necessarium erat, quo pluribus et gravioribus vitiis typographicis illa scatebat. In quo quidem negotio, quod amoenitatis jucunditatisque nihil offert, socium adjutoremque habui Virum Ornatissimum, CAR. AUG. NEUBERTUM, medicinae studiosum, cujus in detegendis typothetarum erroribus acuties, in emendandis accuratio mihi laboris molestiam reddidit leviorem. Orationem SYDENHAMI, quamvis multa contineat, quae si latini sermonis puritatem spectemus, nullatenus ferenda sunt, tamen intactam servavi, uni tantummodo voci emendatrice manu admota. Per totum scilicet librum delevi incongrue formatum adjectivum *epidemicus*, meliore forma in ejus locum suffecta.

Ut autem hanc SYDENHAMI editionem prioribus non emendatiorem solum, sed et auctiorem efficerem, vitam magni illius viri operibus ipsius praemittere apud me constitui. Cum igitur de praecipuis vitae ipsius momentis certior fieri cuperem, magnopere miratus sum, inter tanti viri coaevos neminem exstitisse, qui de vita illius aliquid memoriae mandasset: nec inter viros eruditos, qui serioribus temporibus de vitis virorum, de humano genere optime meritorum, curatius exposuerunt, inventum esse ullum, qui THOMAM SYDENHAMUM dignum censuerit, cujus vitam meritaque summa de arte salutari, a gravissimis erroribus liberanda, ab oblivione vindicaret. Una tantum vitae SYDENHAMI descriptio, eaque paullo plenior, mihi innotuit, quam versioni anglicae operum illius, hoc indice evulgatae, additam inveni: *The works of* TH. SYDENHAM *on acute and chronic diseases etc. With a variety of observations by* GEO. WALLIS, M. D. *In two volumes. Lond.* 1788. 8. p. XIII. — XX. Etsi vero haec ipsa vita praeter ea, quae SYDENHAMUS passim in suis scriptis de se ipse

narravit, nihil continet, antea nondum cognitum, tamen cum meliore duce potiri non possem, hoc contentus esse debui.

Indicem rerum, copiosissimum illum, ex editione Lugduno-Batava retinui, hoc tantum curans, ut paginae illius editionis ad meam accommodarentur. Id quoque NEUBERTUS effecit, qui hanc ob caussam omnes, qui Lipsiensi SYDENHAMI editione usuri sunt, haud leviter sibi devinxit.

Quod reliquum est, nihil magis in votis habeo, quam ut hac collectione optimorum nonnullorum de practica medicina scriptorum efficiatur, quod, qui VOSSIO de bibliotheca ejusmodi adornanda auctor suasorque exstitit, spectasse videtur, ut scilicet nostrae aetatis medici a vanarum de morborum natura eorumque curandorum ratione hypothesium steriliumque disquisitionum, quae eximia verborum sesquipedalium magnaque sonantium pompa divulgari solent, amore ad sobrium naturae studium, quo ars salutaris unice crescere potest, et quo Hippocrates immortalitatem meruit, revertantur. Scribebam Lipsiae nundinis auctumnalibus A. R. S. CIↃIↃCCCXXVI.

MEDICINAE FAUTORIBUS

S.

Vitae jucunditati, *Sanitati,* quae invigilat ex omni parte sacrata scientia, per omnia, haud secus ac nostra aetate, fuit culta, tempora. Nec mirum. Commendavit se adsiduo per salutares suos effectus hominibus adeo, ut huic amplificandae et ad summum fastigium evehendae, ante omnia, sapientes quicumque intensis viribus incumbere adprime necessarium censuerint. Quot non in hoc opus ab omni aevo summorum virorum conatus? Quanti eumdem in finem praestantissimorum ingeniorum patrati labores? At quam infausto saepe successu, norunt certe vel illi, quibus rei medicae fata, leviter quamvis, inspecta sunt. Quoties enim medicam artem, pro variis philosophorum argumentandi facultatibus, pro diversa ipsorum ad fingendum cerebri fertilitate, aliis temporibus, locis, diversam non modo, sed et minus aequam aliquando vidimus? Atque adeo saepius, ut non solum adsentientibus rerum peritis, levibus innixa fulcris illa, ejusdemque ministri, nasutioribus alias artes profitentibus, quin et ipsi plebeculae futiles plane risum moverint; sed quod pejus, perversis et ipsi naturae plane adversantibus dogmatibus funesta adeo reddita, venenandi aliquando potius, quam medendi ars fuerit habita.

Fuere tamen, in tot ac tantis rerum vicibus, cordatiores ac candidioris ingenii viri, qui veritati unice litantes, ipsam summa cum industria inquirere studuerunt, huic soli se dedere, nec ullis intellectus sui vanis figmentis fucum sibi aliisque fecere. Hi nihil addendo, quod observando non certo constaret, nec aliorum placita curantes, quidquid de salutifera

arte a natura fuerant edocti, omnium oculis exhibuerunt, eaque candide exposita posterorum memoriae mandarunt.

Ex veteribus, qui tam praeclaro miseram mortalium gentem thesauro beaverint, unus tantum nobis cognitus magnus HIPPOCRATES; ex recentioribus, illi non inferior, noster SYDENHAMUS, insigniores viri, eisdem praeconiis celebrandi! Illique bini, eorum qui fuerunt, si medicinae partem illam, quae ipsos morbos cognoscendi, discernendi, ac feliciter curandi rationem docet, quis respiciat, primi, soli, optimi, ac veri amantes censendi erunt; et nobilis scientiae ratem longis erroribus, undis procellisque jactatam, sacrae ad instar anchorae, firmis retinaculis, letales jam trahentem aquas, soli, qui sistere potuerunt, existimandi.

Hujusce jam, en! quaecumque exstant, ab integro in usus publicos excusa opera. Hortabantur quam plurimorum querelae, copiam illorum consequendi pene defecisse. Londinensis enim editio magno satis his in terris constat pretio, et brevi rarissima fiet. Lipsiensis comparari amplius non potest. Genevensis restat, sed quae perpaucis placet, cum mixtum, ac aliorum auctorum, quorum singuli aptiori ad usum forma ederentur, in unum congestorum acervum, mole tumens sit opus.

Tantis tamen indigere medicos non oportebat, iniquum foret illos re utilissima, quaeque adeo hominum commodo ac bono inserviat, fraudare: religio esset non orbem terrarum vigilatis illius viri laboribus ditare, qui medendi methodum, chemicis aliisque inversam, ac perversa ratione institutam, adeoque maxime aberrantem, naturae legibus denuo adstrinxit. Quae vero voluptas! divinas hasce pagellas sollicite evolventi cernere candidum ubique virum; acriori ingenio donatum; ad naturae opera semper *) attentum, et subtilitatis ejus perscrutatorem indefessum; in distinguendis morbis acutissimum; horum phaenomenωn non tumultuario, sed juxta veros et notabiles eventus enarratorem non facile imitandum; morborum, quos alii praetermiserant, vel si

*) Pag. 197.

noti forent, nusquam tamen vere descriptorum, enucleatorem incomparabilem, eorumque historiarum scriptorem, cui nulli pares putentur; suis inventis neutiquam, nimia fiducia sui, vel adhaerentem, vel faventem, at contra flagrantem studio vel ex ipsa natura, sive ex aliis ab illa eruditis discendi; ideo nec ipsum palinodiam aliquando cantare puduit: verbo dicamus, omnibus numeris absolutissimum in arte medendi auctorem, ejusdemque instauratorem egregium. Quod acriter adeo interim in theoretica principia, ac philosophantium argumenta insurgat, facile tanto viro, in caeteris summas laudes merenti, quisquam condonabit, inprimis si ad philosophandi, quae illis temporibus erat, methodum, tum et anatomiam, quibus tamen theoria medica innititur, animum advertere non dedignetur.

Ad calcem libri adjectus fuit index locupletissimus, in usum eorum, quibus viri scripta nondum trita satis; ut uno quasi intuitu supra quaslibet res auctoris sensus, una cum locis, quibus illa reperiri queant, intueri possint. Exhibebant ultimae editiones *elenchum* rerum, in ipso voluminis initio: verum hicce juxta ordinem rerum ipso opere contentarum conflatus, parum utilitatis adferre videbatur, cum hoc modo ejusdem generis res hinc inde sparsim continerentur; et insuper, quam plura notatu dignissima videbantur omissa. Illum itaque adauctum rebus memorabilibus, indicibus prioribus intermistis, omnibusque simul ad ordinem alphabeticum coactis, habeatis. Valete!

VITA

THOMAE SYDENHAMI.

THOMAS SYDENHAMUS anno CIↃIↃCXXXV. natus fuit Windfordi Eagle in provincia Dorsetensi, ubi ejus pater, GUILIELMUS, vir nobilis, plures eosque amplos fundos possidebat. Qui filii educationem rexerit, aut qua ratione ejus infantia transacta fuerit, compertum non habemus. Neque vero minus incerti haeremus, utrum THOMAS documenta ingenii, ad naturae studium promovendum inprimis apti, mature exhibuerit, an aliquid fecerit, unde praesagium magnae nominis celebritatis peti poterat, quam quondam felicissimo medicae artis studio esset consecuturus. Quam ob rem curiositati nostrae, qua naturali modo ad primas tam praeclari ingenii significationes observandas, nec non ad ejus infantiles quasi disquisitiones attento animo persequendas ducimur, modum statuere debemus.

In SYDENHAMO nostro jam a primis pueritiae annis mentis aciem, judicii subtilitatem discendique ardorem viguisse vix in dubium vocari potest, etiamsi inter coaevos nulli sint, qui id disertis verbis testentur. Etenim hoc THOMAS SYDENHAMUS cum permultis aliis, iisque celebratissimis viris commune habet, quod ingenii excellentia et eruditionis ubertas non nisi ex eorum scriptis rebusque gestis constet; quibus autem magistris illud excitatum excultumque, quave via haec collecta et aucta fuerit, nos penitus lateat.

Quae cum ita sint, paucis illis, quae aut ipse SYDENHAMUS, aut alii in scriptis suis obiter de juvenili ejus aetate nobis reliquerunt, contenti esse debemus. His v. c. constat, ipsum anno aetatis decimo octavo, qui erat seculi decimi septimi quadragesimus

secundus, Oxonii in collegium Magdalenae (*Magdalen Hall*) receptum quidem, sed parum ibi temporis commoratum fuisse. Nam in epistola, qua *Observationes medicas circa morborum acutorum historiam et curationem,* quae anno CIↃIↃCLXXVI. Londini prodierant, JOANNI MAPLETOFTO dedicavit, tricesimum jam agi annum refert, quo Londinum petens, ut inde Oxonium, unde belli calamitate ad annos aliquot avocatus fuerit, denuo proficisceretur, in THOMAM COXEUM inciderit, fratri tunc aegrotanti consulentem. Jam si triginta anni tum, cum *observationes* typis primum exscriberentur, inter illud cum COXEO habitum colloquium et *observationum* editionem praeterlapsi erant, SYDENHAMUS autem anno CIↃIↃCXLII. Oxonium venerat, ultra annum, ad summum duos annos SYDENHAMUM Oxonii commorari haud potuisse, liquet. Jd ipse confirmat, dum, se post aliquot annos in palaestra academica consumtos Londinum reversum ad artem faciendam accinxisse, in eadem epistola profitetur.

Quid autem SYDENHAMUS durante bello civili sat longo egerit, certo definire non possumus. Relatum quidem legimus, locum aliquem ipsi in exercitu regio datum fuisse, sed neque qualis ille fuerit, neque quamdiu illum tuitus sit, in ista narratione additum est. Hoc tantum certo constat, SYDENHAMUM, si unquam militaverit, per breve modo tempus castra secutum esse. Nam cum anno CIↃIↃCXLVIII. Oxonii baccalaurei medicinae dignitate ornaretur, quae sine idonea medicae artis cognitione obtineri nequit, ipsum ad hanc doctrinam sibi comparandam privato studio usum fuisse, necessario efficitur.

Ut sese artis salutaris cognitioni et exercitio devoveret, colloquium effecit, quod cum COXEO, celebri tunc temporis medico, habuerat, qui, ut monitum paullo ante est, fratrem ejus, morbo adfectum curabat. Is enim dum juvenem praeclarae indolis, quocum saepius ad aegroti fratris lectum convenerat, de vitae, quod eligendum esset, genere adhuc dubium invenisset, eum, ut medicae artis studium amplecteretur, hortatus est. Quod quidem consilium cum SYDENHAMO placeret, Oxonium studiorum, quae ob belli turbas interrupta erant, continuandorum absolvendorumque caussa reversus est.

Hic ipse SYDENHAMI in literarum universitatem Oxoniensem reditus necessario ponendus est antea, quam medicinae baccalaureus creatus est, et criminationem falsam optime diluit, qua fuerunt, qui SYDENHAMUM proscindere studerent. Nam nonnulli contendere ausi sunt, summum illum virum, qui artis salutaris formam, qualis tunc temporis erat, penitus immutavit et meliorem reddidit, casu quodam et necessitate urgente medicum factum esse, et sine ullo praeparante studio praeviaque artis medicae cognitione ad eam exercendam accessisse. Et RICH. BLACKMOREUS, qui prae ceteris hujus potissimum criminationis auctor est, haud erubuit adeo in praefatione sui de variolis libri (*Treatise on the Small Pox*) narrare, se ipsum, cum SYDENHAMUM de libris consuleret, quorum lectione sese optime ad artem feliciter faciendam formare posset, responsionem tulisse: *Lege Don Quixotum*. Cujus quidem responsionis verum sensum BLACKMOREUS aut non perspexit, aut perspicere noluit. Etenim SYDENHAMUS, qui viri hujus ingenium cogitandique rationem haud dubie optime norat, illa responsione nihil aliud indicare volebat, quam hoc: eum, qui artis salutaris praecepta usumque tantummodo e librorum medicorum lectione addiscere velit, nec naturam morborum aptamque eorum curandorum rationem accurata et diu continuata observatione cognoscere studeat, aeque absurdum esse, ac eum, qui ex assidua lectione celeberrimae illius fabulae Cervantis idoneus evadere medicus cupiat. Hunc illius responsi verum sensum esse, mihi ipse SYDENHAMUS confirmare videtur, cum se ita a natura factum esse profiteatur, ut, quod temporis alii libris legendis consumant, id ipse omne meditationi impendere soleat *).

SYDENHAMUM ad artis exercitium sine praevia cognitione cum theoriae medicae, tum opinionum atque praeceptorum, quae ante sua tempora in medicorum scholis de morborum natura, curandorumque ratione viguerunt, accessisse, non minus omni verosimilitudini, quam testimonio ipsius SYDENHAMI repugnat, cui, cum vir probus veritatisque amantissi-

*) Pag. 433. ed. L. B. 1741. 8. et p. 382. nostrae.

mus fuerit, maximam fidem habere debemus. Is enim in saepius laudata epistola ad D. MAPLETOFTUM, e qua omnia fere ea, quae de tanti viri vita ad nostram notitiam venerunt, haurienda sunt, verbis paullo ante adductis perspicue narrat, se post aliquot in Oxoniensi literarum universitate transactos annos demum Londinum reversum in artis exercitium serio incubuisse, quod cum intento admodum oculo omnique adhibita diligentia aliquamdiu observaverit, in eam tandem ipsum deduxerit sententiam, quam et aetate provectior inconcussam retinuerit, hanc artem haud rectius perdiscendam esse, quam ipsius artis exercitio et usu. Quae quidem verba luculentissime probant, me sensum responsionis, BLACKMOREO datae, recte percepisse.

Poterat quoque istius criminationis falsitas inde probari, quod SYDENHAMUS in suis scriptis multorum et sui temporis, et prioris aetatis medicorum libros adduxerit, eorumque placita sua ipsius experientia aut refutaverit, aut confirmaverit. Sed falsa illa opinio ab iis potissimum excogitata atque propagata esse, et adhuc acriter defendi videtur, qui suae ignaviae probabilem aliquam quaerunt excusationem. Si enim, ajunt, SYDENHAMUS artis usu et scriptorum editorum praestantia sine praevio medicinae studio accurato nominis immortalitatem meruit, alii quoque eandem viam eodem cum successu ingredi poterunt.

Neque discendae artis medicae opportunitate, quam Oxonium suppeditabat, contentus fuit, sed DESAULTO teste Montem Pessulanum, ubi tunc temporis celeberrima et maxime frequentata schola medica florebat, petiit, ut Oxonii collectum scientiae medicae thesaurum magis adhuc locupletaret. Adeo longe aberat SYDENHAMUS ab omni academicae institutionis contemptu, atque a vana persuasione, medicam artem non nisi per experimenta, quae magnam partem cum sanitatis, quin vitae adeo plurimorum hominum damno instituuntur, disci posse!

Praeter haec, quae falso de SYDENHAMO a coaevis narrata sunt, illud quoque, SYDENHAMUM tricesimo demum aetatis anno artis exercitium tractare coepisse, quamvis leve, tamen cum veritati contrarium sit, silentio praetermitti nequit. Haec autem opinio suam originem male intellecto loco debet, qui

in epistola, saepius jam citata, haud longe ab ejus initio, legitur. Ibi enim SYDENHAMUS hoc tantum fatetur, triginta annos ex illo tempore, quo a COXEO ad medicinae studium amplectendum instigatus fuerit, praeterlapsos esse; nequaquam autem ex hisce verbis effici poterit, SYDENHAMUM anno aetatis tricesimo aegrotos curare coepisse. Neque haec res digna esse videtur, quam diligentiore examine inquiramus. Parum enim vel nihil interest scire, quo aetatis anno SYDENHAMUS artem salutarem primum sit professus, sed id potius respiciendum et gratissima memoria custodiendum est, quae quantaque in medicinam merita SYDENHAMUS sibi comparaverit.

Eodem tempore, quo medicinae baccalaurei honorem Oxonii acquisiverat, consanguinei cujusdam commendatione locum in collegio, quod omnium animarum nomine insignitum est (*All souls college*), obtinuit.

Londinum fortunarum suarum sedem elegerat, inque ea immensae hujus urbis parte, quae Westminster vocatur, artem facere apud animum constituerat. Sed antequam consilium illud exsequi poterat, partim Doctoris medicinae dignitatem consequi, partim a collegio medicorum Londinensium veniam artis Londini exercendae impetrare debebat. Illam in Cantabrigiensi literarum universitate noster acquisivit, hanc eidem non denegavit collegium, cui rei medicae in illa urbe regundae cura concredita est. Brevi autem felicissimis morborum curationibus tantam nominis celebritatem famamque nactus est, ut hac exercendae medicinae venia maxime dignus censeretur. Cum enim tempore, quo SYDENHAMUS medicinam colendi consilium ceperat, vana in scholis medicis hypotheses magis, quam sobrium naturae studium regnaret, et magni alicujus viri auctoritati plus ponderis tribueretur, quam maxime perspicuo naturae jussui, prorsus alia in morbis imperanti, quam quae scholarum praecepta a medico morbos feliciter curaturo peragi jubebant, acutum SYDENHAMI ingenium recte perspexit, hac via parum vel nihil adeo ad aegrotorum salutem contribui, longeque aliam, si morborum, qui hactenus omne artis auxilium superare credebantur, vis frangi, hominumque ab illis correptorum sanitas sarta tectaque reddi deberet, sequendam esse. Quam

ob rem spretis omnibus, quae tunc temporis vigebant, speculationibus theoreticis hoc unum curabat, ut sine praeconceptis opinionibus naturam attento animo observaret, et quid ea tum de morborum natura, tum de illorum curandorum ratione doceret, diligenter notaret, suamque agendi methodum ad ea, quae constanter observaverat, componeret. Variolas v. c., quae ante SYDENHAMI tempora maximam infantum adultorumque hominum stragem edere solebant, cum medici ex erronea opinione sibi haberent persuasum, hunc morbum ex fermento quodam, sanguini omnium omnino hominum inhaerenti, originem sumere, quod nisi calefacientibus, sic dictis alexipharmacis remediis caloreque externo aucto ad corporis superficiem protrudatur, atque hoc modo exterminetur, aut praesentissimum vitae periculum inferre, aut alios eosque gravissimos morbos excitare debeat, SYDENHAMUS, naturam ducem sequens, contrario modo felicissime tractavit. Cum enim saepissime observaret, infantes illos, qui omni auxilio medico destituti illo morbo correpti erant, quorumque parentes ob paupertatem hyemis tempore cubiculum, quo infantes decumbebant, calefacere haud poterant, non solum variolas feliciter superasse, sed et postea valetudine maxime firma usos fuisse, recte judicabat, hac via, quam natura ipsa perspicue indicasset, medico consistendum esse, qui variolis optimo cum successu mederi, pluresque aegrotos, quam ab aliis medicis, contrariam curandi rationem sequentibus, sanitati restituebantur, morti certissimae eripi posse. Quam ob rem ab omnibus calefacientibus in hujusmodi morbi curatione prorsus abstinuit, nimios potius sanguinis motus temperantibus coërcere studuit, aegrotos a stragulorum pondere, quo antea ad suffocationem usque obruebantur, liberavit, iisque liberiorem aëris puri usum, quo ab aliis medicis severissime interdicebantur, permisit. Jure igitur meritoque majore *Servatoris hominum* nomen merebatur, quam coquus ille apud PLAUTUM, qui quaerenti: *an tu etiam venefícus?* gloriabundus respondebat: *imo edepol vero hominum servator magis.* Neque vero minus longe a medicis sui aevi in pestis curatione, quae Londini annoci ɔɪɔlxv. sequ. plurimorum hominum morte infamis erat, recessit. Cum enim illi unam aegrorum

salutem in sudoribus profusis evocandis repositam esse opinarentur, adeoque nihil magis curae cordique haberent, quam ut hac medendi ratione fermentum morbi e corpore eliminarent, febris, quae morbum comitari solebat, vehementia adeo aucta est, ut aegrotorum vires eidem perferendae haud pares essent. SYDENHAMUS vero qui cognoverat, illius febris genium esse inflammatorium, recte perspiciebat, ejusmodi morbo remedia maxime calefacientia opponere idem esse, ac si quis flammam oleo extinguere velit. Quam ob rem, nisi jam parotides, bubones, anthraces et carbunculi comparere coeperint, larga eaque, si necessitas urgeret, aliquoties repetita venaesectione nimium sanguinis impetum ante omnia compescere, dein et lecti calore et remediis sudoriferis sudorem provocare, sequenti autem die alvum movere studuit. Quae quidem medendi methodus, ex accurata febris, quae cum hac pestis epidemia conjuncta erat, consideratione deducta, omnes, in quibus ea mature et intrepide (nam a repetita venaesectione multi, praejudicatarum opinionum vinculis irretiti, abhorrebant) adhibebatur, mortis faucibus felicissime eripuit. Neque infelicior in hoc morbo curando ante SYDENHAMUM vulgaris quidam chirurgus fuit, qui ex dissitis regionibus in Britanniam redux cum aliis in praesidio castelli Dunstar collocatus erat. Pestis, quae tum in vicinia grassabatur, in hoc quoque castrum invecta nonnullos milites praesidiarios trucidaverat, et haud leve periculum imminebat, ne totum praesidium morbo succumberet. Chirurgus autem ille castri praefectum rogavit, ut ipsi liceret, suorum commilitonum sanitati et vitae adeo suo modo prospicere. Quod cum ipsi permissum esset, omnibus stantibus, donec pedibus deficere inciperent, sanguinem detraxit. Quo facto in tuguriola ad decumbendum dimisit. Quamquam autem praeter venaesectionem nullo alio remedio utebatur, tamen omnes, hoc modo tractati, servabantur. Idem recentissimis temporibus expertus est D. SALINA, qui Aleppone medicinam adhucdum facit: omnes enim, qui in Syria peste, quae saepe maxime inflammatoriae indolis esse soleat, corripiantur, mori testatur, nisi largae venaesectiones instituantur.

Non solum autem feliciore horum morborum cura-

tione, quam ante ipsum habuerat locum, sed etiam accurata constitutionum epidemiarum observatione SYDENHAMUS optime de medicina meruit. Assidua enim earum consideratione invenisse sibi videbatur, aërem atmosphaericum intra certum annorum spatium ita immutari, ut peculiares inde morbi epidemii generentur; has autem mutationes aëreas sensus nostros non ferire contendebat, quippe cum manifestae hujus fluidi conditiones, quae diversis anni temporibus obviae morbos producant, iisdem temporibus semper recurrentes, nullam in morbos epidemios exserant vim, dum versa vice anni tempestatum morbi a genio epidemiae constitutionis omnino aliquid adsumant, adeoque aliam medendi rationem requirant, quam cui tunc cedere soleant, cum iste morbus epidemius non adsit. Medici igitur circumspecti ac prudentis esse, recte statuit SYDENHAMUS, si quis morbus epidemius grassari coeperit, non statim ad eam medendi methodum confugere, quae cum idem morbus alio tempore epidemie regnaret, optimo cum fructu adhibita fuerit, sed ad naturae medicatricis monita animum advertere, et quae noceant, quaeve prosint, diligenter notare: his enim recte observatis aptam demum morbi epidemii curationem institui posse.

Haud poterat non evenire, quin methodus morbis tam gravibus medendi, ab ea, quae longo seculorum usu legis in modum sancita erat, toto coelo diversa, ejus auctori multos adversarios conciliaret, de quorum injustis criminationibus SYDENHAMUS saepius acerbe conqueritur. Etenim isti homines tolerare non poterant, juvenem medicum usque eo arrogantiae ac audaciae procedere, ut aliam curandorum morborum viam ac rationem meliori cum successu, quam quo ipsi, qui in arte facienda consenuerant, uti solebant, et ipse adhiberet, et aliis sequendam commendaret.

Cum pestis annis CIↃIↃCLXV et sequenti, mensibus Majo et Junio eam attingeret saevitiam, ut septem dierum spatio totidem millia hominum morbo succumberent, SYDENHAMUS amicorum suorum hortatu, aliorumque exemplo permotus se cum tota familia fugientium multitudini adjunxit, atque ad aliquot lapides ab urbe secessit. Sed tanta ipsius animo officii religio infixa erat, ut maturius aliis in urbem redi-

ret, aegrotorumque curam in se susciperet. Qua quidem fuga cum morbi pestiferi observandi atque curandi opportunitas multum imminuta esset, e percontationibus medicorum, quibus per totum illius decursum inter media pericula et mille mortis imagines commorandi animus et fiducia haud defuerat, suam experientiam augere studuit.

Plurium liberorum patrem se ipsum adpellat SYDENHAMUS, inter quos filius Guilielmus, (p. 177.) haud dubie natu maximus, ejusdem cum patre artis studium amplexus erat. Hujus in usum *Processus integros in morbis fere omnibus curandis* conscripsisse patrem, refert libelli hujus editor, qui nomen suum sigla S. M. abscondere voluit. Is quoque processus istos, a THOMA SYDENHAMO, sua ipsius manu exaratos accepisse, et ne fortasse illis contenta praecepta saluberrima memoriae parum fidae exciderent, typis mandasse, exemplis viginti circiter impressis (Londini 1693. 12. ?) testatus est.

Podagra inde a triginta annis laborabat SYDENHAMUS, cujus atrociorem insultum expertus est, cum maxima cum animi intentione historiam morborum chronicorum, eorum praecipue, qui ipsi curandi obvenerant, elaboraret. Cujus quidem morbi reditum toties efficere poterat, quoties diu sepositum hunc laborem denuo adgrediebatur. Praeter dirissimum hunc morbum alius, priori cognatus, SYDENHAMUM excruciabat. Calcarea enim materies, quam podagricus morbus saepe magna in copia generatam ad ossa, arterias aliasque partes deponere solet, in renibus in calculum coiverat, qui senem pessime habebat. Stimulo continuo renes inflammati tandem ulceri formando occasionem praebebant, quod sensim sensimque profundius in vasculosam renum substantiam penetrans, exesis vasis, sanguinis stillicidium produxit, quod vires, per aetatis rationem jam graviter adflictas, magis magisque debilitabat consumebatque. Quo accedebat vehemens podagrae insultus. Qui morbus cum ob vires multum labefactatas in externas partes, solito more, desaevire non posset, interiores petiit, et enormi vomitu creberrimisque alvi dejectionibus productis summum medicum die XXIX. mensis Decembris anni CIↃIↃCLXXXIX rebus eripuit humanis.

Paullo ante mortem tabidis quoque prospicere ad-

huc cupiebat. Etenim apud animum constituerat, ea, quae ipsum ampla experientia de praecavendo, leniendo et curando hocce morbo, in Anglia admodum frequenti, docuerat, in libello de phthisi publici juris facere. Sed non nisi fragmenta quaedam, ad eas res pertinentia, quas in primo morbi stadio aegrotis proficuas repererat, ab eodem viro erudito, qui *Processus* edidit, evulgata sunt.

Qualis Sydenhamo, medico, fuerit indoles, ex ejus scriptis patet. Ea enim luculentissime probant, illius experientiam medicam non solam et unicam fuisse virtutem, qua reliquos suae aetatis medicos multum superabat. Benevolo candidoque animo erat; quae aliis profutura esse norat, ea non invidorum more sibi tantum servabat, sed liberali modo cum aliis communicabat. Religiose Deum colebat, quotiesque ejus mentionem injicit, summa cum reverentia illius praedicat nomen; ab eo derivat, quicquid boni e sua experientia medica in aliorum sanitatem redundaverit. Nihil praeclarius antiquiusque habebat, quam humano generi sua eruditione suoque artis salutaris usu utilitatem adferre. Tunc se maxime felicem praedicabat, cum viam ac rationem invenisse sibi videretur, qua morborum, qui maximam hominum stragem edere solebant, saevitiam coërcere, plurimorumque hominum vitam sanitatemque poterat conservare.

SERIES
OPUSCULORUM
hoc libro comprehensorum.

Observationes medicae circa morborum acutorum historiam et curationem.

Epistola dedicatoria. Pag. 1.
Praefatio auctoris. 5.

Sectio prima.

Caput I.

De morbis acutis in genere. 21.

Cap. II.

De morbis epidemiis. 23.

Cap. III.

Constitutio epidemia annorum 1661, 62, 63, 64. Londini. 32.

Cap. IV.

Febris continua annorum 1661, 62, 63, 64. 34.

Cap. V.

Febres intermittentes annorum 1661, 62, 63, 64. 59.

Sectio secunda.

Cap. I.

Constitutio epidemia annorum 1665 et 1666, Londini. 83.

Cap. II.

Febris pestilentialis et pestis annorum 1665 et 1666. 84.

Sectio tertia.

Cap. I.

Constitutio epidemia annorum 1667, 1668, partim etiam anni 1669, Loudini. 106.

Cap. II.

Variolae regulares annorum 1667, 1668, et partim 1669. 108.

Cap. III.

Febris continua variolosa annorum 1667, 68, et partis 1669. 135.

Sectio quarta.

Cap. I.

Constitutio epidemia partis anni 1669, atque integrorum 1670, 1671, 1672, Londini. 143.

Cap. II.

Cholera morbus anni 1669. 147.

Cap. III.

Dysenteria partis anni 1669, atque integrorum 1670, 71, 72. 150.

Cap. IV.

Febris continua partis anni 1669, atque integrorum 1670, 71, 72. 161.

Cap. V.

Morbilli anni 1670. 166.

Cap. VI.

Variolae anomalae annor. 1671, 72. 171.

Cap. VII.

Colica biliosa annor. 1670, 1671, 1672. 177.

Sectio quinta.

Cap. I.

Constitutio epidemia partis anni 1673, atque integrorum 1674, 1675. 187.

Cap. II.

Febris continua annorum 1673, 1674, 1675. 190.

Cap. III.

Morbilli anni 1674. 200.

Cap. IV.

Variolae anomalae an. 1674, 1675. 202.

Cap. V.

Tusses epidemiae anni 1675, cum pleuritide et peripneumonia supervenientibus. 210.

Cap. VI.

Anacephalaeosis. 218.

Sectio sexta.

Cap. I.

Febres intercurrentes. 223.

Cap. II.

Febris scarlatina. 227.

Cap. III.

Pleuritis. 228.

Cap. IV.

Peripneumonia notha. 235.

Cap. V.

Rheumatismus. 238.

Cap. VI.

Febris erysipelatosa. 244.

Cap. VII.

Angina. 248.

Epistolae responsoriae duae: prima de morbis epidemiis ab anno 1675 ad annum 1684, ad Robertum Brady, M. D.; secunda de luis venereae historia et curatione, ad Henricum Paman, M. D.

Epistola R. Brady ad Th. Sydenham. 253.
Epistola responsoria I. 255.
Epistola II. Paman ad Th. Sydenham. 282.
Epistola responsoria II. 284.

Dissertatio epistolaris ad Gulielmum Cole M. D. De observationibus nuperis circa curationem variolarum confluentium: nec non, de adfectione hysterica.

Epistola G. Cole ad Th. Sydenham. 305.
Dissertatio epistolaris. 308.

Tractatus de podagra et hydrope.

Epistola Sydenhami ad Th. Short, M. D. C. M. L. S. 381.
Tractatus de podagra. 384.
Tractatus de hydrope. 429.
Postscriptum. 451.

Schedula monitoria de novae febris ingressu. Accedunt de febre putrida, variolis confluentibus superveniente; et de mictu sanguineo, a calculo renibus impacto, dissertationes.

Epistola Sydenhami ad Carol. Goodall, M. D. 454.
Schedula monitoria de novae febris ingressu. 459.
Dissertatio de febre putrida, variolis confluentibus superveniente. 486.
Dissertatio de mictu sanguineo a calculo renibus impacto. 494.

Processus integri in morbis fere omnibus curandis: nec non, de phthisi tractatulus.

Medicamentorum quaedam formulae in praxi magis familiares. 505.

OBSERVATIONES

MEDICAE CIRCA MORBORUM ACUTORUM HISTORIAM ET CURATIONEM.

Amicissimo viro D. JOHANNI MAPLETOFT, M. D. *in Collegio Greshamensi apud Londinenses Professori, nec non societatis regiae ibidem socio.*

Duo omnino sunt, (humanissime vir, de quibus hic mihi tecum agendum est: primum, ut caussas exponam, quibus impulsus tractatum hunc meum in publicum edo; alterum, quamobrem eumdem tuo potissimum nomini dicandum censeo. Primum quod attinet, tricesimus jam agitur annus, a quo Londinum petens, ut inde Oxonium denuo proficiscerer, (a quo primi belli calamitas me, ad annos aliquot, distinuerat), in virum doctissimum et maxime ingenuum dominum D. THOMAM COXE (qui per eos etiam annos, atque ad hunc usque diem, medicinam magna cum celebritate factitavit,) fratri meo tunc aegrotanti consulentem, auspicato inciderem, qui quidem vir, pro nota sua humanitate, suavitateque morum, me percontatus est, cui me demum arti, intercisa jam repetens studia, sumtaque toga virili, pararem addicere. Ego vero incertus adhuc animi, et de medica arte ne vel somnians quidem, tanti viri hortatu atque auctoritate permotus, nescio quo fato meo, me ad eam serio adcinxi. Et sane, si quando haec nostra conamina vel minimum in publica commoda cesserint, illi grato animo accepta referenda erunt, quo promotore atque auspice ea studia primum sum adgressus. Post annos aliquot, in palaestra academica insumptos, Londinum reversus,

ad praxin medicam accessi, quam cum intento admodum oculo, omnique adhibita diligentia, curiose observarem, mox in eam veni sententiam, quae mecum ad hodiernum usque diem crevit; hanc scilicet artem haud rectius perdiscendam esse, quam ab ipsius artis exercitio atque usu; veroque admodum esse simile, quod qui ad naturalia morborum phaenomena oculos, animumque adcuratissime, maximeque diligenter adverterit, in eliciendis curativis indicationibus veris, ac genuinis maxime pollere debeat. Huic itaque me methodo totum tradidi, satis securus, quod naturam si sequerer ducem, etiam *avia terrarum peragrans loca, nullius ante trita solo*, nusquam vel latum unguem a recto tramite discederem. Hoc me filo regens, primo ad pressiorem febrium observationem animum adpuli, et post devoratum haud mediocre taedium, et molestissimas menti agitationes, quibus me ad annos aliquot fatigandum permisi, tandem in methodum incidi, qua istae possent sanari; quam etiam, amicis flagitantibus, in lucem promendam jamdudum concessi. Cum vero ab illo tempore novas febrium species, mihi hactenus incognitas, sibi invicem jugiter succedentes animadverterim, statui apud me, quae ad eas pertinebant singula, vel ab eisdem pendebant, summa qua possem diligentia in unum congerere; quo tandem aliquando prioris coepti mei tenuitatem, atque angustias, paulo adcuratiori ac magis absoluta horum morborum historia pensare valerem. Sed dum haec animo versarem, atque indagarem sedulo, et proinde jam in eo totus essem, ut pro multifariis naturae mutationibus, et versatili ingenio, medendi methodum, ceu gladium Delphicum, procuderem omnibus parem, statim didici me ideo tantum aperuisse oculos, ut pulvere, haud quaquam vero olympico, iidem complerentur, atque his quidem, proprii cerebri phantasmata, illis, nullum me prorsus habere ducem, plane viderer. Quamvis optassem lucubrationes hasce meas, non nisi annorum porro aliquot experientia auctas et confirmatas, typis evulgasse, contumeliis tamen, ac sannis, procacissimi cujusque ardelionis tandem plus satis delassatus, amicis eo usque morem gessi (inter quos cum honore mihi semper nominandus est sa-

gacissimus vir, dominus Doctor GUALTERUS NEEDHAM, tam medicae artis, quam rei literariae decus, et laus), ut mihi tandem consulerem, ac justam pararem defensionem; ea nempe facta prodens scriptis publicis, quae ingenuos, quod spero, omnes mihi patronos conciliabunt. Ceteros quod attinet, exspectabo scilicet, quemadmodum acute romanus philosophus, *quidquam calumniae sit sacrum, cui nec Rutilius sacer fuit, nec Cato?* Si qui itaque reperiantur, quos prae immanitate quadam, ac asperitate naturae convitiandi libido adhuc incesserit, rectene an secus scripserim, haud aestimantes aequa lance, qui vitio statim vertunt, si quis novi aliquid, ab illis non prius dictum, vel etiam inauditum, in medium proferat; hujusmodi ego homines aequo me animo laturum spero; certe convitiorum serram neutiquam reciprocabo. Illud tantum opponam, viro christiano sane perdignum, quod olim TITUS TACITUS, obtrectanti METELLO regessit: *Facile est in me dicere, cum non sim responsurus: tu didicisti maledicere; ego, conscientia teste, didici maledicta contemnere. Si tu linguae tuae dominus es, ut quidquid lubet effutias; ego aurium mearum sum dominus, ut quidquid obvenerit, audiant inoffensae.* Atque haec sunt, quorum victus pondere librum hunc luce donandum esse sentiebam.

Tibi vero (charissime vir) eumdem dedicatum volui, tum ob mutuam, qua nos invicem complectimur, amicitiam, benevolentiamque; tum etiam, quia nemo te melius judicare valeat, si quo in loco aut pretio habendae sint, quas hic trado, observationes; cum per septennium, quod jam ultimo excurrit, plura e praecipuis atque insignioribus, quae sequentes exhibent pagellae, tute etiam oculis usurpaveris. Uti vero ea tu es morum integritate, probitateque notissima, ut religio tibi sit, fictis insinuationibus alios in errorem pellicere, (maxime ubi de corio humano agitur,) ita ea etiam polles sapientia atque eruditione, quae tibi a me imponi, si id serio agerem, nullatenus paterentur; multo minus tu tibi imposueris istis experimentis, quibus in tuis etiam aegris nonnullorum, quae vel hic descripsi, vel tibi alias adfirmavi, veritatem comprobasti. Nosti praeterea, quam huic meae methodo suffragantem

habeam, qui eam intimius per omnia perspexerat, utrique nostrum conjunctissimum dominum JOHANNEM LOCK; quo quidem viro, sive ingenio, judicioque acri et subacto, sive etiam antiquis, hoc est, optimis moribus, vix superiorem quemquam inter eos, qui nunc sunt, homines repertum iri confido, paucissimos certe pares. Verum non opus est, ut ulterius tuam fidem sollicitem, de qua jam diu persuasissimus sum. Ceteros quod attinet, jacienda alea est, quae utcumque ceciderit, sortem haud gravate feram. Cum enim jam senex sim, et summi numinis favore, tantum mihi sit viatici, quantum restat viae, de reliquo dabo operam, ut nec ipsi mihi, neque aliis, molestus eum adsequar felicitatis modum, quem ita eleganter depinxit FRACASTORIUS,

Felix ille animi, divisque simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat; non fastosi mala gaudia luxus.
Sed tacitos sinit ire dies, et paupere cultu
Exigit innocuae tranquilla silentia vitae.

Quod restat, exorandus mihi es, ut hoc propensi in te animi, et, quo te prosequor, honoris pignus, aequi bonique consulas; praesertim cum nullo jure tibi imputari possint, quotquot in hoc opere naevi ac σφάλματα comparuerint, quorum omnium in me solum cudenda est faba; nec tu plectendus, si quid ego forte deliravero. Quamlibet neque ejus quem exantlavi laboris omnis mihi fructus perierit, cum vel ex erroribus et hallucinationibus meis ansam nactus fuero, qua omnibus palam faciam, quanta te colam amicitia, et quod ex animo sim

Tibi semper addictissimus
THOMAS SYDENHAM.

PRAEFATIO.

Quemadmodum a natura ita comparata est humani corporis fabrica, ut nec prae jugi particularum fluxu sibi semper constet, nec, prae externarum rerum vi, sui juris ubique permaneat, unde multiplex aegritudinum cohors terris ab omni aevo incubuit; sic procul omni dubio a multis jam seculis ante natum non Graecum modo, sed (qui mille annis hunc antecessit,) Aegyptium AESCULAPIUM, hominum ingenia investigandae medelae necessitas exercuit. Et profecto, ut quis primus aedificiorum, aut vestimentorum usum ad depellendam coeli inclementiam instituit, nemo facile dixerit, ita et artis medicae natales, ut Nili fontem, indigitare nequimus; cum ista, perinde ac ceterae artes, in usu numquam non exstiterit, licet nunc diligentius, nunc frigidius, exculta, pro vario temporum ac regionum habitu. Quantum veteres, ac inter primos HIPPOCRATES, praestiterunt, abunde notum est; quibus scilicet, ac eorum scripta compilantibus maximam therapeuticae solertiae partem acceptam ferimus. Quin et succedentibus deinde seculis, emicuit nonnullorum industria, qui aut anatomiae, aut pharmaciae, aut methodo ἰατρικῇ operam navando, medicinae pomoeria ampliare pro virili sategerunt, ut taceam, nec in hac nostra Britannia, ipsoque hoc seculo defuisse, qui in omni scientiarum genere, quo res medica adaugeri possit, optime meruerunt; quorum quidem laudes impari calamo non attingo. Ceterum quantacumque fuerint aliorum conamina, semper existimavi mihi vitalis aurae usum frustra datum fore, nisi et ipse in hoc stadio versatus, symbolum aliquod, utcumque exiguum, in commune medicinae aerarium contribuerem. Quocirca post diuturnam meditationem, ac diligentem fidamque annorum aliquam multorum observationem, tandem aliquando decrevi, primo sententiam meam in medium proferre, qua demum ratione medendi scientia ulterius promoveri possit: deinde meo-

rum in hoc negotio conatuum specimen aliquale in lucem dare.

Sentio autem nostrae artis incrementum in his consistere, ut habeatur 1) historia, sive morborum omnium descriptio, quo fieri potest graphica et naturalis; 2) praxis seu methodus circa eosdem stabilis ac consummata. Sane morbos crasse depingere satis obvium est; atqui historiam eorum ita conscribere, ut evitetur censura, quam clarissimus VERULAMIUS in nonnullos ejusmodi promissores vibravit, longe majoris est negotii: *Satis scimus* (inquit vir nobilissimus) *haberi historiam naturalem, male amplam, varietate gratam, diligentia saepius curiosam: attamen si quis ex ea fabulas, et auctorum citationes, et inanes controversias, philologiam denique et ornamenta eximat (quae ad convivales sermones, hominumque doctorum noctes potius, quam ad instituendam philosophiam sint adcommodata) ad nil magni res recidet. Longe profecto abest ab ea historia quam animo metimur.* Similiter etiam et morborum curationes pro more facillime proponuntur. Atqui hoc ita praestare, ut verba in facta transeant, atque eventus promissis respondeant, magis ardui moliminis illi judicabunt, qui vident haberi apud scriptores practicos morbos complures, quos nec illi ipsi scriptores, nec quispiam hactenus medicorum sanare valuerunt.

Quod autem spectat ad historiam morborum, si quis rem attentius perpendat, facile videbit scribentem ad multo plura animum debere advertere, quam vulgo existimatur. Quorum pauca haec in praesentiarum adtingere suffecerit.

Primo expedit, ut morbi omnes ad definitas ac certas species revocentur, eadem prorsus diligentia, ac ἀκριβεία, qua id factum videmus a botanicis scriptoribus in suis phytologiis. Quippe reperiuntur morbi, qui sub eodem genere ac nomenclatura redacti, ac quoad nonnulla symptomata sibi invicem consimiles, tamen et natura inter se discreti, diversum etiam medicandi modum postulant. Cardui quidem nomen ad plures herbarum species extendi nemo nesciat: at vero parum adcurate faciet rei herbariae scriptor, qui generalem hujus plantae descriptionem, qua scilicet a ceteris stirpibus discrepat, proponere

contentus, propria interim et peculiaria cujusque speciei signa, et characteres, quibus ab invicem discriminantur, contemserit. Eodem plane modo nec satis est scriptori, communes duntaxat morbi alicujus πολυείδους adparentias adnotasse. Esto sane non omnibus morbis eamdem contingere varietatem; tamen complures esse, qui, licet ab auctoribus sub eodem titulo, citra ullam speciei distinctionem tractentur, dissimillima sint indole, in sequentibus pagellis, uti spero, palam fiet. Immo etiam ubi distributio in species reperitur, id fit plerumque, ut hypothesi alicui, quae veris phaenomenis substruitur, suus reservetur honos; ac proinde ejusmodi discriminatio non tam ad morbi, quam ad auctoris ingenium, philosophandique theoriam, adcommodata est. Quantum medicinae obfuerit ἀκριβείας hac in parte defectus, ostendunt multorum morborum exempla; quorum nempe curationes hodie non desideraremus, si scriptores, dum experimenta et observationes medicas benevolo saltem animo communicarint, unius scilicet speciei morbus, pro alio speciei diversae substitutus, non fefellisset. Atque hinc etiam arbitror profectum esse, quod materia medica in sylvam tam immensam, sed fructu perexiguo, excreverit.

Porro autem in scribenda morborum historia, seponatur tantisper oportet quaecumque hypothesis philosophica, quae scriptoris judicium praeoccupaverit; quo facto tum demum morborum phaenomena clara ac naturalia, quantumvis minuta, per se adcuratissime adnotentur; exquisitam pictorum industriam imitando, qui vel naevos et levissimas maculas in imagine exprimunt. Enimvero dici vix potest, quot erroribus ansam praebuerint hypotheses istae physiologicae, dum scriptores, quorum animos falso colore illae imbuerint, istiusmodi phaenomena morbis adfigant, qualia, nisi in ipsorum cerebro, locum numquam habuerunt, debebant autem in conspectum venire, si hypothesis, quam ipsi pro concessa ac rata habent, constaret veritas. Adde quod si quando symptoma aliquod, quod cum dicta hypothesi adposite quadret, revera morbo competat, cujus typum delineaturi sunt, tum illud supra modum evehunt, ac plane reddunt ἐκ μυὸς ἐλέφαντα, quasi in hoc scilicet totius negotii cardo verteretur: sin hypothesi

minus congruat, aut prorsus silentio, aut levi saltem pede transmittere consueverunt, nisi forte beneficio subtilitatis alicujus philosophicae in ordinem cogi, ac quoquo modo adcommodari possit.

Expedit autem tertio, ut in describendo aliquo morbo peculiaria et perpetua phaenomena seorsim ab accidentalibus et adventitiis (qualia sunt, quae non tantum ob aegrotantium temperiem et aetatem, sed etiam ob rationem medendi diversam varie se habent) enarrentur. Nam saepe accidit, ut facies morbi variet, pro vario medicandi processu, ac nonnulla symptomata non tam morbo, quam medico debentur; adeo ut eodem morbo laborantes, sed varia methodo tractatos, varia etiam symptomata exerceant. Unde nisi cautela adhibeatur, necesse est, ut admodum vagum et incertum sit circa morborum symptomata judicium. Praetereo, quod casus oppido rari ad morborum historiam proprie non pertineant; quemadmodum et in descriptione salviae, v. g. erucarum morsus inter signa discriminantia istius plantae neutiquam recensentur.

Denique anni tempestates, quae scilicet cuivis morborum generi potissimum faveant, diligenter observandae sunt. Non inficior nonnullos esse omnium horarum; alii tamen, nec pauciores, occulto quodam naturae instinctu annorum tempora non secus, quam quaedam aves aut plantae, sequuntur. Saepe quidem subiit mirari, hoc morborum quorumdam ingenium satis obvium, a paucis tamen fuisse hactenus observatum; cum quo sidere stirpes aut pecudes sollemniter procreentur, plurimi curiosius adnotarint. Sed quaecumque sit hujus oscitationis caussa, pro certo statuo, tempestatum, in quibus aegritudines ingruere consueverunt, notitiam multum medico prodesse, tam ad speciem morbi dignoscendam, quam ad ipsum morbum exstirpandum; atque horum utrumque minus feliciter evenire, ubi istiusmodi observatio negligitur.

Haec quidem etsi non sola, saltem insigniora sunt, quae in scribenda morborum historia observari convenit. Cujus historiae utilitas ad praxin, omnem aestimationem excedit, ac prae qua subtiles disquisitiones ac argutiolae, quibus neotericorum libri ad nauseam fere inferciuntur, nullo in numero sunt

habendae. Qua enim aut compendiosiore, aut etiam alia via, vel caussae morbificae, quibus obviam eundum est, deprehendi, vel indicationes curativae elici possunt, quam certa ac distincta peculiarium symptomatum perceptione? Neque enim ulla est circumstantia tam levis aut exigua, quae suos usus ad utrumque non habeat. Nam ut demus, aliquid varietatis a temperamento individuorum et tractandi ratione proficisci, nihilominus adeo aequabilis, ac sibi ubique similis, est naturae ordo in producendis morbis, ut in diversis corporibus eadem plerumque reperiantur ejusdem morbi symptomata; ac illa ipsa, quae in Socrate aegrotante observata fuerint, etiam generaliter ad hominem quemcumque eodem morbo laborantem transferri possint; non secus ac universales plantarum notae ad omnia cujusque speciei individua rite se diffundunt. Qui verbi gratia violam adcurate descripserit quoad colorem, saporem, odorem, ac figuram, ceteraque id genus, omnibus ubique terrarum violis, quae sub ea specie continentur, historiam illam, in plerisque fere omnibus, convenire facile animadvertet.

Et quidem existimo, nos, ob eam potissimum caussam, adcuratiori morborum historia ad hunc usque diem destitui, quia scilicet plerique eos pro confusis inconditisque naturae, male se tuentis et de statu suo dejectae, effectis tantum habuere, ac proinde laterem lavare crederetur is, qui justam eorumdem enarrationem moliretur.

Sed ut ad rem revertamur. Non minus certo etiam a minutissimis morbi circumstantiis indicationes curativas possit medicus desumere, quam ab iisdem sumsit diagnostica. Atque adeo non semel mihi in mentem subiit, quod si morbi cujuslibet historiam diligenter perspectam haberem, par malo remedium numquam non scirem adferre, variis ejusdem phaenomenis viam, qua mihi incedendum foret, haud dubiam praemonstrantibus; quae quidem phaenomena, si inter se sedulo conferantur, manu quasi ducerent ad indicationes illas maxime obvias, quae ex intimo naturae sensu, non vero phantasiae erroribus depromuntur.

Atque his sane gradibus, ut ita dicam, his adminiculis, ad coelum adscendit, ad medicinae nempe

fastigium, medicorum ille Romulus, numquam satis laudatus HIPPOCRATES; qui hanc arti medicae insuper struendae solidam ac inconcussam substernens basin, scilicet. *νούσων φύσιες ἰητροὶ*, i. e. naturae morborum medicatrices, id egit, ut morbi cujuslibet phaenomena aperte traderet, nulla hypothesi adscita, et in partes per vim adacta, ut in ejus libris de morbis, de affectionibus, etc. videre est. Regulas etiam quasdam tradidit ex observatione methodi istius, qua utitur natura, tam in morbo provehendo, quam in eodem amoliendo, natas; cujusmodi sunt Coacae praenotiones, aphorismi, et reliqua id genus. Atque in his fere stetit magna illa divini senis *θεωρία*, non ab irrito lascivientis phantasiae conamine desumta, ceu vana aegrorum insomnia, sed legitimam exhibens historiam earum naturae operationum, quas in hominum morbis edit. Cum vero dicta *θεωρία* nihil esset aliud, quam exquisita naturae descriptio, par erat omnino, ut in praxi eo tantum collimaret, ut eidem laboranti, quibus posset modis, subvenire contenderet; unde etiam non aliam arti demandat provinciam, quam ut deficienti naturae succurrat, effraenem coërceat, et in ordinem redigat; utrumque vero hoc, tum passu illo, tum etiam methodo, quibus natura morbum expellere satagit atque amovere. Animadverterat nempe sagacissimus vir, quod sola natura *τὰς νόσους κρίνει, καὶ ἐξαρκέει τὰ πάντα πᾶσι.* Atque haec omnia peragit natura paucissimis, simplicissimisque, adjuta remediorum formulis, alicubi etiam prorsus nullis.

Altera ab hac methodus, qua ars medendi, si quid ego judico, possit ulterius provehi, in eo potissimum cardine vertitur, ut certa aliqua et consummata undique ac fixa methodus medendi in publica commoda tradatur, eam intelligo, quae satis magno experimentorum numero corroborata, subfultaque, huic vel illi morbo devincendo suppar invenitur. Neque enim satis esse arbitror, ut successus particulares, sive methodi cujuslibet, sive etiam remedii, scriptis prodantur, si neque hoc, neque illa universaliter, atque in omnibus, scopum attingere deprehendatur, (positis saltem his vel illis circumstantiis.) Contendo vero ego, nos aeque certo scire debere, hunc illumve morbum expugnatum iri, si huic aut

alteri intentioni satis fecerimus, ac certo jam scimus, nos hoc aliove remedii genere, huic aut alteri intentioni satis facere posse: quod quidem licet non semper et ubique, frequentissime tamen, καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ votis respondet exhibentium; ita sennae foliis v. gr. alvum subducimus, papavere invitamus somnum. Non is sum, qui negem, debere medicum animum diligenter advertere ad particularia tum methodi, tum remedii eventa, quibus est usus in morborum curatione, et in usus suos reponere, tam ad sublevandam memoriam, quam ut ansas inde adripiat, quibus paulatim peritior evadat medicus, tandemque post diutina, et repetita saepius experimenta methodum sibi figat, firmetque, a qua in hujus aut illius morbi curatione ne hilum sibi recedendum putet. Observationes autem particulares in lucem dare, non ita magnam, me judice, adfert utilitatem. Nam si id tantum agit observator, ut nos doceat, hunc morbum semel, vel etiam saepius, huic remedio cessisse, quid mihi, obsecro, profuerit, si infinitae fere medicamentorum decantatissimorum copiae, qua jamdiu obruimur, adhuc aliud mihi hactenus inauditum adcrescat? Quod si, repudiatis ceteris omnibus remediorum formulis, huic me unice addixero, an non innumeris fere experimentis probanda mihi venit ejus vis, innumerae etiam circumstantiae trutinandae, tum aegrum, tum ipsam methodum spectantes, antequam ex observatione solitaria fructum aliquem queam decerpere? Si observatori numquam non responderit medicamentum, quare in particularibus versatur, nisi aut sibi diffidat ipse, aut minutatim potius quam in solido imposuisse orbi videri praeoptet? Quam vero in proclivi sit densissima hujus generis volumina conscribere, nemo vel mediocriter in praxi versatus ignorat; uti nec e contra quam sit illud difficile, perfectam et confirmatam undique medicorum methodum in quovis morbo condere ac stabilire. Si vel unus tantum per singula mundi secula hoc modo unicum tractaverit morbum, medendi ars, (quae medicorum est provincia) a multis retro annis ad ἀκμὴν pervenisset, omnibus absoluta numeris, saltem in quantum fert mortalium sors. Quae vero fundi nostri est calamitas, jamdiu ab antiquissimo et peritissimo duce HIPPOCRATE, et prisca medendi me-

thodo, caussarum conjunctarum (utpote quae certo se prodant) cognitioni superstructa, descivimus; unde est, ut quae hodie exercetur, à Logodaedalis conficta, confabulandi magis sit ars, quam medendi. Sed ne hanc ego dicam temere impegisse videar, fas mihi sit e via parumper deflectere, quo scilicet evincam, caussas illas remotiores, in quibus adsignandis, et in lucem extrahendis hominum curiosorum et περιεργῶν vanae speculationes unice desudant, triumphantque, prorsus esse ἀκαταλήπτους ac inscrutabiles, solas vero proximas et conjunctas a nobis posse cognosci, atque ab his solis indicationes curativas esse mutuandas.

Observandum est itaque, quod si humores vel diutius quam par est in corpore fuerint retenti, (quia scilicet natura eosdem concoquere nequeat, ac deinceps expellere,) vel ab hac aut illa aëris constitutione labem morbificam contraxerint; vel denique contagio aliquo venenato infecti in ejusdem castra transierint; his inquam modis et his similibus, dicti humores in formam substantialem, seu speciem exaltantur, quae his aliisve adfectibus, cum propria essentia convenientibus se prodit; quae quidem symptomata, licet minus cautis videantur oriri, vel a natura partis, quam humor obsedit, vel a natura humoris ipsius, antequam hanc induerat speciem, nihilominus revera adfectus sunt, ab essentia dictae speciei in hunc gradum recens evectae pendentes. Adeo ut quilibet morbus specificus adfectio sit ab hac vel illa specifica exaltatione, vel specificatione succi cujusdam in corpore animato ortum ducens. Sub hoc genere potest comprehendi maxima pars morborum, qui certum aliquem typum ac formam adgnoscunt. Et profecto haud minus se natura methodo adstringit in his tum producendis, tum maturandis, quam in plantis, sive etiam animalibus. Quin immo ut cuilibet sive plantae, sive animali proprii quidam ac peculiares adfectus competunt, ita se res habet in qualibet succi cujuscumque exaltatione, ubi semel in speciem proruperit. Exemplum hujus rei satis luculentum quotidie nobis ingerunt, et ob oculos ponunt variae istae excrescentiarum species, quas arbores, fruticesque emittunt, vel ob succi nutrititii perversionem et depravationem, vel alias ob caussas, in forma scilicet musci, visci, fungorum, aliorumque id

genus; quae omnia essentiae sunt sive species, a parente, seu arbore, seu frutice diversae plane atque distinctae. Et sane qui serio atque ad amussim pensitaverit φαινόμενα illa, quae febrem v. gr. quartanam comitantur; quod videlicet semper sub autumno ingreditur, quod certum ordinem ac typum ubique servat, revolutiones periodicas quarto quoque die non minus certo repetens, quam suas repetit horologium, sive aliud quoddam ejusmodi ἀυτόματον, (nisi ab accedente aliquo extrinsecus adveniente hic ordo perturbetur;) quod cum rigore ac notabili frigoris sensu adgreditur, quem excipit caloris perceptio non minus sensibilis, quae tandem in sudore effusissimo terminatur; quod denique morbus hic, quemcumque demum invaserit, vix ante vernum aequinoctium abigi poterit et fugari. Qui haec, inquam, omnia pensiculatius trutinaverit, haud minus firmis rationibus inducetur, ut credat, morbum hunc speciem esse, quam sunt illae, ob quas credit plantam esse speciem, quae parem semper ad normam e terra nascitur, floret, interitque, atque in reliquis adficitur pro ratione essentiae suae; neque facile comprehendi potest, qui fiat, ut hic morbus oriatur a combinatione, sive principiorum, sive qualitatum evidentium, cum planta substantia ac species distincta in rerum natura ubique adgnoscatur. Illud interim non diffitemur, quod cum species sive animalium, sive plantarum singulae (demtis perpaucis) per se subsistant, istae morborum species ab iis dependent humoribus, a quibus generantur.

Tametsi vero ex jam dictis constare videatur, morborum plerorumque caussas inscrutabiles prorsus esse, ac ἀνεκδιηγήτους, non tamen insolubilis erit illa quaestio, quo pacto sanari possint? cum de caussis remotioribus nos hoc adseramus: nemo autem est, qui non videat, curiosos istos speculatores in caussis primo primis fere, ac remotissimis indagandis, ac in lucem (utut invita Minerva ac reclamante naturae sensu) protrahendis operam perdere; immediatas vero et conjunctas, ceu ante pedes jacentes, contemnere, quae tamen necessario debent cognosci, et possunt etiam sine ficulneis hujusmodi adminiculis; cum intellectui se aperte sistant, vel proprii sensus testimonio, vel anatomicis observationibus ab aliis jam-

pridem factis, retectae. Atque ut impossibile plane est, ut medicus eas morbi caussas ediscat, quae nullum prorsus cum sensibus habent commercium, ita neque est necesse; abunde enim sufficit, ut sciat, unde immediate oritur malum, talesque ejus effectus atque symptomata, ut inter hunc aliumque morbum, hujus non dissimilem, valeat adcurate distinguere. In pleuritide v. gr. diu atque incassum se fatigabit aliquis, nec tamen mente adsequetur pravam illam crasin et male cohaerentem sanguinis texturam, quae prima est hujusce mali origo; qui vero caussam, a qua immediate producitur recte cognoverit, et ab aliis morbis quibuscumque rite valeat distinguere, non minus certo curandi scopum attinget, etiam neglecta otiosa ista atque inutili remotissimarum caussarum indagine. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ.

Jam vero si quaerat aliquis, an ad praedicta in arte medica desiderata duo (veram scilicet et genuinam morborum historiam, et certam, confirmatamque medendi methodum) non etiam accedat tertium illud, remediorum nempe specificorum inventio? Adsentientem me habet et in vota festinantem. Etsi enim methodus sanandis morbis acutis maxime adcommoda mihi videatur, quibus exigendis cum natura ipsa certum aliquem evacuationis modum statuerit, quaecumque methodus eidem fert opem in promovenda dicta evacuatione, ad morbi sanationem necessario conferet; optandum est tamen, ut beneficio specificorum, si quae talia inveniri possint, aeger rectiori semita ad sanitatem proficeret; et (quod majoris etiam momenti est) extra aleam malorum, quae sequuntur aberrationes istas, in quas saepe invita dilabitur natura in morbi caussa expellenda, (utut potenter et docte ei ab adsistente medico subveniatur) possit collocari.

Verum quod ad morbos chronicos sanandos attinet, licet nihil dubitem ulteriores in medendo profectus, vel a sola methodo posse sperari, quam qui in primam statim cogitationem incurrant; attamen plus satis constat, deficere illam in curatione chronicorum aliquot, vel maxime spectabilium inter eos, quibus homines urgentur; quod ob hanc praecipue caussam usu venit, quia scilicet natura, in hujuscemodi morbis, non habet methodum tam efficacem, qua materiam morbificam foras ejiciat (perinde atque in

acutis), quo nos, cum eadem manus jungentes, et ad debitum dirigentes scopum, morbum debellare valeamus. In vincendo itaque morbo chronico, is demum jure meritoque medici nomen sibi vindicat, penes quem est ejusmodi medicamentum, quo morbi species possit destrui: non qui id tantum agit, ut e primis secundisque qualitatibus nova aliqua introducatur, et prioris subeat vicem; quod fieri quidem potest non exstincta specie: v. gr. calefieri potest, aut refrigerari, qui podagra laborat, vigente adhuc podagra, necdum devicta. Methodo hac, qua diversae tantum qualitates introducuntur, morbi specifici non magis immediate perdomantur, quam ignis gladio exstinguitur. Quid enim, obsecro, calor, frigus, humidum, siccumve, aut e secundis qualitatibus, quae ab his pendent, alia aliqua ad morbi curationem faciet, cujus essentia in harum nulla consistit? Si quis hic objecerit, satis magnum remediorum specificorum numerum jamdiu nobis innotescere, hunc ipsum, si examen paulo diligentius instituerit, in oppositas partes facile transiturum confido; cum unicus cortex peruvianus a suis militet. Toto enim coelo distant, quae huic aliive indicationi curativae specifice respondent medicamenta, cui si faciamus satis, morbus abigitur, et quae hunc aliumve morbum specifice, atque immediate persanant, nullo habito respectu ad hanc aut illam intentionem sive indicationem curativam: v. gr. mercurius, et sarsae radices, in lue venerea, specifica vulgo audiunt; quae tamen pro specificis propriis atque immediatis non debent haberi, nisi argumentis satis validis atque irrefragabilibus possit confici, mercurium nulla excitata salivatione, sarsae vero radices sine motis sudoribus tam egregiam operam praestitisse. Ad hanc pariter normam alii etiam morbi, aliis evacuationibus, curantur, cum tamen quae adhibentur remedia non magis proprie competant immediatae curationi istorum morborum, qui eis sanantur evacuationibus, quibus faciendis ejusmodi remedia maxime proprie designantur, quam scalpellum phlebotomum pleuritidi; quod tamen nemo opinor specificum hujus morbi facile adpellaverit.

Specifica proinde medicamenta, si ad hanc mentem nostram restringantur, non cuivis homini contingunt; neque oscitantibus temere se ingerunt: nul-

lus tamen dubito, quin in exundanti illa plenitudine, qua turget natura, diffluitque, ita jubente optimo maximo rerum omnium conditore, in singulorum praeservationem, prospectum pariter sit de curatione malorum magis insignium, quae homines vexant; idque pro foribus et in patrio cujuslibet solo. Et sane dolendum est, plantarum naturam nondum magis explorato nobis innotescere; quae mihi videntur reliquae omni, qua patet, materiae medicae palmam praeripere, et quae inveniendorum de quibus jam diximus, remediorum uberrimam nobis spem faciunt: cum animalium partes cum humano corpore nimium convenire videantur, nimium dissidere mineralia; unde est, quod mineralia indicationibus potentius respondere, quam vel plantas, vel ex animalibus desumta, lubens fateor; at non specifice tamen mederi, eo quo diximus sensu ac modo. Me quod spectat, non hic aliud mihi sumo praeter laborem, ac taedium, haec atque hujusmodi diu multumque jam per aliquot annos animo versandi, necdum mihi tam feliciter cessit, ut cum prudenti fiducia, quae de iis cogitaverim, in publicum dare ausim.

Quantumlibet vero mihi prae caeteris adrident plantae, non tamen is sum, qui eximia illa medicamenta ex alia tribu desumta, quae vel hoc, vel alio aliquo seculo hominum industria, atque labore, intentionibus apte respondentia reperta fuere, contemnam. Inter quae primum sibi locum vindicant, quae nomine guttarum Doctoris GODDARD insigniuntur, et à viro doctissimo et solertissimo tam methodi quam remediorum indagatore, domino Doctore GOODALL praeparantur: quorum vim ac efficaciam in attingendo, ad quem vulgo diriguntur, scopo ceteris quibusque spiritibus volatilibus jure praefero.

Coronidis loco, cum in hac introductione fuerim pollicitus, me daturum specimen eorum, quae in hujus artis augmentum utcumque conatus sum; fidem liberare jam tentabo in tradendis historia, curationeque acutorum morborum. Qua in re licet satis advertam, me supinis atque ignorantibus fructum omnem eorum, quos per meliores vitae annos corpore animoque exantlavi, laborum expositurum, malum tamen pessimi hujus seculi genium satis habeo perspectum, ut non aliam ex hac semente, quam con-

vitiorum atque contumeliarum messem exspectem; meque famae meae longe melius consuluisse, si inanem aliquam atque inutilem speculationem commentatus fueram. Hoc vero mihi perinde est: mercedem aliunde praestolor. Si quis hic objiciat, alios aeque in hac arte versatos, non idem mecum de his rebus sentire; meum non est, quid sentiant alii, disquirere, sed meis observationibus adstruere fidem; quod ut faciam, lectoris patientiam desidero tantum, non favorem. Res ipsa etenim brevi loquetur, an fideliter et sincero animo hic egerim, an e contra adinstar sceleratissimi hominis morumque profligatissimorum, homicidam me praestiterim vel in terra defossus. Illam tantum mihi veniam peto, quod minus adcurate, quam proposueram, morborum historiam ac curationem descripsero; cum non tam metam figam, quam animos iis addam, qui feliciore ingenio praediti ad hoc opus posthac se accingent, quod jam ego imperfecte molior.

Unum adhuc restat, de quo monendus est lector, mihi in animo non esse, sequentes paginas infinito particularium observationum numero distendere, quibus methodo ibidem traditae fidem adstruam: frustra enim, et cum taedio lectoris, repeterentur ista singulatim, quae in summas contraxi. Satis autem habui, ad calcem observationis cujuslibet generalis (saltem quae ad annos nuperos spectat,) particularem hic illic adnectere, qua methodi praecedentis medulla contineretur. Hoc interim spondeo, nullam a me methodum generalem fuisse evulgatam, quae experientia reiterata non est stabilita, atque confirmata.

Sed et spe frustrabitur, qui ingentem remediorum, seu formularum sylvam hic exspectaverit, cum medici judicio permittatur, ut pro re nata iis utatur; mihi sufficit innuisse, quibus indicationibus satisfaciendum est, quo etiam ordine et tempore; etenim in eo praecipue stat medicina practica, ut genuinas indicationes expiscari valeamus, non ut remedia excogitemus, quibus illis satisfieri posset; quod qui minus observabant, empiricos armis instruxere, quibus medicorum opera imitari queant.

Quod si quis objecerit, me, in aliquibus non tantum, medicamentorum pompae renunciasse, sed ea insuper remedia proposuisse, quae ad materiam

medicam vix possint referri, adeo sunt simplicia atque inartificiosa; vulgaribus tantum, opinor, ac plebejis animis hac in re displicebo. Norunt enim sapientes, bona ea esse omnia, quae sunt utilia; atque HIPPOCRATEM, dum follium usum in ileo sanando proponit, et in cancro nihil prorsus agendum praecipit, (atque ejusmodi alia, quae in singulis fere pagellis scripta leguntur,) non minus bene de re medica meruisse, quam si pomposis remediorum formulis omnia implevisset.

In animo erat et chronicorum morborum historiam tradere, eorum saltem, quos frequentissime tractaveram; sed cum operosius id sit, cumque harum, quas jam edo, lucubrationum fortunam experiri primum libuerit, in praesentiarum supersedendum mihi esse duxi.

AUCTORI

IN

Tractatum ejus de FEBRIBUS.

Febriles aestus, victumque ardoribus orbem
Flevit, non tantis par medicina malis.
Nam post mille artes, medicae tentamina curae,
Ardet adhuc febris, nec velit arte regi.
Praeda sumus flammis; solum hoc speramus ab igne,
Ut restet paucus, quem capit urna, cinis.
Dum quaerit medicus febris caussamque, modumque,
Flammarum et tenebras, et sine luce faces;
Quas tractat patitur flammas, et febre calescens,
Corruit ipse suis victima rapta focis.
Qui tardos potuit morbos, artusque trementes,
Sistere, febrili se videt igne rapi.
Sic faber exesos fulsit tibicine muros,
Dum trahit antiquas lenta ruina domos.
Sed si flamma vorax miseras incenderit aedes,
Unica flagrantes tunc sepelire salus.
Fit fuga, tectonicas nemo tunc invocat artes,
Cum perit artificis non minus usta domus.
Se tandem SYDENHAM *febrisque, scholaeque furori*
Opponens, morbi quaerit et artis opem.
Non temere incusat tectae putredinis ignes;
Nec fictus, febres qui fovet, humor erit.
Non bilem ille movet, nulla hic pituita: salutis
Quae spes, si fallax ardeat intus aqua?
Nec doctas magno rixas ostentat hiatu,
Queis ipsis major febribus ardor inest.
Innocuas placide corpus jubet urere flammas,
Et justo rapidos temperat igne focos.
Quid febrim exstinguat, varius quid postulet usus,
Solari aegrotos, qua potes arte, docet.
Hactenus ipsa suum timuit natura calorem,
Dum saepe incerto, quo calet, igne perit:
Dum reparat tacitos male provida sanguinis ignes,
Praelusit busto, fit calor iste rogus.

Jam secura suas foveant praecordia flammas,
Quem natura negat, dat medicina modum.
Nec solum faciles compescit sanguinis aestus,
Dum dubia est inter spemque metumque salus;
Sed fatale malum domuit, quodque astra malignum
Credimus, iratam vel genuisse Stygem.
Extorsit Lachesi cultros, pestique venenum
Abstulit, et tantos non sinit esse metus.
Quis tandem arte nova domitam mitescere pestem
Credat, et antiquas ponere posse minas?
Post tot mille neces, cumulataque funera busto,
Victa jacet, parvo vulnere, dira lues.
Aetheriae quamquam spargunt contagia flammae,
Quicquid inest istis ignibus, ignis erit.
Delapsae caelo flammae licet acrius urant,
Has gelida exstingui non nisi morte putas?
Tu meliora paras victrix medicina: tuusque,
Pestis quae superat cuncta, triumphus erit.
Vive liber, victis febrilibus ignibus; unus
Te simul et mundum qui manet, ignis erit.

J. Lock. *A. M.* Ex Aede
Christi Oxon.

SECTIO PRIMA.

CAPUT I.

De morbis acutis in genere.

Dictat ratio, si quid ego hic judico, morbum, quantumlibet ejus caussae humano corpori adversentur, nihil esse aliud quam naturae conamen, materiae morbificae exterminationem, in aegri salutem, omni ope molientis. Cum enim hominum genus, ita volente supremo rerum omnium arbitro ac moderatore, Deo, variis impressionibus, forinsecus advenientibus, excipiendis aptum natum sit, fieri non potest, quin idem variis etiam malis fuerit obnoxium: quae quidem partim ab istis aëris particulis nascuntur, quae cum corporis humoribus male convenientes in idem se insinuaverint, nudo sanguini permistae corpus omne morbifico adflant contagio; partim à variis fermentationum generibus vel etiam putrefactionibus humorum, qui in corpore, ultra justum tempus, ideo sunt commorati, quia scilicet iisdem digerendis primum, dein excernendis vel ob nimiam eorumdem molem, vel qualitatem incongruam suppar idem non fuit. Hisce rerum circumstantiis ita intime essentiae humanae intertextis complicatisque, ut nemo quisquam se ab illis in solidum queat liberare, natura de ejusmodi methodo, ac symptomatum concatenatione, sibi prospexit, quibus materiam peccantem, atque alienam, quae totius fabricae compagem aliter solveret, e suis finibus possit excludere. Quam libet autem frequentius longe, quam fieri cernimus, illum, ad quem remediis hisce ingratis collimat, sanitatis scopum attingeret, nisi ab ignaris, a recto, quem tenet, cursu detorqueretur; verumtamen, cum sibi relicta, vel nimiopere satagendo, vel etiam sibi deficiendo, hominem leto dat, ferreae illi, atque insolubili, mortalitatis legi

obsequitur, cui debemus nos nostraque. Recte enim BOËTHIUS, atque ex rerum sensu,

Constat aeterna positumque lege est,
Constet ut genitum nihil.

Sed ut instantia una, alterave jam dictorum veritatem asseramus; ipsa pestis quid, obsecro, aliud est, quam symptomatum complicatio, quibus utitur natura, ad inspiratas una cum aëre particulas μιασμώδεις, per emunctoria, apostematum specie, vel aliarum eruptionum opera, excutiendas? Quid arthritis, nisi naturae providentia ad depurandum senum sanguinem, atque expurgandum corporis profundum, ut cum HIPPOCRATE loquamur? Potest et idem adfirmari de plerisque aliis morbis perfecte formatis.

Jam vero nunc hoc munere celerius fungitur natura, nunc vero tardius, pro varia methodo, qua causam morbificam deturbare nititur. Nam cum febris opem deposcit, qua adjutrice particulas inquinatas a sanguine divellat, divulsasque progressu adhuc ulteriori per sudores, diarrhoeam, eruptiones, aut aliam istiusmodi evacuationem expellat, cumque in sanguinis massa, corpore pertenui ac fluido, res omnis peragatur, idque motu partium violentiore; necesse omnino est, non solum, ut subito vel in salutem aegri, vel in mortem determinetur (prout scilicet natura vel materiam morbificam critice norit solvere, vel ab eadem oppressa fatiscat), sed etiam ut pejora, vehementioraque symptomata se ubique comites adjungant. Atque hujusmodi plane sunt morbi isti, quos *acutos* appellamus, qui velociter scilicet atque cum impetu et periculo ad statum moventur. Quamvis, si minus accurate, haud tamen minus vere loquamur, isti etiam morbi pro acutis sint habendi, qui, licet respectu paroxysmorum, si omnes simul sumantur, tardius moveant, respectu tamen paroxysmi cujuslibet particularis, cito, atque etiam critice ad finem perveniunt, quales sunt febres intermittentes omnes.

Ubi vero continens morbi materia ejus est indolis, ut febrem in partes suas pertrahere non valeat, ad dictae materiae separationem universalem; aut cum hujusmodi materia parti alicui adfigitur, quae eidem explodendae prorsus est impar, sive ob pro-

priam conformationem (uti se res habet in materia morbifica paralyticorum nervis impacta, in materia item suppurata in cavitate thoracis empyicorum) vel ob defectum caloris naturalis et spirituum, (ut cum pituita in pulmones decidit, vel senio vel tussi diuturniore labefactatos) vel denique ob continuum materiae novae affluxum, qua sanguis vitiatus, et ad ejusdem eliminationem unice dispositus, partem obruit gravatque: in his, inquam, casibus, vel tarde admodum ad coctionem pervenit materia, vel non omnino; adeoque morbi, ab hujusmodi materia inconcoctili provenientes, *chronici* et nuncupantur et sunt. A duobus his itaque principiis sibi invicem contrariis, de quibus modo egimus, morbi alii acuti, alii vero chronici exsurgunt.

Acutos quod spectat, quos in praesentiarum tractare mihi est animus, eorum alii a secreta atque inexplicabili aëris alteratione, hominum corpora inficientis, gignuntur, neque à peculiari sanguinis et humorum crasi omnino dependent, nisi quatenus occulta aëris influentia dictis corporibus eamdem impresserit: hi, durante arcana illa aëris constitutione, ultra pergunt lacessere, neque alio ullo tempore invadunt. *Epidemii* hi dicti sunt.

Acutorum alii ab hac vel illa particulari corporum particularium ἀνωμαλίᾳ oriuntur, qui cum a causa magis generali non producantur, ideo neque plures simul corripiunt. Hi insuper acuti quibuslibet annis, et quolibet anni tempore, indifferenter invadunt; exceptis tamen iis, quae dicemus, ubi de genere hoc peculiariter agetur. Hos ego acutos *intercurrentes* sive *sporadicos* appello, quia nullo non tempore contingunt, quo epidemii grassantur. Ab epidemiis primum exordium mihi sumam, generalem eorumdem historiam ante omnia proponens.

CAP. II.

De morbis epidemiis.

Nihil quicquam, opinor, animum, universae qua patet medicinae pomoeria perlustrantem, tanta ad-

miratione percellet, quam discolor illa et sui plane dissimilis morborum epidemiorum facies; non tam qua varias ejusdem anni tempestates, quam qua discrepantes diversorum ab invicem annorum constitutiones, referunt, ab iisque dependent. Quae tam aperta praedictorum morborum diversitas, tum propriis ac sibi peculiaribus symptomatis, tum etiam medendi ratione, quam hi ab illis disparem prorsus sibi vindicant, satis illucescit. Ex quibus constat, morbos hosce, utut externa quadamtenus specie, et symptomatis aliquot utrisque pariter supervenientibus, convenire paulo incautioribus videantur, re tamen ipsa, si bene adverteris animum, alienae admodum esse indolis, et distare, ut aera lupinis. Haud equidem satis scio, an diligentius examen (quali rite instituendo vix unius hominis brevis aetas par esse videatur) nos edoceret, epidemiorum alios continua quadam serie, ceu facto circulo, alios semper excipere; an vero omnes indiscriminatim, nulloque ordine, pro occulta aëris diathesi, et inexplicabili temporum ratione, mortales incessere. Hoc saltem pro comperto habeo, ex multiplici accuratissimarum observationum fide praedictas morborum species, praesertim febres continuas, ita toto, quod ajunt, caelo differre, ut, qua methodo, currente anno, aegrotos liberaveris, eadem ipsa, anno jam vertente, forsitan e medio tolles: quodque, ubi semel in geminam medendi rationem, quam haec vel illa febris species sibi vindicat, auspicato inciderim, ad eumdem scopum collimans (favente, ut fit, optimo numine) metam quasi semper attingam, respectu ad temperamentum, aetatem, et reliqua ejusmodi usquequaque habito; donec exstincta illa specie, novoque gliscente malo, anceps rursum haereo, qua mihi via insistendum, ut aegris subveniam; ac proinde, nisi ingenti adhibita cautela, intentisque omnibus animi nervis, vix ac ne vix quidem possum efficere, ne unus aut alter eorum, qui se primi meae curae commiserint, vita periclitetur; donec investigato jugiter, tandemque perspecto morbi genio, ad eumdem perdomandum recto pede et intrepidus denuo procedam.

Quamvis autem diversas diversorum annorum habitudines, quoad manifestas aëris qualitates, maxi-

ma, qua potui diligentia, notaverim, ut vel exinde caussas tantae epidemiorum vicissitudinis expiscarer, me tamen ne hilum quidem hactenus promoveri sentio; quippe qui animadverto, annos, quoad manifestam aëris temperiem, sibi plane consentientes, dispari admodum morborum agmine infestari, et vice versa. Ita enim se res habet. Variae sunt nempe annorum *constitutiones*, quae neque calori, neque frigori, non sicco humidove, ortum suum debent, sed ab occulta potius, et inexplicabili quadam, alteratione in ipsis terrae visceribus pendent, unde aër ejusmodi effluviis contaminatur, quae humana corpora huic aut illi morbo addicunt, determinantque; stante scilicet praefatae constitutionis praedominio, quae, exacto demum aliquot annorum curriculo, facessit atque alteri locum cedit. Unaquaque harum constitutionum generalium propria, ac peculiari sibi, febris specie, funestatur, quae extra illam nusquam comparet, cujusmodi febres idcirco *stationariae* nobis audiunt. Ad haec sunt et particulares quaedam ejusdem anni, ut ita dicam, crases, in quibus licet secundum manifestas aëris qualitates, ejusmodi febres, quae generaliorem anni constitutionem sequuntur, magis minusque epidemice grassentur, vel serius ocyusve ingruant; prae caeteris tamen ejusmodi febres, quae omnibus in universum annis competunt (quas ideo *intercurrentes* voco) ab hoc illove manifesto aëris temperamento ortum ducunt; verbi gratia, pleuritis, angina, et reliquae ejusdem farinae, quae a subito calore, intensius ac diuturnum frigus statim excipiente, plerumque invadunt. Potest itaque fieri, ut sensibiles aëris qualitates ad illas quidem febres producendas faciant, quae in qualibet constitutione se exerunt, non vero ad istas alias, quae certae alicui constitutioni quasi propriae, ac peculiares, existunt. Fatendum tamen est, praedictas aëris qualitates corpora nostra, ad hujus illiusve morbi epidemii generationem, magis minusve disponere; quod et de quocumque errore circa sex res naturales dictum volo.

Animadvertendum autem est, epidemiorum alios, in hoc aut illo anno, regulariter, et eodem semper modo, se habere, iisdem plane phaenomenis et conformi symptomatum agmine, in plerisque fere omni

bus, quos adoriuntur, stipatos; atque eadem prorsus via sibi fugam et exitum parantes. Ex his itaque tamquam in suo genere perfectissimis, vera et certa morborum epidemiorum historia ediscenda est, atque tradenda.

Sunt vero alii aliorum annorum morbi, qui licet epidemiorum insigniantur nomine, enormes tamen sunt, et perquam anomali, utpote qui nulli se typo patiuntur adstringi, et revera mali sunt moris, tum quoad incertam symptomatum varietatem certissimamque dissimilitudinem, tum quoad methodum, qua se ipsi expediunt et amoliuntur. Haec tanta illorum disparitas exinde oritur, quod scilicet quaelibet constitutio morbos parit, a morbis ejusdem generis, qui alio tempore grassabantur, multum abducentes; quod non tantum in febribus locum habet, sed in plerisque aliis epidemiis.

Neque hic finitur Orestes: restat enim et aliud, paulo subtilioris θεωρίας, luxuriantis, si fas est dicere, naturae lusus; quod nempe idem morbus in ipsissima anni constitutione varia saepe, et dissimili, se facie ostentat, quod ad tempora attinet principii, status, et declinationis; quod quidem tanti potest esse momenti, ut pro ejus arbitrio curativae indicationes ponendae, sumendaeve fuerint.

Porro observandum est, epidemios quoscumque in duos omnino ordines dispesci; vernos dico, et autumnales: et quamvis fieri potest, ut alia qualibet anni tempestate subnascantur, ad illam tamen sunt relegandi, ver autumusve fuerit, quam proxime contingunt. Accidit enim nonnumquam, aëris temperiem cum epidemiorum aliquo in tantum conspirare, ut, eo fautore, ante tempus sibi debitum miseros invadat; et e contra est, ubi tam parum illis inter se convenit, ut corpus praedispositum non nisi aliquamdiu post adgrediatur. Cum itaque ver dico vel autumnum, non de ipso statim aequinoctio, sive verno sive autumnali, ad amussim loquor.

Epidemiorum, qui verno tempore grassantur, alii mature admodum se ingerunt, mense scilicet Januario, et exinde pedetentim increbrescentes circa aequinoctium vernale ad statum perveniunt, a quo sensim imminuti circa solstitium aestivum evanescunt, nisi quod paucissimi postea forsitan hunc illumve pe-

tant. In horum numero sunt morbilli; ut et febres tertianae vernales; quae, licet serius aliquanto emergant, Februario nempe, tamen appetente aestivo solstitio pariter se subducunt. At vero alii vere orti, et de die in diem invalescentes, non nisi sub aequinoctium autumnale statum adipiscuntur, quo praeterlapso, paulatim cedentes, tandem adventante brumali frigore vertuntur in fugam; hujusmodi sunt pestis ipsa, et variolae, istis annis, quibus eorum utervis aliorum morborum praedominio fuerit potitus.

Cholera morbus ex epidemiorum autumnalium familia, mense Augusto exorsus, intra angustos unius mensis cancellos conclusus, percurrit sua tempora. Sunt tamen alii, qui, eadem tempestate prognati, usque ad hyemem excurrunt, v. gr. dysenteria, febres quartanae, et tertianae autumnales. Hi omnes, utut eorum aliquos, quos semel invaserint, longiori vel breviori tempore affligant, plerumque tamen intra duorum mensium spatium et nomen, et epidemiorum naturam, prorsus amittunt.

Febres autem speciatim quod attinet, observandum est, maximam earum partem, quae continuae sunt, nulla hucusque nomina, in quantum a constitutionis generalis influentia pendent, obtinuisse; appellationes autem, quibus dignoscuntur, ab insigni aliqua alteratione sanguini impressa, vel evidentiori symptomate, mutuari. Hac ratione putridae dicuntur, malignae, petechiales etc. Quandoquidem vero singula ferme constitutio praeter has, quas parturit febres, ad alium morbum aliquem magis epidemium, eodem tempore propagandum, proclivis est, celebrioris nominis, cujusmodi sunt pestis, variolae, dysenteriae, etc.; non satis video, cur istiusmodi febres non potius sortirentur nomina a constitutione, quatenus horum morborum alterutri producendo favet, eodem illo tempore, quo comparebant, quam a qualibet sanguinis alteratione, vel symptomate particulari, quae diversae speciei febribus pari jure possunt competere. Intermittentes vero nomina sibi desumunt ab intervallo paroxysmis interjecto; atque hoc quidem charactere satis discriminantur, si variarum etiam anni tempestatum quibus contingunt, veris scilicet et autumni, habeatur ratio. Licet nonnumquam earum aliquae de intermittentium natura

revera participent, nullo charactere admodum visibili easdem prodente. Ut cum praemature, Julio mense v. gr., intermittentes autumnales ingrediuntur atque increbrescunt, non statim genuinum typum induut, (quod intermittentibus vernis quidem solemne est) sed continuas febres ita per omnia imitantur, ut nisi castigatissimo utrasque examine trutinaveris, ab invicem discriminari non possint; at retuso paulatim constitutionis impetu, et fraenata vi, jam in typum regularem migrant; atque exeunte autumno, larva abjecta, intermittentes se esse, quales ab initio reapse fuerunt, palam fatentur; sive quartanae illae fuerint sive tertianae; quod si non diligenter animadverterimus, cum magno aegrorum nostrorum malo medicantes hallucinabimur, dum hujusmodi febres, quae ex intermittentium numero sunt, pro continuis veris et genuinis habeantur.

Porro, quod sedulo advertendum, quum plures aliquot horum morborum eumdem fatigent annum, unus eorum aliquis reliquorum praedominio potitur, caeteris in ejus quasi ditionem redactis, et parcius id temporis saevientibus, ita ut illo augescente imminuantur hi, eodemque rursus imminuto, mox recrudescant. Atque ita vicissim mortales lacessunt, prout anni genius et sensibilis aëris temperies huic aut illi magis suffragantur. Qui vero morbus circa aequinoctium autumnale maximopere furit et cumulatissimam edit stragem, totius anni constitutioni nomen impertit suum; quisquis enim fuerit morborum, qui ea tempestate prae caeteris invaluerit, principatum omnium, qui isto anno invadunt, obtinuisse facile deprehendetur, cujus ingenio epidemii, quotquot sunt *σύνχρονοι*, se accommodant, in quantum eorum fert natura: v. gr. cum variolae eo tempore latissime depopulantur, febris toto anno sparsim oberrans ejusdem plane inflammationis est particeps, quae variolas parit. Uterque nempe morbus ad eamdem fere normam adoritur, maximaque inter maxime propria utriusque symptomata intercedit cognatio, (excepta variolarum eruptione, et reliquis, quae ab illa pendent) ut ex ingenti illa tum ad salivam excernendam propensione, in qua utrique convenit, abunde constat. Pariter, cum dysenteriae dicto tempore praecipue fuerint grassatae, febris, quae eo an-

no infestat earumdem indolem non leviter aemulatur, (nisi quod illae caussam morbificam per sedes eliminent, et pauca alia exinde nascantur symptomata,) quod tum a consimili utriusque morbi insultu, tum etiam, quod utroque malo correpti, aphthis similibusque invicem symptomatis admodum sint obnoxii, satis evincitur. Et sane dysenteria, de qua agitur, ipsissima illa febris est; hoc tantum discrimine, quod introvertatur, et in intestina se exonerans per eadem viam sibi faciat. Notandum autem est, epidemiorum illum principem, qui sub aequinoctio autumnali, ceu rupto aggere torrens, omnia straverat, ingruente hyemis frigore intra suum se alveum condere; cum ex adverso epidemii inferioris ordinis, qui sub eo merentur, tunc temporis praesertim ingravescant et rerum potiantur, donec dictus anni princeps eorum vires denuo frangat et deleat nomen.

Postremo observandum est, quoties constitutio aliqua varias epidemiorum species parit, singulas has species genere ab illis differre; quae cum idem plane nomen sortiantur, alia tamen constitutione generentur. Quotcumque sint autem species illae peculiares, quae in una eademque constitutione invadunt, in communi una atque generali caussa, singularum productrice, omnes conveniunt, hac scilicet aut alia aëris diathesi peculiari, et ex consequenti, quantocumque ab invicem, quoad typum et formam specificam, intervallo distent, constitutio tamen omnibus communis, subjectam singularum materiam ad ejusmodi conditionem atque statum effingit, formatque, ut praecipua symptomata, quae ad particularem evacuationis modum nihil attinent, omnibus paria sint; singulis etiam in hoc conspirantibus, ut eodem pariter omnes tempore et intendant saevitiam et remittant. Notandum est insuper, quibus annis variae illarum species grassantur, uno eodemque tempore, eas omnes modo quo primum adgrediuntur, atque invasionis symptomatis, consentire.

Hinc itaque cernere est, variam admodum et accuratam naturae methodum, quam ad morborum generationem adhibet; quam nemo hominum, arbitror, hactenus pro rei dignitate satis observando est assecutus. Atqui ex pauculis hisce omnino conficitur,

(cum specificae popularium morborum differentiae, nominatim febrium arcanae annorum constitutioni innitantur) incassum desudare illos, quotquot diversarum febrium rationes a caussa morbifica, in humano corpore aggesta, deducunt; nam liquido patet, quemlibet, pancratice licet valentem, si certa quaedam hujus nostrae regionis loca adeat, febre ibidem grassante intra dies aliquot laboraturum: vix autem credibile sit, manifestam aliquam mutationem ab aëre praefati viri humoribus tam brevi impressum iri. Neque minus difficile est, generales regulas febribus his debellandis accommodare et certos aliquos limites figere, quos ultra citraque progredi, aut in iisdem consistere non liceat. In hac itaque tam spissa rerum caligine, nihil mihi prius est, quam, quando novae febres grassari incipiant, cunctari paulisper, et ad magna praesertim remedia non nisi suspenso pede, ac tardius procedere; diligenter interim illarum ingenium atque morem observare, quibus itidem praesidiorum generibus aegri juventur vel laedantur, ut quam primum his repudiatis illis utamur.

Verbo dicam: epidemiorum species omnes, juxta phaenomenωn suorum varietatem, in classes redigere, ac characteres cujusque idiopathicos enucleare, necnon propriam medendi rationem unicuique sigillatim accommodare, ut res est multi otii ac summe ardua, ita etiam cum nullo certo (aut saltem nondum explorato) annorum ordine emergant, ad justum de iisdem observationum apparatum congerendum fortasse unius medici aetas non sufficerit. At vero hic labor, ut ut sit improbus, prius est exantlandus, quam nos aliquid memoratu dignum, in extricanda tam multifaria horum morborum serie, praestitisse jure possimus gloriari.

At vero quibus demum modis rationem reddemus distinctarum specierum epidemiorum, qui non tantum, quatenus saltem nobis liquet, fortuito incursant, sed etiam, qui uno anno, aut certa aliqua annorum serie, ejusdem sunt generis, anno alio specie ab aliis alii distinguuntur? Nulla hic mihi umquam methodus aeque commoda est visa atque illa, quae per sufficientem annorum numerum protensa, eosdem illos ordine describeret, quo se invicem excipiebant et insequebantur. Quod ut jam pro meo mo-

dulo efficiam, historiam et curationes epidemiorum, qui ab anno 1661 ad annum usque 1676 (per 15 videlicet annorum spatium,) depopulabantur, ex accuratissimarum, quas mihi facere licuit, observationum fide orbi erudito tradam. Cum mihi impossibile plane videatur effectum id dare, vel caussas eorumdem exortus assignando, a manifestis aëris qualitatibus desumptas, vel multo etiam minus a particulari aliqua dyscrasia in sanguine atque humoribus, nisi in quantum secretae aëris influentiae illa deberetur. Quin et magis adhuc, si fas est dicere, impossibile fuerit, variorum epidemiorum species tradere, qui a specificis aëris alterationibus oriuntur, quantumvis in proclivi illud esse videatur, istis videlicet, qui febrium nomina attexere norint notionibus, in speculatione istarum alterationum, quae in sanguine humano, atque ejus humoribus, per hanc illamve principiorum degenerationem fieri possunt, male fundatis. Quo quidem pacto, cum non naturam sequamur, optimam semper ducem, sed conjectandi libidini indulgeamus, tot nobis erunt morborum species, quot comminisci placuerit: eam nobis interim arrogamus licentiam, quam nemo facile botanico concesserit, a quo, in describenda plantarum historia, sensuum requirimus testimonium, ac fidem, non rationis commentationem, quantumlibet ista polleat, atque aliis longe antecellat.

Haud equidem tantum mihi sumo, ut me, in his quae jam trado, omnem absolvisse numerum existimem, forte ne in recensenda quidem universa epidemiorum familia; multo minus in me recipio, ut qui morbi elapsis, de quibus nobis sermo est, annis, ordine infra dicendo se mutuo exceperunt, venturis saeculis eundem perpetuo servaverint. Unum hoc molior, ut, quo pacto haec se res habuit nuper, adstipulante paucorum aliquot annorum observatione, enarrem, quod ad has scilicet regiones spectat et hanc, in qua degimus, urbem; ut meam, qualis qualis sit, symbolam conferam ad opus inchoandum, quod, si quid ego judicando valeo, in maximum humani generis emolumentum cedet, ubi tandem a posteris, quibus integrum epidemiorum curriculum, venientibus annis sibi invicem succedentium, intueri dabitur, ad umbilicum perducetur.

CAP. III.

Constitutio epidemia annorum 1661, 62, 63, 64, *Londini.*

Anno 1661 febres autumnales intermittentes, quae jam ab aliquot retro annis obtinuerant, de novo vires redintegrabant (tertiana praesertim mali moris) sub initio Julii, et quotidie increbrescentes, mense Augusto quam immanissime debacchabantur, inque multis locis, correptis fere integris familiis, maximam hominum stragem edebant; dein vero sensim decrescentes, superveniente hyemis frigore, exstinctae sunt, perpaucos Octobri mense aggressae. Quae dictae tertianae famulabantur symptomata, illa, ab intermittentium tertianarum aliorum annorum symptomatis, his praesertim discriminabantur. Aegri paroxysmus atrocior, lingua magis nigra siccaque, extra paroxysmum ἀπυρεξία obscurior, virium et appetitus prostratio major, major item ad paroxysmum ingeminandum proclivitas; omnia summatim accidentia immaniora, ipseque morbus, quam pro more febrium intermittentium, funestior. Si quando aetate provectiores aut etiam cachecticos invasisset, quibus pariter vena secta, aut aliae quaevis evacuationes minuissent vires, nunc ad duos, nunc ad tres menses, perdurabat. Quartanae, rariores licet, febres jam descriptas comitabantur; utrisque vero primum brumae impetum non sustinentibus (neminem enim, ante intactum, feriebant) subsecuta est febris continua, ab intermittentium autumnalium genio in hoc tantum abhorrens, quod hae statis solum temporibus, illa continenter urgebat. Etenim eodem ferme modo aegrotos adoriebantur; qui utrisque pariter vehementer laborabant, vomituriebant, cum partium externarum siccitate, siti, linguae nigredine; et sudoribus, sub morbi finem, materia morbifica in utrisque promptissime exterminabatur. Quinimmo vel hinc liquebat, febrem hanc ad autumnalium intermittentium classem attinere, quod raro admodum surgente anno compareret. Dicta itaque febris continua intermittentium quasi compendium quoddam, et e contra singuli earum paroxysmi compendium hujusce mihi videbantur; atque adeo discrimen in hoc maxime

versari, quod continuae conceptam semel effervescentiam συνεχῶς eodemque semper tenore perficerent; intermittentes autem, partitis vicibus, ac diversis temporibus, eadem defungerentur. Quanto autem jam tempore praedicta febris continua invaluerat, dicendo non sum, quum mihi hactenus satis fuerat ad generalia febrium symptomata attendere, utpote qui nondum vel juxta varias annorum crases, aut ejusdem anni varia tempora easdem distingui posse animadverteram. Hoc saltem scio, unicam fuisse continuae febris speciem usque ad annum 1665; ac intermittentes autumnales, quae ad illum usque annum frequentes incursabant, jam deinceps rarissimas occurrisse.

Sed ut ad rem redeamus: febris illa tertiana, quae dicto anno omnia longe, lateque fuerat praedata, eodem elapso intra angustiores limites se continuit; insequentibus vero autumnis quartanae epidemiis reliquis praedominabantur, stante hac aëris constitutione. Quartanis semper post autumnum vela contrahentibus, febris continua (quae per hoc omne tempus, parcius licet, se immiscuerat) jam inclementius debacchabatur ad usque ver, quo tempore febres intermittentes vernales succedebant; quibus, ad calendas Maji pariter fatiscentibus, variolae hinc et inde sparsim se ostendebant; quae denuo ad conspectum epidemiorum autumnalium (febrem continuam volo et quartanas) terga dabant victoribus. Hoc ordine morbi epidemii integram hanc aëris constitutionem pervadebant, et se mutuo insequebantur. De his mihi sermo erit in specie, et nominatim tum de febre hac, tum etiam de intermittentibus, sive ver sive autumnum attinerent, quibus haec constitutio prae caeteris infamabatur.

Telam ordiar ab hac febre continua, quae aliarum, quotquot sunt, omnium praecipua et coryphaea mihi videtur; eo quod natura in hac, prae aliis quibuscumque uniformiter et ad eamdem fere normam, tum materiam febrificam ad debitam concoctionem perducat, tum coctam certo ac praefinito tempore exigat, eliminetque. Ad haec, quandoquidem illae annorum constitutiones, quae intermittentes autumnales promovent, communibus annis multo saepius recurrant, quam illae, quae ad caeteros epidemios

faciunt, necessario sequitur, ut quae illas comitatur febris continua frequentius accurset. At praeter symptomata, quae caeteras febres stipabant, dicta febris sequentibus insuper urgebatur: aeger plerumque animam tantum non agebat, vomituriebat, lingua sicca et nigra, ingens ac subitanea virium consternatio, et partium externarum siccitas. Urina ubique vel crassa, vel tenuis, utraque ex aequo cruditatis indicium. In morbi declinatione, diarrhoea, nisi forte medicus principio obstitisset, superjungebat; unde morbus, pervicacior redditus, diutius adfligebat. Sed suopte ingenio, ac propria indole, vix ultra diem 14 vel 21 perdurabat; quo primum tempore, oborto sudore, vel potius leni madore, morbus solvebatur: neque prius urinae coctionis signa prodibant, quod jam utplurimum eveniebat. Quin et alia superveniebant symptomata, quoties hic morbus minus perite tractabatur. At vero tum haec, tum etiam omnis morbi genius, clarius elucescent ex peculiari methodo, quam olim huic febri accommodaveram, quam itaque huc transferam, (saltem quod ad rem nostram apprime faciat) prout jam dudum typis evulgaveram; quo quidem tempore nondum mihi innotuerat, aliam aliquam febris speciem in rerum natura inveniri.

CAP. IV.

Febris continua annorum 1661, 62, 63, 64.

1. Primo quidem adverto, inordinatam illam massae sanguineae commotionem febris hujus seu causam, seu comitem, a natura concitari, vel ut heterogenea quaedam materia, in eadam conclusa, ac ipsi inimica, secernatur; vel ut sanguis in novam aliquam diathesin immutetur.

Atque in hoc negotio magis arridet latius et generalius commotionis vocabulum, quam vel fermentationis, vel ebullitionis; quippe quod inanis *λογομαχίας* occasionem praescindat, quam fortassis istiusmodi voces (quae etiamsi explicationem non incommodam admittant, tamen minus propriae, ac nonnihil duriores nonnullis videntur) haud satis cave-

rent. Quamvis enim cruoris in febribus commotio, liquorum vegetabilium alias fermentationem, alias etiam ebullitionem aemuletur: non desunt nihilominus, qui eamdem non uno modo ab utraque plurimum differe arbitrantur. De fermentatione unum alterumve ab illis sumatur exemplum. Primo, licet fermentescentia liquida vinosam quamdam indolem ita nancisci soleant, ut spiritum ardentem ex iisdem destillatio eliciat, atque in acetum facile desciscant, quod ipsum insigni acore pollet, et spiritum acidum destillando exhibet; neutram tamen ejusmodi mutationem in sanguine hactenus observatam fuisse contendunt.

Deinde adverti volunt, quod cum in liquoribus vinosis fermentatio et depuratio eodem tempore peragantur, et quasi paribus passibus procedant, depuratio tamen sanguinis in febribus ejusdem aestuationem non comitetur, sed consequatur, id quod in paroxysmo febrili per sudores soluto, vel oculorum testimonio, patere existimant.

Quod autem ad ebullitionem attinet, difficilior illis haec videtur analogia, quaeque experientiam habet summopere refragantem, in multis nimirum casibus, quoties non adeo effraenis est cruoris orgasmus, ut ebullitionis appellationem mereri possit. Verum utut sit, (neque enim hisce controversis me ullatenus immisceri patiar:) quandoquidem fermentationis et ebullitionis vocabula apud recentiores medicos plurimum invaluerunt, ego quoque eadem subinde usurpare non dubitaverim, dummodo ex jam dictis satis constet, voces istas in hoc tractatu clariori solummodo dicendorum explicationi inservire.

Porro febrilem hanc sanguinis commotionem, ob materiae cujusdam heterogeneae, ipsique naturae adversantis secretionem ab eadem concitari, omne genus febrium malignarum testatum facit; utpote in quibus istius ebullitionis sanguinis beneficio fit excretio ad cutim excrementi in eodem latitantis, et prava qualitate affecti.

Quinimmo nec, mea quidem sententia, minus liquet, febrilem sanguinis commotionem saepe (ne dicam saepius) non alio collineare, quam ut ipse sese in novum quemdam statum, et diathesin immutet, hominemque etiam, cui sanguis purus, et intaminatus perstat, febri corripi posse; sicuti in corporibus

sanis evenire, frequenti observatione compertum est, in quibus nullus apparatus morbificus, vel quoad plethoram, vel quoad cacochymiam fuerit, nulla insalubris aëris anomalia, quae febri occasionem subministraret. Nihilominus etiam hujusmodi homines, praecedente insigni aliqua aëris, victus, caeterarumque rerum non naturalium (ut vocant) mutatione, identidem febre corripiuntur; propterea quod eorum sanguis novum statum, et conditionem adipisci gestit, qualem ejusmodi aër, aut victus, postulaverint; minime vero, quod particularum vitiosarum in sanguine stabulantium irritatio febrim procreet. Etsi nequaquam dubitem, materiam in sanguinis despumatione post febrilem commotionem, solemniter excretam, vitiosam esse, quamvis sanguis laudabilem antea diathesin obtinuerat: id quod vix magis mirandum est, quam quod esculentorum portiones aliquot corruptae, et foetidae evadant, postquam insignem in corpore alterationem subierint, ac jam a reliquis segregatae fuerint.

II. Secundo ita mecum reputo, indicationes veras, ac genuinas, quae in hoc morbo consurgunt, in eo versari, ut sanguinis commotio intra modum naturae proposito congruentem sistatur; ea nimirum ratione, ut nec hinc plus aequo gliscat, unde periculosa symptomata insequi solent: nec illinc nimium torpeat, quo pacto vel materiae morbificae protrusio impediretur, vel sanguinis novum statum adfectantis labefactarentur conatus. Adeo ut sive materiae heterogeneae irritanti, sive cruori res novas molienti febris ortus debeatur, indicatio utrobique eadem existat. Hisce positis fundamentis therapiae methodum hoc ritu instituo.

Quoties mihi cum aegris res est, quorum sanguis vel per se imbecillior existit (uti fere in pueris), vel justa spirituum copia destituitur (ut in decliviore aetate, atque etiam in juvenibus diuturno aliquo morbo confectis), a venae sectione manum tempero. Enimvero, si phlebotomiam his imperarem, sanguis etiamnum, citra ejusmodi imminutionem, plus satis debilis, despumationi suae obeundae prorsus impar redderetur; unde totius massae perversio, ac proinde forsan ipsius aegri interitus sequeretur; quemadmodum si cerevisiae aut alius cujusvis musti fermenta-

tio intempestive sistatur, liquores illi vitium plerumque contrahunt. Quippe particularum, quas semel exterminare coeperit, quaeque, tametsi dum reliquae cruoris massae aequabiliter immiscerentur, purae exstiterant, jam vero putredinem deterrimam acquirere, et caeteros humores gravi inquinamento inficere, habiles evaserint, consortium natura ferre amplius non potest. Quamquam haud me latet, aegros temeraria sanguinis missione mulctatos, convenientium cardiacorum usu aliquando servari, sanguinemque ad tenorem defaecationi suae peragendae idoneum restitui posse. Sed praestiterat plagam non infligi, quam sanari.

Attamen ubi in contrariae indolis sanguinem incido, qualis in juvenibus athletico habitu, et temperamento sanguineo praeditis reperiri consuevit, primum in curatione locum phlebotomiae attribuo; quae (praeterquam in casibus inferius memorandis) sine salutis periculo hic omitti nequit. Nam alias non solum prae nimia sanguinis ebullitione, phrenitidum, pleuritidum, aliarumque id genus inflammationum periculum immineret, sed prae copia etiam, impeditio omnimoda circulationis, et totius massae quasi strangulatus consequeretur.

Mensuram quod attinet, mihi solemne est eam duntaxat sanguinis quantitatem detrahere, quantum conjicere liceat, quae aegrum ab incommodis, quibus immodicam ejusdem commotionem obnoxiam esse diximus, incolumem praestet. Aestuationem vero illam deinceps rego ac moderor, phlebotomiam vel repetendo, vel omittendo; cardiacis calidis vel insistendo, vel parcendo; ac denique alvum vel laxando, vel compescendo, prout motum illum vel efferari, vel languescere animadverto.

Post venae sectionem (siquidem ipsa juxta casus praememoratos necessaria fuerit) solicitus, sedulusque inquiro, numquid aegrum vel vomitus, vel inanis aliqua vomendi propensio, sub febris initium interturbaverit. Id si contigerit, omnino medicamen emeticum praescribo, nisi vel aetas tenella, vel insignis aliqua debilitas aegri ab eo temperandum suaserit. Sane vomitorium propinare, ubi istiusmodi praegressa est vomendi proclivitas, adeo est necessarium, ut, nisi humor ille expellatur, in sentinam

complurium malorum difficilium sit abiturus, quae crucem figent medico, toto durante medicationis tempore, aegrumque in haud leve periculum conjicient. Ex horum praecipuis, et maxime solitis est diarrhoea; quae ut plurimum in defervescentia febris consequitur, quotiescumque emetica, quando ea suadebat indicatio, omissa fuere. In febris quippe progressu, ubi malignum in ventriculo humorem nonnihil subegerit natura, et ad intestina amandaverit, illa ab acri humore, ex hoc in stomacho fonte perpetim scaturiente, usque adeo corroduntur, ut non possit non insequi diarrhoea.

Observavi nihilominus in febribus, quae vere malignae haberi debent, omissionem vomitorii, tametsi talis vomendi propensio praecesserit, diarrhoeam, quemadmodum in aliis quibusvis febribus, necessario non inferre; sed de ista re plura in sequentibus.

Jam autem in eo versatur istiusmodi diarrhoeae periculum, quod aeger, satis jam morbo debilitatus, enervatur ulterius, et praeterea (id quod majoris est in ipsius noxam momenti) in febris declinatione, quo tempore contrahere se sanguis, ac vim suam exerere, debebat, ad despumationis officium peragendum, penitus praepeditur hac emissione.

Jam vero nequid dubites, humorem hunc in ventriculo nidulantem, nisi forte vomitu eliminetur, hanc tragoediam (diarrhoeam dico) quasi ex insidiis aliquanto post daturum; inquisitione instituta nunquam fere non comperies, si quando febrim diarrhoea comitetur, aegrum in morbi principio in vomitum proclivem fuisse, nec tamen emeticum fuisse propinatum. Porro etiam compertum habebis, etiamsi proclivitas illa ad vomendum jam pridem praeterierit, diarrhoeam tamen, quam primum vomitorium exhibueris, plerumque cessaturam; dummodo emetico ferendo pares fuerint aegri vires. Saepius autem observavi, diarrhoea semel oborta, medicamenta adstringentia vel nihil omnino, vel parum admodum, ad eamdem sistendam conferre, sive introsumpta, sive exterius applicata.

Emeticum, quale passim a me propinatur, hujusmodi fere est: Rec. Infus. Croc. Metall. drachm. una, Oxymel. scillit. et Syr. scabios. comp. aa. unc. sem. M. F. Emet. Quod hauriri jubeo tempore pomeri-

diano, duabus horis post leve prandium. Verum quo tutius, ac felicius vomitio subsecutura succedat, illud etiam in mandatis habetur, ut Zythogalae libraevj, vel viij. sint in promptu; quippe quod periculosa sint ista medicamenta, nisi copiose diluantur; ideoque quoties vomuerit aeger, aut alvum exoneraverit, e vestigio sumendus erit haustus: quo facto, et inania illa tormina praecaventur, et vomendi conatus auspicato procedunt.

Saepe miratus sum, dum forte materiam vomitu rejectam aliquando curiose contemplabar, eamque mole valde spectabilem, nec pravis qualitatibus insignem, qui factum fuerit, ut aegri tantum levaminis exinde senserint; nempe vomitu peracto, saeva illa symptomata (nausea, v. g. anxietas, jactationes, suspiria luctuosa, linguae nigredo, etc.) quae et ipsos excruciarant, et adstantes perterrefecerant, mitigari solent ac solvi, quodque morbi reliquum est εὐθύμως tolerari.

Illud hic loci non omittendum erit, si aegri conditio utrumque auxilium postulaverit (venae sectionem intelligo, et vomitorium), tutum omnino esse, ut venae sectio emetici exhibitionem praecedat; alias enim dum vasa sanguine distenta sunt, periculum imminet, ne, ex violentis illis vomendi conatibus, vel rumpantur vasa pulmonum, vel cerebrum laedatur, affuso cum impetu sanguine atque effuso, adeoque aeger apoplexia correptus pereat. Cujus rei quamvis historias aliquot commemorare possim, illis tamen hic supersedere visum est, monuisse contentus, maxima hac in re cautela utendum esse.

Si quis autem quaerat, quo tempore febris vomitorium exhiberi velim? dico in ipso plane febris initio, siquidem optio daretur, emeticum propinarem: ita enim fiet, ut ab horrendis illis symptomatibus, ex humorum in ventriculo, locisque vicinis, delitescentium illuvie ortum ducentibus, aegrum praemuniamus; immo vero et fortasse in ipsis quasi incunabulis opprimamus morbum, qui alias cum aegroti periculo grandescet, ac longaevus evadet; nutritus nimirum dictis humoribus, qui, vel substantia sua in penitiores corporis partes transmissi, cum sanguinis massa commiscentur, vel ex ipsa mora pejores facti, atque venenata pravitate inquinati, ex

foco suo jugiter pertranseunti sanguini malignam auram adflabunt. Hujus rei (ne longius abeamus) cholera morbus exemplum nobis exhibet; fit enim aliquando, ut, intempestiva opera, vomitum in illo morbo cohibere satagentes, (sive illud laudano fiat, sive adstringentibus medicamentis) eo cohibito, non minus periculosam malorum catervam invehant. Humores enim acres, corruptique, quorum exclusionem tantisper permittere oportuerat, ut satis evacuarentur, hoc pacto repulsi vires suas, ac saevitiam in sanguine exercent, febremque accendunt, quae ut mali moris, et gravibus symptomatis stipata, esse solet, ita, nisi propinato emetico, tolli vix poterit, etiam aegro jam ne quidem vomituriente.

Quod si nobis (ut saepe fit) sero accersitis non licuerit emeticum propinando aegrorum saluti sub febris initium consulere; certe tamen convenire existimaverim, ut quovis morbi tempore illud fiat, modo vires eo usque morbus non attriverit, ut emetici vim ferre jam amplius nequeant. Equidem ego die febris duodecimo vomitum imperare non dubitavi, etiam cum aeger vomiturire desiisset, neque sine fructu; eo namque diarrhoeam sustuli, quae sanguinem in peragenda despumatione impedivit, quin et prius idem facere minime dubitarem, nisi virium attritarum ratio prohiberet.

Vesperi, celebrata jam vomitione, semper illud ago, ut tumultum ab emetico in humoribus excitatum consopiam, et quietem conciliem; ideoque sub noctem, vel hora somni paregoricum quempiam haustum exhiberi jubeo. Ex. g. Rec. Aq. Papav. rhoead. unc. duas, Aq. Mirab. drachm. duas, Syr. de Mecon. et Syr. Papav. errat. aa. unc. sem. M. F. haustus.

At si vel ob copiosam sanguinis jacturam, quam curationis decursu passus est aeger, vel ex vomendi frequentia, dejectionibusque in emetici hujus usu factis, vel ex praesenti ejusdem ἀπυρεξίᾳ, vel ex debilitate ejus, vel ex febris jam declinantis vetustate, nullum jam supersit inposterum concitandae nimiae ebullitonis periculum; tum, metu procul habito, vice haustus praescripti, diascordii satis largam dosin vel inpermixti, vel aquae alicui cardiacae sociati, exhiberi jubeo; praeclarum sane medicamentum, modo

ea quantitate exhibueris, quae remedii potius quam tituli mensuram impleat.

Hic autem loci, priusquam de emeticis dicendi finem faciam, praetereundum non est, omnino tutum non esse (saltem in hac febre), vomitoria ex infus. Croc. Metall. parata puerulis, ullisve infra adolescentiam constitutis, vel minima quantitate exhibere. Optarem equidem, ut illius loco alia nobis tutiora, sed satis interim efficacia, suppeterent, quae humorem hunc, in febris declinatione fere semper diarrhoeam minitantem, radicitus exstirpare possint; vel saltem ut, medicamento aliquo idoneo, acrem istam materiam, ejusque vim corrosivam, ita mutare liceret, ac retexere, ut commovere diarrhoeam nequiret. Saepius profecto mihi molestum illud accidit, quod ad infantes, puerosque febre correptos accersitus, indicationem conspexi, quae quidem medicamenti usum suasit, cujus ope extra periculum collocari potuissent: quod tamen exhibere, veritus infelicem exitum, non sum ausus. Verum in adultis nullam inde noxam hactenus observavi, modo cum cautionibus praedictis emeticum propinetur.

Vomendi exantlato negotio, illud mecum ulterius disquirere soleo, utrum, evacuationibus praegressis non obstantibus, sanguis etiamnum adeo exaestuet, ut illius effervescentiae limites adhuc ponendi sint, ac sufflamen addendum; an vero eo usque elanguerit, ut indigeat incitamento; vel denique, an fermentatio ad gradum idoneum, ac debitum reducta permitti sibi absque aegri periculo possit. De horum singulis nonnulla mihi dicenda sunt.

1. Itaque si sanguis eo usque exaestuet, ut merito adhuc suspicari liceat, aegrum vel phrenitidi, vel alii alicui molesto symptomati, ex nimia sanguinis ebullitione prognato, obnoxium esse, postridie emetici exhibiti enema praescribo. Ut Rec. Decocti communis pro clystere libr. j. Syr. violarum et Sacchari culinaris, aa. drachm. duas M. F. Enema. Idemque repeti pro re nata jubeo, quo saepe fit, ut sanguine nonnihil ventilato, refrigeratoque, illius effervescentia satis compescatur. Interdum tamen usu venit, ut venae sectionem etiam semel adhuc atque iterum repetere necesse sit, nempe in temperamentis admodum sanguineis, et aetate florentibus, aut in iis,

qui, nimio vini usu inflammatoriam quamdam diathesin sanguini suo impresserunt. Verum plerumque tanto, tamque insigni remedio, quale quidem est repetita venae sectio, non opus est; ac proinde, si praedictos casus exceperis, effervescentiam illam enematum adminiculo satis reprimemus. Quare si sanguis nimium aestuet, atque effervescat, singulis, vel alternis diebus, prout res postulaverit, clysterem injici jubeo, idque ita fieri ad decimum usque morbi diem, vel circiter. Verum tamen si magna vis sanguinis missa fuerit, vel aeger sit aetate provecta, tunc temporis enemata nulla impero, etiamsi sanguis multum efferbuerit. In his etenim casibus, uti metuendum non est, ne omissis clysteribus, ebullitio concepta eo usque procedat, ut insignis alicujus, et infesti symptomatis periculum immineat; ita certissimum est, eorundem usu sanguinis robur, ac vim, atque (ut ita dicam, etsi minus proprie) tonum relaxari, eatenus quidem, ut in senibus praecipue (neque enim illis enemata tam prospere, ac juvenibus cedere solent) naturae opus interturbetur, atque impediatur. Quod si vena secta quidem fuerit, sed non multum sanguinis emissum, tunc, uti dixi, clysteres ad usque decimum, plus minus, diem impero; nonnumquam etiam ad usque duodecimum; quod in illis praesertim obtinet, quibus sanguinem demere non audeo. Sunt enim, qui post intermittentes autumnales (sive tertianae fuerint illae, sive quartanae,) febribus continuis ex purgationis, in praecedentis morbi fine, defectu corripiuntur. His si sanguinem miseris, periculum est, ne sedimentum tum illud, quod praegressa fermentatio deposuerat, in massam sanguineam resorbeatur, novasque turbas excitet. Venae sectionis itaque loco, rebus ita se habentibus, clysteribus utor, et quidem ad diem usque duodecimum, modo aeger sit juvenis atque fermentatio nimis exaltata.

2. Verum e contrario, sive venae sectionem adhibueris, sive omiseris, si sanguinis effervescentia nimis elanguescat, adeoque stimulo egeat, ne naturae juvandae impar fuerit; tunc equidem a clysteribus etiam ante diem decimum, multoque magis eo praeterlapso, prorsus abstinendum arbitror. Quorsum enim jacentem jam, et nimis elanguidam, fer-

mentationem ulterius compescere atque reprimere conaremur? Quod si vero post tempus illud, in morbi nempe declinatione, clysteribus utaris, profecto non minus absonum id fuerit, atque ab omni ratione alienum, quam si quis effervescenti cerevisiae nimis amplum spiraculum aperuerit. Etenim aperto illo spiraculo praepeditur natura, quo minus ad morbificae materiae separationem, unitis viribus, incumbat. Postquam igitur, vel mediantibus evacuationibus idoneis, atque opportunis, aeger ἔξω βελῶν positus fuerit, quantum ad illa symptomata attinet, quae ex nimia ebullitione nascuntur, vel morbus jam declinaverit, quanto magis adstrictam illi alvum praestitero, tanto magis eum extra periculi aleam colloco; nempe febrili materia ad sui concoctionem suaviter, ac blande propendente. Quocirca, si praecedentes evacuationes sanguineae massae quasi laxitatem quamdam induxerint, vel inducere minentur, vel aeger ante debitum tempus febre levatus fuerit, vel etiam febris ad ultimam suam periodum pervenerit, non solum enemata procul haberi volo, sed et cardiacorum opem atque auxilium suggerendum arbitror, atque mox ad alvum adstringendam memet accingo.

Cardiaca vero quod spectat, quoniam usu mihi compertum est, eadem propere nimis exhibita non contemnendam noxam inferre, (vena scilicet nondum secta, metuendum est, ne materia cruda adhuc existens in cerebri membranas, etc. aut pleuram decumbat) ideo curae mihi semper est, ne cardiaca exhibeantur, dummodo vel nihil omnino, vel parum sanguinis emissum, nullaque alia insignior evacuatio facta fuerit, aut aeger aetatis vigorem nondum exegerit; neque enim video, quorsum sanguis ejus, per se satis locuples, ulterius in ipsius perniciem ditesceret: locuples autem atque opulentus satis est, neque succendiculis eget, quamdiu evacuationes insignes calorem ejus insitum non prostraverint. Hujusmodi aegris domi nascuntur cardiaca, et quae foris adduntur, aut frustanea sunt, aut etiam damnosa: quapropter ego vel nulla omnino, vel saltem levissima permiserim. Interim vero si aeger ex profusis evacuationibus lassus et languidus, vel aetate fuerit provectus, solemne mihi est, cardiaca, vel in ipso febris initio, propinare: morbi autem die duodecimo,

negotio tunc temporis ad secretionem vergente, medicamentis calidioribus liberalius indulgendum censeo; immo paulo maturius idem fieri potest, modo non metuendum sit, ne febrilis materia in partes principes praeceps agatur. Namque hoc tempore, quo magis calefecerim, eo magis concoctionem acceleravero. Neque revera cogitando assequi possum, quid sibi velint medici, cum sua praecepta toties ingeminant de remediis ad promovendam febrilis materiae concoctionem administrandis, id quod in morbi initio accersiti saepe faciunt; nihilominus tamen, eodem ipso tempore, medicamenta ejusmodi imperare non dubitant, quae febrim scilicet adtemperare possint. Profecto enim est febris ipsa naturae instrumentum, quo partes impuras a puris secernat: hoc illa, modo plane imperceptibili, praestat ab initio, atque etiam in ἀκμῇ morbi: verum in ejusdem declinatione apertius, atque manifestius idem opus adgreditur, id quod ex urina cernere licet. Materiae febrilis concoctio nihil aliud revera significat, quam peccantis materiae a sana separationem. Hanc igitur ut acceleres, non satagendum nescio quibus adtemperantibus, sed febris effervescentia tamdiu permittenda est, quamdiu salus aegrorum passa fuerit; cum autem finem spectat, atque declinationem secretione jam conspicua, tunc quidem calidioribus medicamentis illam a tergo insequemur, ad rem eo celerius, ac certius perficiendam. Atque hoc reipsa est, febrilis materiae concoctionem promovere; cum evacuationes et refrigerantia moras nectant, et curationem impediant, ipsamque sanitatem jam adpropinquantem abigant, uti saepius a me fuit observatum.

Si fermentatio satis progrediatur, despumatio circa diem decimum quartum peragetur: verum si refrigerantia quaelibet serius adhibueris, atque ita eorum ope effervescentia sufflaminetur, mirum non est, si febris ad diem vigesimum primum, quin et in effoetis corporibus, male tractatis, multo longius excurrat.

Illud porro observatu dignum est, quandoque accidere, ut aeger clysterum, aliorumve catharticorum usu, circa declinationem morbi intempestive praescriptorum, parum allevari videatur, immo nonnumquam apyrexia omnimoda frui; post diem autem unum, alterumve senties, non tam pristinam febrim vires

suas redintegrasse, quam novam accendi; rigor nimirum, atque horror, subito invadet, quem mox excipiet calor atque febris, idem stadium (nisi forsan in intermittentium classem se reponat) decursura, quod in praecedentibus monstratum fuit. Cum ita se res habeat, non aliter tractandus est aeger, quam si antea febre non detentus fuisset, verum quoad res agendas calcata jam vestigia repetenda; despumatio enim, quae coeptae jam ebullitioni debetur, non nisi praedicti temporis, scilicet 14 dierum spatio peragetur, utcumque molestum fuerit aegro, a praegresso morbo satis jam debilitato, eousque sanitatem exspectare.

Cardiaca, quae adhibeo, passim sunt ejusmodi, quae statim subindicabo, quorum moderatioribus utor in morbi principio, aestuatione maxime fervente, gradatim ad usum calidiorum, juxta morbi progressum, vel ebullitionis gradus, pergens; semper memor licere, siquidem multum sanguinis missum, vel aeger senex fuerit, ut cardiaca fortiora administrentur, quam cum vel nulla praecesserit venae sectio, vel aeger aetate floruerit.

Moderata autem illa, quae dixi, cardiaca fiunt ex aquis stillatitiis (verb. gr.) Borrag. Citr. Scord. compos. Fragor. Theriacal. cum admixtis Syrup. Melissophyll. Fernel. Caryophyll. et de succo Citr. etc. Fortiora vero ex pulvere e Chel. Cancror. comp. Bezoar. Confect. de Hyacinth. Theriac. Androm. aliisve ejusdem indolis. Quae sequuntur in frequenti usu sunt.

Rec. Aq. Borrag., Citri, Scordii compos. et Cerasor. nigr. aa. unc. duas, aq. Cinnamomi hordeati unc. un. Margarit. praeparat. drachm. duas, Sacchari crystall. unc. duas, vel q. s. Misce, sumat cochl. iv. saepius in die, praecipue in languoribus.

Rec. Aq. totius Citri, et Fragor. aa. unc. tres. Aq. cord. frig. Saxon. unc. un. aq. Theriac. stillat. Syr. Melissophyll. Fernel. Caryophyll. et de succo Citri aa. unc. sem. Misce F. Julapium, de quo capiat saepius.

Rec. Pulv. e chel. Cancrorum compos. Lap. Bezoardici or. et occ. Contrayervae, aa. scrup. un. fol. Auri, n. j. Misce F. pulvis subtilissimus: Capiat ad quant. gr. xij. quoties opus fuerit; ex syr. e

succo Citri, et Caryophyll. aa. drachm. duab. superbibendo cochl. aliquot Julap. praescript.

Rec. Aq. Theriac. stillat. unc. IV., semin. Citri drachm. duas Contundantur simul et F. Emulsio. Colaturae adde sacchari perlati q. s. ad gratum saporem. Sumat cochl. duo ter in die.

Plures vero formulas recensere supervacaneum arbitror, quoniam et innumerae sunt, aut esse saltem possunt, et in morbi decursu, juxta varia ejus tempora ac diversa symptomata, variandae sunt.

3. At si fermentatio neque nimium aestuet, neque langueat, eam in isto gradu relinquo, nec ullis remediis utor, nisi aegrorum vel amicorum, quibus stipantur, importunitas a me aliquid extorqueat; quod ipsis citra instituti, et scopi mei fraudem placeat.

Atque hoc loco non praetermittam, me saepius ad tenuis conditionis homines, quorum crumena prolixo apparatui medico ferendo non erat, accersitum nil fecisse aliud post venae sectionem, et vomitionem peractam (siquidem eas postulasset indicatio) nisi quod ipsis praescriberem, ut toto morbi tempore lecto defixi, non nisi juscula avenacea et hordeacea, vel similia haurirent; tenuem cerevisiam dempto frigore moderate biberent ad sitim sedandam; enema ex lacte saccharato singulis, vel alternis diebus usque ad diem decimum, vel undecimum injici curarent; et versus febris finem, coepta jam separatione, siquidem segnior esset, ad eam juvandam fortiorem subinde potum, cardiacorum loco, bibere ipsis permisi. Atque ita sine ulteriore aliquo apparatu, nisi quod leve catharticum, in fine morbi, addere soleam, eos salvos, et incolumes dimisi.

Sed ut ad institutum meum revertar, si praedicta methodus sollicite observata fuerit, usitato circa 15 diem, tum ex laudabilis in urina separationis signis, tum etiam ex manifesta omnium symptomatum remissione, percipio tempestivum tunc esse potionem purgantem exhibere, quae sedimentum e praegressa fermentatione hic illic depositum subducat; quod nisi tempestive factum fuerit, periculum est, ne in sanguinis massam remigret, ejusdemque febris recidivam conciliet, vel etiam sua in partibus naturalibus, ad quas amandatum fuit, mora, in mineram tenacium deinceps in corpore malorum feracem abeat. Nimi-

rum, separatione jam facta, humores crassi ac impuri, ex arteriis sanguini in venis refluo immissi, regressum ejus facile impediunt, ex quo varia obstructionum, ac tandem fermentorum genera nascuntur.

Ubi tamen animadvertendum, non adeo plane necessarium esse, post febres vernales, atque post autumnales, purgationem celebrare, idque propterea, quod sedimentum a vernalibus depositum, tum copia, tum qualitate terrea malignaque ab autumnali superetur. Quod ipsum etiam in variolis obtinet, multisque morbis aliis, verno tempore grassantibus, in quibus purgantium omissio non tam grave periculum (quod ego quidem observaverim), quam in casibus prius memoratis, inferre solet.

Et sane non multum is a veritatis scopo aberraverit, qui affirmaret ab hoc capite (purgandi scil. post morbos autumnales omissione) plurium morbórum colluviem, quam ab ullo alio, quo demumcumque caussarum fonte, dependere.

Si valde debilis sit aeger, vel alioquin perfecta adeo depuratio facta non fuerit, ut audacter possim purgans exhibere die decimo quinto, rem differo ad decimum septimum; quo tempore sequentem, vel similem, pro ratione aegri virium, potionem propino. Rec. Tamarind. unc. sem. fol. Sennae drachm. duas, Rhabarb. dr. unam c. sem. Coq. s. q. aq. Colaturae unc. tribus dissolve Mannae, et Syr. rosac. aa. unc. un. Misce, F. Potio: capiat mane.

Purgatione peracta, aegrum, hactenus lecto, ex praescripto meo, defixum, surgere, et paulatim ad pristinam victus rationem reverti jubeo. Ea quippe, quam ad hoc usque tempus praescripsi, eadem propemodum est cum illa, quam modo commemorabam, uti juscula avenacea, et hordeacea; panatellae ex pane et vitello ovi, in aqua cum saccharo confectae; juscula tenuia ex decocto pulli; cerevisia tenuis lupulata, cui quandoque, aestuante ardore febrili, immisceri potest succus aurantiorum recens expressus, et super ignem ad cruditatis tantummodo sublationem coctus, et his similia; quamvis juscula avenacea sint instar omnium. Negare vero cerevisiam tenuem, quae subinde in mediocri quantitate sumatur, severitas est minime necessaria, immo saepenumero etiam detrimentosa.

Accidit interdum (maxime in senibus) aegrum fe-

bri jam curata, et corpore satis jam superque purgato, nihilominus valde debilem esse; et quandoque tussi, interdum etiam screatu magnam glutinosi, viscosique phlegmatis copiam expectorare: quod symptoma non tantum aegro terrorem injecit, sed et ipsi medico, praesertim minus cauto, imposuit, eumque in opinionem induxit, quasi affectus iste phthisi viam sterneret; licet observaverim ego, rem adeo periculosam non esse. Hoc in casu aegrum jubeo vinum malaganum annosum, vel falernum, sive muscatum, cum pane tosto ei immisso bibere, quod crasin sanguinis, multum praegressa aestuatione debilitati, (proindeque nuper ingestorum succis assimilandis imparis) corroborans, symptoma illud paucorum admodum dierum spatio abigit, ut crebra experientia mihi constat.

Hac ipsa, quam proposuimus, ratione aegrum a multis affectibus, symptomatibusque, quae malignitati tribui solent, tutum praestabimus; cum nihil magis solitum sit medicis, in arte sua minus exercitatis, quam, quando medicamentis nimis refrigerantibus, vel usu enematum intempestivo, crasin sanguinis ita relaxarint, naturamque in perficienda sanguinis depuratione, adeo debilitarint, ut animi deliquia, aliaque symptomata (quae genuina sunt ejusmodi impedimentorum arte positorum effecta) contingant, malignitati culpam transscribere: at si diuturnitas, in quam abierit morbus, eum ab hoc vitio vindicet, tum quidquid eos in medela deinceps fatigat, id scorbuto acceptum referunt; quamvis reipsa neque symptomata, quae accidebant, quamdiu vigebat morbus, malignitatis erant effecta; neque ea, quae contigerunt in declinatione ejus, scorbuti, sed utrumque rei male gestae debetur; quemadmodum crebro id a me observatum est.

Non quod ego, aut quisquam alius, qui morborum historiam vel delibaverit, nescius esse possit, febres esse, quae non intemperie sola, aut putrido tantum calore, sed etiam maligna qualitate (cujus signa evidentissima in aegris non possunt non apparere) constent; vel etiam quod inficias eam, complicari aliquando cum febre scorbutum et complures alios morbos posse; hoc tantum dico, has affectiones immerito saepe in litem vocari.

Si fermentatio sanguinis rite processerit, fiet omnino materiae morbificae despumatio intra tempus modo dictum. At si remedia refrigerantia, vel enemata serius exhibita fuerint, multo longius excurret febris, praecipue in hominibus grandaevis, male a medico curatis; ad quos quandoque accersitus, postquam febri per quadraginta dies et amplius laboraverant, nihil non expertus fui, quo despumationem sanguini inducerem: sed nempe usque adeo debilitatus erat sanguis partim senio, partim enematibus, et medicamentis refrigerantibus, ut neque cardiacis, neque ullis aliis corroborantibus remediis scopum meum assequi possem; sed vel illorum febris virium suarum tenax permanebat, vel alioqui, si adesse videretur ἀπυρεξία, vires aegrorum admodum prostratae erant, et tantum non emortuae.

Aliorum autem remediorum successu frustratus, alio consilium vertere saepe coactus fui, cum successu non vulgari; nempe adolescentulorum vivum vegetumque calorem aegris adplicando. Nec est, quod quis multum miretur, hac methodo, licet inusitata, aegrum tantopere corroborari, naturamque debilitatam juvari, ut semet a materiae secernendae eliminandaeque reliquiis exoneret; cum proclive sit intelligere, insignem effluviorum vegetorum copiam a sano et athletico corpore in corpus aegri exhaustum transfundi. Neque unquam comperi iteratam calentium linteorum applicationem ullatenus id praestare valuisse, quod modo praescripta methodus praestitit; ubi calor applicatus tum magis est humano corpori congener, tum simul blandus, humidus, aequalis perennisque. Atque haec ratio, spiritus et halitus, forsitan balsamicos, in aegri corpus immittendi, ex eo, quo ipse illam adhibui, tempore, licet aliena primum videretur, ab aliis cum successu felici fuit adhibita: neque profecto me pudet hujus remedii meminisse, tametsi petulci quidam homines, atque arrogantes, omniaque vulgaria ingenti supercilio contemnentes me forsitan hoc ipso nomine adspernabuntur. Ego enim proximi mei commodum, ac salutem vanis illorum opinionibus longe anteferendam censeo.

Methodus hactenus enarrata, si quis illam prudenter, et cum destinato animi consilio observave-

rit, aegros, si non ab omnibus, saltem a plerisque molestis illis symptomatibus immunes praestabit, quae hanc febrem vel comitari, vel eidem supervenire solent, quaeque medicum animi ancipitem, atque saepe in curationis decursu consilii pene expertem reddunt; immo et illius curae commissos non raro e medio auferunt, etiamsi morbi natura mortem non interminari visa sit. Sed quandoquidem vel aegrorum culpa, medicum non satis opportune accersentium, vel ipsius medici minori sive peritia, sive cautela ejusmodi accidentia saepissime oborta cernuntur, non gravabimur peculiarem eorumdem curam summatim hic attingere; verum ad ea tantum symptomata me restringam, quae, tametsi saepenumero praeverti potuerint, modo via atque ordine praedicto quis usus fuisset, cum tamen semel acciderint, diversam quamdam sibique propriam curam postulant.

Phrenitis.

Atque (ut hinc ordiar) si aeger, vel calidiora medicamenta minus propere, atque intempestive sumendo, vel calido nimis temperamento sua natura fretus, in phrenitidem prolapsus fuerit; vel (quod proxime illuc accedit) si non omnino dormiat, saepe exclamet, aut inconditis vocibus utatur, si vultu ac loquela ferociat, si medicamenta, potumve communem avide et quasi raptim bibat, vel denique urinam habeat suppressam; in hoc, inquam, casu, liberaliori manu, quam supra indulsi, ad venaesectionem, clysteres, ac medicamenta refrigerantia, me accingo, verno tempore praesertim, (quo etiam alias, symptomate hoc non apparente, juvenes atque vegeto calore praediti ejusmodi auxilia sine multo discrimine admittunt); atque talibus remediis utens, aegrum eousque sustinere conor, donec in diuturnitatem aliquam adfectus excurrat, quo tempore non admodum difficile erit, eum et a morbo et a symptomate una eademque opera liberare: id quod fiet narcoticum aliquod medicamentum in largiori paulo dosi exhibendo. Quamvis enim, febre vigente, quae *ναρκώσεως* vi praedita sunt, non omnino prosint, neque destinatum a medico scopum feriant; tamen opportune, et in declinatione morbi adhibita praeclaros effectus edunt: antea vero prodesse non pos-

sunt, partim quia fermentationem vi atque impetu procurrentem sistere nequeunt, etiam in maxima dosi exhibita; partim vero (quod quidem majoris adhuc momenti est) materiae peccanti, tunc temporis massae sanguineae aequabiliter admistae, neque versus separationem adhuc vergenti, ab exhibito hujusmodi medicamento manus injicitur, adeoque depuratio illa tantopere expetenda impeditur. Verum sive haec ratio sit hujusce phaenomeni, sive alia aliqua magis abstrusa, judicent illi, quibus animus atque otium est talia speculari. Interim ex fideli, atque idoneo observationum plurimarum complexu rem ipsam certissimam esse pronuncio, laudanum, vel alia quaevis narcotica in principio, augmento, vel statu hujus febris ad symptoma hoc levandum vel non prodesse omnino, vel, quod saepe accidit, etiam obesse; verum in ejusdem morbi declinatione eadem mediocri dosi adhibita non sine successu usurpari. Semel equidem narcotico die morbi duodecimo usus sum, nec frustra; citius autem numquam prospere exhibitum novi. Quod si autem illius usum ad decimum quartum usque diem distuleris, tanto magis proficuum evadet, separatione nempe perfectiori tum facta. Neque vero haec mora, tametsi forte adstantes magnopere perterrefaciet horrendum hoc symptoma, mortem statim subinfert; cum saepe observaverim, hanc rem plerumque inducias ferre posse ac solere, donec ad narcotica descendere fuerit opportunum; saltem si caveatur, ne cardiacis, calidisque medicamentis adhibitis, intemperies coepta accendatur uberius, quo casu aegri subito pereunt. Narcotica, quibus ego uti soleo, sunt vel Laudanum Lond. ad gr. un. vel sequens: Rec. flor. Paralys. M. j. Coq. s. q. aq. Cerasor. nigr. Colaturae unc. tribus dissolve Syr. de Meconio unc. sem. succi Limonum cochl. sem. Misce. vel Rec. aq. Cerasor. nigr. unc. sem. Aq. Epidemiae drachm. duas, Laudani liquidi gutt. xvj. Syr. Caryophyll. drachm. un. Misce.

Illud unicum hic addere placet, quod ad hanc rem observasse non inconsultum arbitror; nempe si symptoma hoc eousque inducias ferat, et febris adeo in diuturnitatem abeat, ut aeger ante adsumptum narcoticum commode purgari possit, medicamentum illud tanto felicius effectum suum editurum. Quo-

circa ego imperare soleo Pil. coch. maj. scr. duos in aq. Betonicae dissolut., atque hoc 10 vel 12 horis ante narcotici exhibitionem. Neque metuendum est a tumultu illo, quem calidior illa massa pil. alias excitare solet; subsequentis enim narcotici vis pensabit illas turbas, et quietem suavissimam, blandissimamque inducet.

Quod si vigiliae ultra febrem excurrant, cessantibus aliis symptomatibus, observavi, linteum in aqua rosarum immersum, et frigide sincipiti, ac temporibus adplicatum, plus quam narcotica quaevis prodesse.

Tussis.

Saepe accidit, aegrum per totum morbi decursum tussi molesta divexari; nimirum commota vehementer ac tumultuante sanguinea mole, omnibus jam ad seditionem et partium studia spectantibus, fit, ut humores quidam soluti diffluentesque e massa sanguinis per vascula pulmonaria, vel etiam per diapedesin in tracheae membranam interiorem, teneriorem scilicet atque exquisito sensu praeditam, transferantur: hinc tussis oboritur, quae primo sicca est, quoniam tenuis adhuc materia vim expultricem eludit; mox crassescit, atque expectoratu difficilis evadit; eo, quod sensim febrili calore torreatur, atque assetur: hinc fit, ut suffocationis metu percellatur aeger, utpote cui vires desunt ad lentam hanc, viscidamque materiam tussi eliminandam. Ego in hoc affectu raro alio aliquo medicamento utor, praeter oleum amygdalarum dulcium recenter expressum, nisi forsan acciderit, [accidit autem aliquoties] ut aegrotus oleum prorsus aversetur; tunc enim vulgaribus illis pectoralibus, ut licet, opem ferre conamur. Interim oleum illud amygdalarum, siquidem illo per aegrum uti licuerit, bechicis aliis anteponendum censeo, ob eam caussam praecipue, quod cum necesse sit, haec liberalius, et majori quantitate exhibere, modo prodesse velimus, hoc pacto ventriculum, jam satis superque debilem, et ad nauseam proclivem oneramus; nonnumquam etiam eadem opera praepedimur, ne reliqua, eodem ipso tempore transigenda procuremus. Neque vero satis aut intellectu assequor, aut experientia edoctus sum, cur ab hujus olei, quod jam di-

ximus, usu in febribus abhorreamus, eo quod scilicet inflammabile sit, adeoque metuendum, ne febrim adaugeat. Fac enim, illud sua natura calidum esse, certe tamen calor ille tantus non est, ut aliunde non abunde pensetur: prae caeteris enim manifesta vi pectori conducit, aperitque vias ac lenit, adeoque expectorationem promovet; qua [praesertim si copiosior acciderit] tum exoneratur sanguis a molesto humore, commode jam excreto, tum eadem opera nonnihil refrigeratur; adeoque me non admodum male habet, si quando viderim symptoma hoc intercurrere, cujus beneficio non parum etiam aegro beneficii accedit. Illud unicum nunc moneo, una eademque vice tutum non esse, totis cochlearibus hoc oleum exhibere; periculum enim est, ne et ventriculo nauseam, et alvo fluxum inducamus: parce itaque, sed frequenter, interdiu noctuque propinandum erit, quo non solum expectoratione facta tussim leniemus, verum etiam, quod alicujus momenti est, attritas aegri vires blando nutrimento nonnihil solabimur.

Narium haemorrhagia.

Fit nonnumquam, ut haemorrhagia narium superveniat; sive quod medicamenta nimis calida in morbi initio fuerint exhibita, sive quod ebullitio non satis coërcita fuerit, aegro nempe vel in florenti aetate constituto, vel anni tempestate coadjuvante. Hoc si fiat, non admodum juvabunt ea, quae ad sistendum sanguinis motum vulgo fieri consueverunt, qualia sunt venae sectiones, ligaturae, medicamenta adstringentia, atque adglutinantia, vel etiam sanguinis acrimoniam contemperantia etc. Quamvis enim pro medicorum consilio, ac prudentia his atque hujusmodi aliis uti liceat; in eo tamen cardo rei vertitur, ut idoneo aliquo medicamento sanguinis ebullitioni fraenum imponatur, quod sistat, figatque illius impetum, in praecipitia quaeque ruentem. Verum quidem est, si symptoma seorsim spectetur, ea quae supra enumeravimus [ac venaesectionem potissimum] accommoda satis esse: nec ego ipse dubitarem iisdem uti; sed nempe symptomatis hujus caussam, saltem si phlebotomiam exceperis, non satis attingunt, quam profecto non majori ratione per praedicta (licet) tollere, quam si gladio ignem exstinguere satageres. Ego

itaque in hoc casu, frustra aliis tentatis, tale quidpiam adhibere soleo, quale nunc subnectam. Rec. Aq. Portulacae, et Papaveris erratici aa unc. un. c. sem. Syr. de Meconio drachm. vj. Syr. Paralyseos unc. sem. M. f. Haustus. Nolim autem haec ita intelligi, quasi haemorrhagiam quamlibet ita statim curari velim, quin potius illa saepe permittenda est, atque aegro plurimum prodesse potest, partim nimiam ebullitionem reprimendo, partim etiam critice aliquando morbum solvendo. Atque revera parum proderit huic symptomati fraenum praedictum aptare, priusquam illud aliquantisper excurrerit, vel etiam priusquam vena in brachio secta fuerit. Illud diligenter advertendum est, hanc ipsam, atque alias omnes immodicas haemorrhagias peculiare illud obtinere, quod quamprimum illae quomodocumque sedatae fuerint, nisi leniens aliqua purgatio celebretur, metus est, ne recidivam aeger patiatur; proindeque purgandum erit, quamvis [si febris tempora spectentur] serius aliquanto id fieri soleat, atque debeat, nisi symptoma hoc accesserit.

Singultus.

Hoc symptoma plerumque senibus accidit post copiosas evacuationes, vel per secessum ex diarrhoea, vel maxime per vomitiones, atque saepenumero mortem prae foribus adesse denunciat. Ingenue fateor, me mihimet ipsi de singultus caussa disquirenti satisfacere non posse; nihilominus observavi, saepe illum ex turbis, ac tumultu, ab asperioribus medicamentis in ventriculo, locisque vicinis, excitato, ortum ducere; quibus sedandis, atque in pristinam pacem reducendis, cum naturae vires non suffecerint, fit ut ingens periculum immineat: proindeque consentaneum existimavi, curam eo dirigere, ut, quod natura per se nequibat, artis adminiculo suffulta perficeret. Diascordium igitur larga dosi exhibitum, nempe ad drachm. duas, a scopo meo non aberravit; cum semine anethi, aliisque, quae tamquam specifica decantantur, usus nihil profecissem.

Diarrhoea.

Si in morbi hujus decursu diarrhoeam obortam conspexeris, quae (uti jam alicubi supra p. 38 notavimus)

accidere tum solet, cum in morbi initio vomitorii propinandi indicatio se obtulit, neque tamen illud propinatum fuit; dico in hoc casu convenire, ut quovis morbi tempore (nisi vires contra indicaverint) emeticum exhibeatur, etiamsi jampridem illa ad vomendum propensio praeterierit. Quoniam autem hac de re satis, opinor, in superioribus pagellis a nobis dictum est, illud hoc in loco duntaxat annectam, quid facto sit opus, si, exhibito licet emetico, nihilominus diarrhoea superveniret. Quod tamen oppido rarum est, nisi in febre inflammatoria, ubi vomitorium hoc symptoma non solum non impedit, sed quandoque creat, quod notatu dignum est. Itaque cum sic se res habuerit, prae quibusvis adstringentibus hujusmodi clysterem profuisse comperi. Rec. Cort. Granator. unc. sem. Ros. rubr. pug. duos; Coq. in lactis vaccini s. q. Colaturae ℔ sem. dissolve Diascordii unc. sem. M. F. Enema. Non suaserim, ut majore quantitate clysterem injicias; quamvis enim propria vi adstrictionem polliceatur, metuendum tamen est, ne sua mole lacessat intestina, adeoque fluxum alvi, quem consopire animus erat, uberius provocet.

Sed forsitan objiciet his aliquis, magis e re videri, ut, praesertim declinante morbo, diarrhoeam, si quidem acciderit, permittas potius, quam sistas; quandoquidem fluxus ille alvi nonnumquam criticus est, morbumque solvit. Respondeo, me non inficias iturum, fieri aliquando, ut febris per hanc portam sibi viam faciat, atque effugiat; verum illud rarius accidit, quam ut illius spe quicquam moliamur: quin et ratio illa, qua de medela febrium universim loquuti, fluxus hujusce sistendi necessitatem ostendere conati sumus, etiam hic omnino locum obtinet. Nunc autem illud addendum est, mea quidem sententia, animadversione non indignum, nempe ad genuinam sanguinis depurationem, non tantum necessariam esse illam quarumdam partium secretionem, quae per faeces fit, sed requiritur etiam, ut secernantur aliae, tamquam flores; id quod in aliis etiam liquoribus opulentis, atque heterogeneis quotidie cernimus. Itaque si diarrhoeae nimium indulseris, mediam solummodo depurationem, tantopere expetitam, procurabis, atque etiam forsan, quod postremo in loco rejiciendum erat, primo excernetur. Fateor equidem,

separatione illa per flores jam facta (quae, ut obiter id attingam, sensim, et sine sensu peragi solet, atque plerumque paulo pleniori διαπνοῇ potius, quam sudore manifesto) diarrhoeam, si forte acciderit, periculi non multum interminari. Sciendum tamen est, illam tum non aliunde accidere, quam quod purgatio, subducendis faecibus dicata, non opportune exhibita fuerit; quae quidem faeces, mora sua fermenti alicujus maligni indolem adeptae, intestina jam ad excretionem irritant, stimulantque; ut omittam dicere, liquidissimam illam excrementorum consistentiam (tali enim forma plerumque visuntur) satis indicare, ea pro critica morbi solutione habenda non esse.

I l e u s.

Forsan etiam inter symptomata febribus supervenientia recenseri potest *Iliaca passio*, eo quod vomitus enormes, qui initio febrium accidere solent, huic occasionem quandoque subministrent.

Horrenda haec adfectio est, et hucusque omnium fere judicio funesta, ex intestinorum motu inverso, ac praepostero originem ducens. Nimirum intestinorum fibrae, quae a superioribus versus inferiora contrahi debent, contrahuntur ad superiora, et, quaecumque in intestinis continentur, non versus alvum, sed ventriculum protruduntur, et impetu facto ad os regurgitant; adeo ut enemata, quantumcumque acria, emetica evadant, uti etiam cathartica, per os assumpta, per vomitum subito excernuntur. Et, mea quidem sententia, exquisitus ille, ac intolerandus dolor, huic morbo superveniens, non aliunde oritur, quam ex praepostero intestinorum motu modo dicto. Cum enim sinus illi, quos multiplices intestinorum circumvolutiones constituunt, ita a natura formati sint, ut ad descensum faecum quam aptissime conducerent, cum ii, inquam, motui suis fibris contrario cedere cogantur, exoritur inde praedictus dolor; qui quidem uni parti instar terebelli infigitur: cum aut valvula, quae ad initium coli opposita excrementorum ad ileon regressum impedit, aut alia quaevis membrana, ad sinum pertinens, vim huius praeposteri impulsus sola sustinet.

Hujus vero inversionis, unde dolor ille exoritur,

duplicem caussam adsignare licet. Obstructionem nempe, vel irritationem.

Primo igitur, quaecumque intestina vehementer obstruunt, ut nihil per inferiora descendere valeat, hunc contrarium in intestinis motum ut producant, necesse est, et nemini non notum. In horum censum ab auctoribus referri solent faeces induratae; flatus crasi magna copia collecti, ac intestina velut in nodum convolventes; constrictio intestinorum in hernia; inflammatio denique; aliique tumores magni, qui cavitatem internam intestini occludunt. Interim vero haud negandum, quod motus contrarius, hisce caussis originem debens, potius ingestorum, quam intestinorum motus habendus; neque haec totius intestinorum ductus inversio est, sed illorum tantum, quae supra sedem istius obstructionis sita sunt. Quam ob caussam affectio iliaca hinc profecta a me notha appellatur.

Secundo vero opinor, quod in adfectu iliaco caussa inversionis peristaltici intestinorum motus ut plurimum ita se habet. Nimirum ex tumultuante sanguine, in febre nuper concepta, in ventriculum et proxima intestina deponuntur humores acres et maligni, ex quibus ventriculus primo motum suum invertere, ac violento impetu materiam molestam in eo contentam per os rejicere cogitur: ventriculi tandem motui validiori intestina tenuia, ipsi continua, jam debilitata cedunt, et cum his demum majora in consensum trahuntur, vomituriente ventriculo quasi choream ducente. Hunc affectum verum ileum voco, et ille hujus loci est. Methodus eum curandi hactenus fere incognita fuit, quicquid nonnulli jactent de usu argenti vivi et globulorum, quae, praeterquam quod parum conducunt, noxam saepe haud contemnendam inferunt. Ego cum felici successu hac methodo utor.

Quando liquet ex clysteribus per os rejectis, et aliis signis, verum esse ileum, tunc in haec tria enitor: 1. Ut contrarius iste ventriculi motus, qui similem motum in intestinis efficit, impediatur. 2. Ut intestina acri humore debilitata corroborentur. 3. Ut ventriculus ac intestina ab istis humoribus liberentur. Quibus indicationibus ut satisfaciam, curationem hoc ritu instituo. Primo, salis Absynthii scrup.

un. ex cochleari uno succi limonum mane, et sero sumendum praescribo; intermediis vero temporibus aquae menthae stillatitiae sine saccharo, aliove quovis additamento cochlearia aliquot bis quaque hora propino; cujus vel solius repetito usu et vomitus, et dolor ex eo natus subito evanescent. Dum haec fiunt, catulum viventem nudo ventri indesinenter accumbere jubeo. Postquam vero dolor cum vomitu per spatium bidui, triduive omnino cessaverit, tum Pil. coch. maj. drachm. un. in aqua Menthae dissolutam exhibeo; quam etiam aquam, quo certius vomitus recursum praevertam, toto catharseos tempore saepius sumendam injungo. Neque catulus removendus, antequam usum pilularum aeger adgrediatur.

Observavi, frustra pilulas istas, vel quodvis aliud catharticum, utcumque forte, propinari, donec ventriculo corroborato, atque adeo ad motum naturalem reducto, intestina etiam ad proprium motum aeque reducta fuerint. Alias enim cathartica omnia intus assumpta emetica evadent, et plus damni quam commodi inferent. Inde est, quod remediis purgantibus viam facere non adgredior, donec per spatium quoddam medicamentis istis, ventriculum respicientibus, usus fuerim.

Victum valde tenuem aegro praescribo, ita ut nonnisi cochlearia aliquot jusculi, ex pullo gallinaceo parati, sorbenda bis vel ter in die permittam. Interim vero, ut per totam aegrotationem in lecto decumbat jubeo, donec perfectae sanationis signa appareant; ac etiam post sanationem, per longum tempus, in praedictae aquae usu persistere, et laneis duplicatis ventrem a frigore bene defendere impero, quo minus recidiva fiat, cui hic affectus prae omnibus aliis est obnoxius.

Pauca haec universam meam in curando hoc affectu methodum exhauriunt; quam a nemine consulto ob simplicitatem suam, et splendidioris sive verborum, sive pharmacorum apparatus defectum, adspernatum iri confido.

Atque haec sunt illa symptomata, quae in febre hac occurerre solent. Sunt autem et alia quaedam, quibus memorandis nunc supersedebimus; partim quidem, quoniam ea minoris momenti sunt, partim

vero, quod peculiarem nullam curationem postulent, febre enim rite tractata sponte sua cessant.

De febre continua hujus constitutionis, ac de symptomatibus ejus hactenus.

CAP. V.

Febres intermittentes annorum 1661, 62, 63, 64.

Quandoquidem, ut jam sumus praefati, quae praedictos annos omnes constitutio pervasit, producendis omnium generum intermittentibus tam egregie favit, quas tum de illis feci observationes haud indiligentes, hic impertiam. Addam insuper et quae de paucis illis intermittentibus observavi, quae ab illo deinceps tempore sporadice contigerunt, quo minus orationis filum, insequentium deinceps annorum historiam complectentis, cogar intercidere.

Primo loco, quo naturam illarum atque genium conjectura saltem assequamur, advertendum est, quod in paroxysmis febrium intermittentium haec tria tempora spectanda sunt. 1. Tempus exhorrescentiae. 2. Tempus ebullitionis. 3. Tempus despumationis. Et quidem ad exhorrescentiam quod attinet, ut de his rebus summatim loquar, ego illam exinde oriundam arbitror, quod materia febrilis, quae nondum turgescens a massa sanguinea utcunque assimilata fuerat, jam tandem non solum inutilis, verum et inimica naturae facta, illam exagitat quodammodo, atque lacessit: ex quo fit, ut naturali quodam sensu irritata, et quasi fugam molita rigorem in corpore excitet atque horrorem, aversationis suae testem et indicem. Eodem plane modo, quo potiones purgantes a delicatulis assumptae, aut etiam toxica incaute deglutita horrores statim inferre solent, aliaque id genus symptomata. Natura itaque hoc pacto irritata (ut ad tempus ebullitionis jam transeamus) quo facilius hunc hostem a suis cervicibus depellat, fermentationem adgreditur, solemnem nempe machinam, qua in febribus, et quibusdam aliis acutis morbis uti consuevit, cum sanguinis molem ab intestinis inimi-

cis liberare conetur: hujus enim effervescentiae beneficio disjunctae peccantis illius materiae partes, quae sanguini aequabiliter admixtae fuerant, adgregari quodammodo incipiunt, adque adeo leviori opera subigi possunt, ut ad despumationem opportunae evadant. Et quidem ut hoc fiat, vel ex eo plurimum referre constat, quod qui ex febribus intermittentibus moriuntur, siquidem in paroxysmo pereant, in primo illo tempore (exhorrescentiae scilicet) fato fungantur; nam si ad tempus effervescentiae pertigerint, saltem pro illa vice non moriuntur. Atque per haec duo tempora res aegrorum in angusto versantur; quibus elapsis, tertium tempus, quod despumationi dicatum est, insequitur; quo succedente, symptomata omnia primo leviora fiunt, atque tandem plane evanescunt. Despumationis autem nomine nihil aliud significatum volo, quam materiae febrilis jam subactae, et quasi devictae expulsionem, seu separationem; atque illud, quod separatur, partim (ut in aliis liquoribus cernere licet) florum, partim faecum rationem et sortem obtinet.

His ita positis, videamus quomodo fiat, ut redeat paroxysmus, quandoquidem aegrorum sors in vado jam constituta videtur. Nimirum febrilis materia nondum tota emigravit, sed, quemadmodum apum embrya statis temporibus sensim succrescunt, ita latens haec materia pro typorum ratione denuo caput effert, ac novum negotium naturae facessit, idem stadium decurrens, quod in praecedentibus modo ostendimus. Nunc autem si quis a me caussam quaesiverit, cur fomes ille delitescens, effervescentia praecedenti non satis subactus, ac proinde cum reliqua materia peccante non expulsus, proindeque novas tragoedias daturus, non eodem modo in omni febre intermittenti progrediatur (nam nunc unum, nunc duos, nunc tres dies exigit, priusquam ad maturitatem perveniat, novumque paroxysmum excitet,) de hac re, inquam, si quis mihi negotium exhibeat, ego plane me nescire fateor. Neque vero quisquam alius, quod sciam, in hac caussa tam praeclare se gessit, ut arcanum hoc opus naturae satis enarrasse videatur. Ego philosophi nomen non ambio, et qui titulum illum se mereri existimant, atque me fortassis hoc nomine culpandum putabunt, quod in haec pene-

tralia non irrumpere conatus sim, moneo illos, ut in aliis naturae operibus, quae ubique nobis obversantur, vires suas experiri velint, antequam aliis dicam scribant. Libenter enim quaesierim, cur equus ad ἀκμὴν suam pertingat septem annorum spatio, homo 21? cur in plantarum regno, haec mense Majo, illa Junio, ista alio florere soleat? ut innumera alia nunc sileam. Quod si doctissimos quosque viros non pudeat, suam ignorantiam in his rebus palam fateri, non video, cur mihi vitio verti debeat, si in re non minus difficili, atque forsitan prorsus inexplicabili, manus ab αἰτιολογίᾳ abstineam: quippe cum persuasissimus sim, naturam non minus hoc loci, quam in aliis quibuscumque methodo quadam certa atque ordine progredi: quartanosa enim (ut sic dicam) ac tertianosa materia non minus naturae legibus subjacet, iisque regitur, quam alia corpora qualiacumque.

Cum rigore atque horrore in universum intermittentes omnes incipiunt, cui mox calor succedit, atque huic deinceps sudor; per utrumque paroxysmum, tum illum quo riget aeger, tum quo plus satis incalescit, vomiturit ut plurimum, vehementer aegrotat, cum siti et lingua arida, etc. Quae quidem symptomata iisdem omnino gradibus recedunt, quibus provehitur sudor, quo uberius prorumpente paroxysmus solvi videtur. Satis recte valet, qui modo aegrotabat, donec paroxysmus periodo sibi consueta denuo recrudescat; in quotidiana scilicet quolibet νυχθημέρῳ, in tertiana alternis diebus, in quartana tertio quoque die, calculatione videlicet facta ab unius paroxysmi initio ad initium subsequentis: licet haud raro ingeminentur posteriores duo, ita ut tertiana quolibet die invadat; quartana per duos dies continuos, tertio quidem ab insultu libero manente: quandoque etiam ter tribus diebus continuis infestet, cum triplex quartana est; morbo ab isto, quem primum assumpsit, typo nomen sortiente.

Quae sane paroxysmorum reduplicatio nonnumquam a materiae febrilis excessu, activitateque nimia producitur, quo in casu paroxysmus adventitius primarium antevertit; nonnumquam etiam a virium prostratione, cum in aegro nempe nimium illae fuerint dejectae, et paroxysmi vigor retusus, sive refrigeratione intensiore, sive etiam evacuationibus

praeter modum effusis: in hoc vero casu, cum paroxysmus adventitius primarium insequitur, mitius insuper, neque ita prorsus diu, atque alter, aegrum affligit. In priore instantia materiae turgescentia sive ὀργασμὸς tardius revertentem, et sibi debitam periodum nequaquam praestolatur, ac proinde aliquanto praematurius despumatione sua defungitur: in posteriore autem, cum sanguis non jam ea vi polleat, quae materiae febrili uno impetu excutiendae sufficiat, mox alium de novo paroxysmum substituit, quo ejus reliquias e sinu suo exturbet. Quinimmo e duabus hisce caussis sibi invicem adversantibus, forte etiam pendet tam paroxysmorum anticipatio in febre intermittente ordinaria atque regulari, quam eorumdem tardior accessio; quarum utraque in his febribus frequenter occurrit, quae νυχθήμερον omne percurrunt, vel solitum paroxysmi tempus anticipantes, vel eo serius accedentes.

Febrium autem intermittentium quaedam veris sunt, quaedam autumni: quamvis enim in tempestatibus intermediis nonnullae oboriantur; quoniam tamen illae et minus frequentes sunt, et ad praedictas reduci possunt (illas nempe, quibus magis adpropinquant), idcirco omnes sub duobus hisce generibus, vernalibus nempe atque autumnalibus, complectar. Tempora, ad quae particulariter ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ referuntur, menses sunt Februarii, atque Augusti; licet quandoque maturius invadant, tardius etiam nonnumquam; prout scilicet uberior, parciorve in aëre apparatus vel ad easdem producendas facit, vel officit, et ex consequenti magis etiam minusve epidemie depraedantur. Cujus rei exemplum habemus satis obvium in febribus intermittentibus autumnalibus anni 1661, quo anno memini foeminam quamdam, aedibus meis vicinam, primo quartanae suae paroxysmo, ipso scilicet Johannis festo, correptam fuisse. Et complures alii circa idem tempus praematurum febribus illis correpti fuere, quae postmodum adeo epidemiae evaserunt; quod argumento est, magnum tum fuisse in ista, quae tunc obtinebat, aëris temperie ad istos morbos apparatum, qui deinceps procedente anno stipatiores grassabantur.

Et quidem usque adeo necessaria est haec febrium distinctio, ut nisi eamdem in praxi sedulo contem-

plemur, neque de earum duratione, prognostico aliquo rite facto, quidquam pronunciare, neque commodo regimine aegrorum corpora curare poterimus, habita tum tempestatum, tum naturae febrium diversae ratione. Verum quidem est, febres utriusque tempestatis ingenium non plane dissimile nancisci, sive modum spectes primi insultus, qui cum horrore primum incipit, mox in calorem erumpit, ac tandem per sudorem solvitur; sive typorum discrimina, quorum respectu quaedam tertianae sunt tum vere, tum etiam autumno. Interim tamen non dubito, quin febres istae tota sua natura, sive essentialiter distinguantur.

Intermittentes vernales.

Atque ut de vernalibus primo dicam, illae fere omnes vel quotidianae sunt vel tertianae, et vel serius, vel ocyus ingruunt, pro vario tempestatis apparatu. Nam per brumale frigus spiritus concentrati vires in suo recessu sibi acquirunt, quos adpropinquantis postea solis calor jam vegetos evocat, qui cum viscidis humoribus (minus tamen viscidi sunt hi, quam quos in autumno praegressi fervores excoxerunt ac torrefecerunt) commissi, quos durante hyeme natura in sanguinis massa congesserat, dum avolare nituntur, implexi detinentur, et quasi irretiti, adeoque vernam hancce ebullitionem concitant. Eodem plane modo, quo vasa cerevisia repleta, atque in arena, vel cella frigida diutius reposita, si igni admoveantur, tumultum statim concipiunt, et liquor ad volatum pronus est, sanguis hoc modo affectus purgationem sui molitur, atque spirituum volatilium ope negotium hoc sat cito peragit, nisi forte nimia viscidorum succorum vi instructus fuerit, qui fermentationem coeptam remorentur; et licet hoc ipsum accidat, effervescentia tamen verna raro continua suique similis manet: verum dissilire, atque in diversos paroxysmos quasi findi solet. Sanguine enim opulentis hisce spiritibus jam turgido, natura negotium suum quasi praeceps adgreditur; et quarumdam partium secretionem, ad modum perfectae solutionis, per paroxysmos particulares peragit, priusquam universali separatione defungatur. Atque haec mihi quidem ratio non inidonea videtur, quod verna tempe-

state, praesertim illa, quae aestatem propius attingit, paucae febres continuae occurrant; nisi forte constitutio fuerit epidemia. Fermentationes enim tunc temporis obortae vel subito consopiuntur, vel ad intermissionem properant, vel denique partes humorum ad separationem proniores praemature, et cum vi quadam alio transferuntur; ex quo mox anginae, peripneumoniae, pleuritides, aliaeque id genus pestes succrescunt, quae, desinente potissimum vere, caput suum exerunt.

Animadverti febres intermittentes vernales rarissime fuisse diuturnas, semper vero salutares; ita ut vel maxime senex, vel debilis quispiam officiosissima, damnosissimaque imperitissimi cujuslibet *περιεργία*, modo probus is fuerit, e medio vix queat tolli. Contigit mihi tamen videre tertianas vernales, quae ob phlebotomiam et catharsin, indebite celebratas, et regimen insuper cum morbo male quadrans moras traxere etiam usque ad tempus illud, quo autumnales solent invadere; quae tempestas, cum hujus morbi genio sit admodum contraria, eumdem continenter extinguit; aegro interim frequenti paroxysmorum reduplicatione, et duratione longiore, ita pene confecto, ut in extremis versari videatur; quae nihilominus (quatenus mihi hactenus observare licuit) semper est eluctatus. Neque, in convalescentibus ab hoc morbo mihi adhuc subiit videre gravissima illa symptomata, quae, ut infra dicetur, intermittentes autumnales diuturniores sequuntur; lethalem intelligo tonsillarum inflammationem, ventrem induratum, tumores hydropicos, etc. Plus semel tamen adverti, aegros a morbi diuturnitate, et paroxysmorum ingeminatione (accedentibus ad malorum cumulum evacuationibus repetitis) ad summam debilitatem redactos, ubi primum coeperint convalescere, in maniam incidisse, quae pari cum illo passu recessit, quo eorumdem vires de novo redintegrabantur.

Intermittentes vero autumnales longe aliter se habent. Primo enim tertiana, licet quibus annis epidemia non est, et sanos invadit, cito nonnunquam se proripit, neque pluribus stipatur symptomatis, quam, quae verno tempore contingere solent, tertianae; ubi tamen epidemie grassatur, et aetate provectiores, aut pravo corporis habitu praeditos ferit, haud

vacat periculo; quin etiam ad menses duos, vel tres, forte etiam in sequuturum usque ver tyrannidem exercet. Deinde quartanae et periculosiores sunt, et obstinatiores longe, quam sunt illae, de quibus ultimo diximus: ubi enim natu grandiores impetunt, eosdem, paucis adhuc paroxysmis multatos, quandoque jugulant; quo in casu aeger tempore exhorrescentiae, ineunteque adeo paroxysmo ut plurimum moritur, quod jam dictum. Quod si aeger in senectutis tantum fuerit confinio, nec dum ejus limen praetergressus, licet non in eodem versetur discrimine, ne inter paroxysmos primo lacessentes luce privetur, haud tamen facile a febre hac elabetur, nisi vertente anno, appetenteque illo tempore, quo primo corripiebatur. Nonnumquam etiam haeret lateri lethalis arundo, nec nisi a morte languescenti decutitur. Quartana interim typum subinde variat, plurima etiam parit symptomata, scorbutum v. gr. ventrem induratum, hydropem etc. Juniores vero ferendo huic morbo pares sunt, a quo nonnumquam circa solstitium brumale liberantur, frequentius tamen non nisi adveniente verno aequinoctio, vel etiam autumno insequenti, ubi scilicet venaesectionem aut catharsin admiserint. Saepe non sine stupore sum intuitus infantes tenellos, cum hoc morbo per totos menses sex commissos, nec oppressos tamen, sed de eodem, Herculis instar pueri, in cunis triumphantes.

Hic notandum, quod cujuscumque demum aetatis, aut temperamenti fuerit is, qui quartana corripitur, si quolibet alio vitae tempore (vel etiam ab hoc remotissimo) eadem semel laboraverit, non diu admodum eum secunda hac vice fatigabit morbus, sed post paucos aliquot paroxysmos sponte sua solvetur, quod scitu dignum erat.

Intermittentium vernalium curatio.

Intermittentium autem vernalium curationem quod spectat, licet illas suo semper arbitrio permittendas existimaverim, et nihil prorsus movendum, cum nemo quisquam, quod sciam, earum umquam opera fatis concesserit; atque ex adverso, qui illas abigere sategerunt, remediis praesertim evacuantibus, id tantum egerint, ut morbus inde confirmatior pertina-

cius obsisteret; si tamen importuna aegri impatientia medici opem obnixe efflagitet, intermittentes vernales variis modis, et quidem cum optato exitu, adgredi licet, uti mihi non infrequenti observatione abunde constitit.

Nonnumquam emeticum tempestive propinatum, ut nempe ante paroxysmum negotio suo defungi possit, felicissime successit; praesertim si quantitatem mediocrem Syr. de Meconio, vel cujusvis narcotici, post finitam emetici operationem, exhibueris immediate ante paroxysmi insultum.

Est ubi sanitatem videas restitutam, per diaphoretica, quae sudorem in paroxysmi solutione obortum promoveant, aegro interim optime stragulis cooperto; id quod tantopere, ac tamdiu faciendum est, quamdiu vires aegri patiantur. Atque hoc in vernalibus intermittentibus, praecipue quotidianis, saepe obtinuit: humoribus enim in hac tempestate non admodum crassis existentibus, solutio alias imperfecta futura, in perfectam adolescit, quod quidem in autumno nunquam accidet.

Quid quod clysteris, in diebus intermittentibus per triduum vel quatriduum adhibiti, beneficio tertianas aliquando curaverim.

Interim si, ob phlebotomiam liberiori manu celebratam (quo tempestas ipsa parum cautos facile inclinat), vel ob aegri debilitatem antecedaneam spiritus illi, qui subito ad despumationem se accingerent, pauperiores facti minus valeant, accidere potest, ut hujusmodi febres vernales, auxiliis quibuscumque frustra tentatis, autumnalium diuturnitatem aemulentur. Sed sane non solent illae eousque durare, quippe quae vel sponte sua desinant, vel leviori remediorum ope facile in fugam vertantur.

Intermittentes autumnales.

Intermittentes autem autumnales non tam levi opera se amoveri patiuntur. De illis igitur nonnulla mihi dicenda sunt. Si autumnalis constitutio fuerit epidemica, circa Junium adultum solent invadere. Sin minus, Augustum praestolantur, et Septembris initium; in subsequentibus vero mensibus rarius occurrunt.

Cum earum ingens aliquod agmen simul invase-

rit, observare licebit earum paroxysmos plerumque una eademque diei hora contingere, accessionibus nunc praevertentibus, nunc postponentibus, simili plane modo, atque eodem tenore; nisi quod accidere queat, ut ordo ille, medicamentis adhibitis, quae retardandi vel praecipitandi vi pollent, in quibusdam corporibus immutetur vel pervertatur.

Observandum est etiam, quod in principio febrium intermittentium (epidemicarum praecipue, quae autumno contingunt) haud ita in proclivi est, typum sub primis invasionis diebus rite distinguere, quandoquidem febre continua adscita primum adoriuntur, neque facile est aliquamdiu, nisi diligenter adverteris animum, quicquam aliud praeter aliqualem morbi remissionem deprehendere, quae tamen paulatim in perfectam desinit intermissionem, et typum anni tempestati apte respondentem.

Typorum ratione vel tertianae sunt, vel quartanae. Atque de quartanis quidem illud merito affirmari potest, eas genuinam esse autumni sobolem. Utraeque profecto ea affinitate inter se connexae sunt, saepenumero vices permutare, saltem ad tempus, deprehenduntur, mox fortassis ad pristinum genium redituraе. Sed tertianae vernales quartanarum typos numquam induunt, cum toto (ut ita dicam) coelo a se invicem distinguantur. Neque porro observavi umquam, hac tempestate, quotidianam contigisse, nisi quis tertianam duplicem, vel triplicem quartanam hoc nomine censuerit ἀκυρολόγως appellandam.

Has autem febres intermittentes eo fere modo suam originem nancisci arbitror, quem nunc summatim attingemus. Nempe, anno surgente atque progresso, sanguis etiam pro rata proportione exaltatur (haud secus ac vegetabilia quaevis augmentis, atque declinationibus suis anni cursum referunt), donec ad ἀκμὴν suam, ultimumque vigorem pervenerit; hinc parallelis motibus cum tempestatibus anni pergens, eo declinante relaxari tandem et ipse incipit; ac tum praecipue, cum ab accidentali aliqua caussa promotus fuerit, puta sanguinis immodica jactura, frigore admisso, cibis crudis atque excrementitiis, balneorum usu intempestivo, aliisque non paucis. Jam vero sanguis, in hoc decidentiae statu constitutus, impressioni morbificae cuicumque obnoxius est, quam in

illum faciet quaelibet aëris constitutio, quae hoc tempore dictis intermittentibus est epidemia. Atque huc spectat ebullitio mox inducta, qua liquorem sanguineum quandoque valde degenerem corripiente, febris inde oriunda mali moris esse solet, et malignis atque horrendis symptomatibus plenissima. Illud utcumque accidit, ut sanguis, spiritibus suis magnam partem exutus, et ab aestate praecedenti plurimum adustus, ebullitione sua non nisi tardissimis motibus defungatur, suaeque despumationi longissimam periodum postulat.

Jam vero ut manifestum evadat, quam difficulter hae febres (autumnales puta) curationem admittant, hoc loco perpendendum est, continuarum hujus tempestatis, atque intermittentium discrimen in eo maxime versari, quod continuae conceptam semel effervescentiam *συνεχῶς* unoque tenore perficiant, intermittentes autem partitis vicibus, ac diversis temporibus eadem defungantur. Interim in utrisque fermentatio naturae ductu peragitur spatio horarum 336, aut circiter; neque enim citius aut tardius massa sanguinea in humano corpore ordinario repurgatur, si negotium naturae permiseris; haud secus ac pomatium suam, vinum atque cerevisia suam, ac peculiarem habet periodum, qua depurentur. Quamvis autem in febribus intermittentibus sanguis nonnumquam (ut in quartana contingit) sex mensium spatio despumationem suam molitur, ac tandem perficiat; non tamen (si rite calculum ponas) plus temporis in eadem absolvenda impenditur, quam quod in continuis impendi naturaliter solet; quatuordecim enim *νυχθημέρια*, sive dies naturales efficiunt horas 336; tribuendo nempe horas quinque cum dimidia cuilibet paroxysmo quartanarum, habebis in quartana valorem 14 dierum, h. e. horas 336. Jam si quis dixerit, quartanam, verbi caussa, (eadem enim reliquarum intermittentium ratio subintelligenda est) ultra sex mensium spatium aliquando excurrere, antequam periodum suam absolvat; respondeo, idem etiam non raro in continuis febribus hujus constitutionis spectari, quae saepe ultra dies quatuordecim protrahuntur: in utroque nimirum casu, si effervescentiam (praesertim circa febrium finem) rite atque ordine decurrere, ac sustineri vegetam curaveris, despumatio intra praedicti temporis spa-

tium, hoc est, quaduordecim dierum, vel 336 horarum peragetur: quod si vero effervescentiam illam, seu fermentationem refrigerantium medicamentorum aut clysterum usu tunc temporis (scilicet versus febrium declinationem) importune inhibueris, et quasi fraenum illi injeceris, mirum non est, si in longum evagentur, ordine quippe naturae perturbato. Namque hoc modo relaxatur quodammodo sanguinis humani tonus, unde se ad despumationem accingere cum effectu nequit. Immo vero in corporibus debilibus et effoetis idem aliquando vel sponte accidit, nisi cardiacorum ope naturam, in illis languentem, adjuveris, quo sanguini despumando par sit.

Verum illud hic jam porro notandum arbitror, ea quae de fermentationis spatio atque continuatione supra tradidimus, de illis solummodo febribus intelligenda esse, quae statam quandam naturam, atque habitum nactae sunt. Sciendum enim est, neque me praeterit, febres quasdam esse, tum continuas, tum intermittentes, quae transeuntis et incerti genii sunt, neque in suis effervescentiis ad destinatam periodum pertingunt. Hujus generis sunt, quae a levi aliqua offensa ex sex rerum non naturalium, quas appellant, ut cibi, potus, aëris, et his similium abusu, nonnumquam ortum ducunt: his enim morbis correpti subito saepe convalescunt. Idem etiam in adolescentulis, sanguine puro, ac multis spiritibus referto, praeditis, aliquando accidit: nimirum febres illorum, spirituosa quadam ac nimis tenui volucrique materia nixae, fermentationes suas citius perficiunt, ac celeri gradu spatia sua emensae evanescunt. Ad fermentationem enim illud primo requiritur, ut materia fermentescibilis, sive illa sanguis sit, sive vinum aut alius aliquis liquor quilibet, ea tenacitate et viscositate polleat, ut spiritus implexos atque irretitos eatenus detinere valeat, ut in liquoris massa moveri atque agitari possint, eodem fere modo, quo aves visco captae, aut muscae atque apiculae melle detentae, motitare quidem et murmura sua peragere possunt, avolare interim non valentes. Neque tamen, ut obiter illud dicam, eam tenacitatem obtinere debent liquores memorati, ut spiritus prorsus obruant opprimantque, adeo ut non omnino moveantur.

His jactis fundamentis, (quae quidem nescio an

aliis, mihi certe ratione non contemnenda niti videntur,) mirum non erit, si illis non aliam medendi methodum superstruam, quam quae in febribus continuis ad despumationis debitum opus rite perficiendum adhibenda videatur; cum nimirum illae a continuis nullo discrimine sejungantur, si ordinem spectes, quo natura earumdem materiam expellere solet, scilicet per effervescentiam certa periodo comprehensam, etsi quod ad earum speciem, atque naturae proprietatem attinet, illas et a continuis, et a se invicem plurimum differre non diffitear. Itaque vel methodum, qua se natura liberare ab hoc morbo solet, caute soliciteque observando indicium sumere oportet, quo fermentationem obortam acceleremus, atque ita ad sanitatem aegros perducamus; vel in ipsam caussam specificam penetrando, danda erit opera, ut remediis efficacibus, ac specificis morbo obviam eatur. Ab horum alterutro indicationes sumendae sunt. Ego utramque viam ingressus aliquando fui: atque illaesa, uti opinor, verecundia profiteri possum, non sine summa cura, atque attentione animi indefessa; sed nondum eam felicitatem adeptus sum, ut autumni febres intermittentes certa aliqua praxi atque medicandi ratione, tollere possim, antequam statas illas fermentationes, de quibus supra locuti sumus, peregerint, utcumque molestum hoc febricitantibus videatur, qui eo usque sanitatem suam exspectare inviti coguntur. Revera autem, si quis inter mortales reperiatur, qui, sive methodo aliqua certa, sive remedio specifico adhibito, febrium harum intermittentium cursum non solum inhibere, sed etiam omnino abrumpere novit, existimo eum omni jure teneri, ut humano generi rem illam summopere expetendam patefaciat: quod si non fecerit, ego illum nec boni civis, nec prudentis viri nomen mereri pronunciari ausim; neque enim civis boni est, illud in rem suam vertere, quod toti generi humano tam ingens beneficium apportet; nec viri prudentis, divina benedictione semet ipsum privare, quam a summa bonitate liceret exspectare, si ad publicum bonum promovendum se accingeret. Honoris autem, ac divitiarum, longe minor apud probos ratio habetur, quam virtutis et sapientiae.

Quantumlibet autem fuerit difficile, intermittentes has autumnales certo fugare, tradam tamen, quid-

quid ad earumdem curationem prae reliquis facere mihi visum est.

Intermittentium autumnalium curatio.

Intermittentium autumnalium curationem non sine ingenti discrimine per catharsin tentari, (nisi eo, quem mox dicemus, modo instituatur) praesertim vero per phlebotomiam, frequenti nimis observatione jam olim didici. Etenim in tertianis (maxime si ea constitutio admodum fuerit epidemia) hac methodo sanandis, nisi chirurgi gladiolus eodem ictu, quo venam pertundit, ipsam etiam febrem confodiat, dictae febres, etiam in vegetioribus, et athletice caetera valentibus, non nisi longo temporis tractu expugnari se patiuntur. In provectioribus autem diutinum febris cruciatum tandem etiam mors excipit, quam prae foribus jam esse haud raro denunciat lethalis illa tonsillarum inflammatio, cujus fecimus mentionem. Adde, quod venaesectio alia etiam symptomata illa maturius accersivit, quae febres autumnales intermittentes in statu declinationis vel comitari diximus, vel a tergo sequi. Quartanariis vero in tantum obest phlebotomia, ut juvenes, qui a morbo alias intra sex menses fuissent liberati, per sex adhuc alios ab eodem detineantur: aetateque provectiores, qui, nisi sanguinem detraxissent, intra annum poterant sanari, morbum etiam ultra statum illud tempus alere, ac denique ab eodem victi succumbere periclitantur. Quae de venaesectione jam dixi, levi opera ad catharsin possunt transferri, nisi quod haec non usque adeo perniciosa sit, nisi crebro repetita.

Intermittentes tertianas autumnales hoc pacto adgredior. Aegro in lectulo composito, et stragulis undiquaque cooperto, sudores provoco sero lactis cerevisiato, cui Salviae folia incocta fuere, quatuor circiter horis ante paroxysmi adventum; quibus jam obortis mox praecipio, ut devoret scrup. un. Pilularum Cochiarum majorum solutarum in unc. un. sequentis misturae. Rec. Aq. vitae libr. un. Theriac. Andromach. unc. tres, Croci Angl. drachm. un. M. stent simul pro usu. Haec ubi adsumpserit, in sudoribus continuo eliciendis persistat, donec elapsae fuerint aliquot horae ab illo tempore, quo paroxysmus ingruere debuerat, magna cum cautela se muniens con-

tra illas sudationis interruptiones, quas illi forte creabunt dejectiones aliquot, a medicamento cathartico profectae. Saepius mihi ex animi voto cessit medicamentum hoc in fugandis tertianarum paroxysmis, quam usu receptum illud ad eumdem scopum tendens, decoctum sc. Rad. Gentian. Summit. Centaur etc. cum pauca Sennae atque Agarici quantitate. Cum enim duos illos contrarios sudandi ac dejiciendi motus eodem tempore excitet, eumdem cum vulgari isto effectum obtinet, ordinatum scilicet paroxysmi processum confundendo atque interturbando; idque efficacius, nec tamen tuto minus. Atque hac sane methodo intermittentes autumnales tertianas bene multas pepuli; necdum praestantiorem aliam experiri his annis mihi licuit.

In tertiana duplici, quae typum variavit, ob aegrum vel evacuationibus, vel alio quovis modo debilitatum, sudor pari etiam modo provocandus, et pari temporis intervallo a futura paroxysmi invasione, vel medicamento jam laudato (omittantur vero pilulae Cochiae, cum nec tutum sit, nec ad rem faciat, cathartico jam ab eodem fractas aegri vires amplius dejicere, et paroxysmis ejusdem ope ingeminatis suppetias ferre), vel diaphoretico alio aliquo δραστικωτέρῳ atque efficaci, quod etiam repeti potest paroxysmo genuino proxime subsequente. In summa aegri debilitate, a dicta paroxysmi ingeminatione, electuarium, quod jam sequitur, praescribo: Rec. Conserv. fl. Borrag. Buglos. aa. unc. un. Conserv. Anthos. unc. Sem. cortic. Citri condit. Nucis Mosch. cond. Theriac. Andromachi aa. drachm. tres. Confect. Alkermes drachm. duas M. F. Opiata, de qua capiat ad magnitudinem avellanae mane et vesperi, superbibendo cochl. vj. sequentis Julepi. Rec. Aq. Ulmariae et theriacalis stillat. aa. unc. tres. Syr. Caryophyll. unc. un. M. vel hujus loco aquam aliquam epidemiam simpliciorem, saccharo dulcoratam, exhibeo, interdicto enematum usu; aegro juscula e pullorum carnibus, avenacea, etc. concedo.

Quartanarum quod attinet curationem, nemo est, opinor, in hac arte vel mediocriter versatus, qui nesciat, quam parum votis respondeant methodi istae omnes, quae huic medicorum opprobrio eluendo hactenus destinantur, si corticem peruvianum excipia-

mus; qui tamen inducias saepius impetrat morbo, quam eumdem debellat; cum postquam ad septimanas duas vel tres delituerit, magno cum aegri emolumento, qui ab illo male multatus paululum interim respirat, mox de novo recrudescens, haud segnius quam prius lacessit; atque ut plurimum, quotiescumque demum repetatur illud medicamentum, non nisi longo temporis tractu expugnatur. Referam tamen quicquid de methodo ejusdem exhibendi habeo compertum.

Curandum est ante omnia, ne praemature nimis hic cortex ingeratur, ante scilicet quam morbus suo se marte aliquantisper protriverit (nisi collabescentes et jam fractae aegri vires eumdem temporius sumendum esse dictaverint): neque enim illud solum est metuendum, ne a praepropero ejus usu inefficax iste reddatur, et spem aegri fallat, sed etiam ne de aegri vita agatur, sanguini, omni fermentationis nisu se despumanti, eam deperente injiciamus remoram. Proximo loco, neque catharsi, multo minus venaesectione, subducenda est materiae febrilis pars aliqua, quo liberius cortex suo fungatur munere: cum enim ab utraque labefactetur quadamtenus oeconomia corporis, eo promptius certiusque recrudescent paroxysmi, evanescente semel pulveris vi. Mihi etiam magis e re fore videtur, ut sanguinem dicto medicamine sensim, longioreque a paroxysmis intervallo leviter inficiamus, quam ut uno omnino ictu paroxysmum jam instantem tentemus confodere: hoc enim pacto et plus temporis remedio conceditur, quo suum opus plenius absolvat, et evitatur quicquid id est periculi, quod aegro poterit oriri ex subito isto atque intempestivo nimis sufflamine, quo paroxysmum jam invalescentem atque omni se ope exerentem conamur opprimere. Postremo, brevibus istis temporis intervallis, repetendus est pulvis, ut non protinus evanescat prioris dosis virtus, antequam altera exhibeatur: crebra enim repetitione ista ἐνεξία tandem recuperabitur, profligato in solidum morbo. His adductus rationibus hanc ego methodum caeteris antepono: Rec. Peruviani corticis unc. un. cum Syrup. Rosar. rubr. unc. duabus; misceatur; aeger vero quantitatem nucis moschatae majoris, mane et sero, quotidie devoret, diebus a

genuino paroxysmo vacuis, donec confectionem omnem absumpserit. Repetatur porro ad tres alias vices, interjectis semper diebus quatuordecim.

Neque forte cum minori fructu usurpari poterit cortex hic in tertianis, qua vernis, qua autumnalibus, quam in quartanis adhibetur. Sed ut vera loquamur, nec artem ἀπροσδιονύσως ostentemus; si harum febrium alterutra correptus aeger vel infans sit, vel aetate floreat, convenit omnino (quantum ego hactenus edoctus sum), nihil medicamentorum quorumvis ope, aut aëris ac diaetae mutatione moliri; nihil enim hinc mali natum hucusque intellexi, si modo totam rem naturae permiserim. Id quod ego non sine admiratione, praecipue in infantulis, saepe observavi; sanguine namque depuratione sua defuncto, febres illae sponte sua evanuerunt. Quod si autem e contrario vel strictiori aliquo regimine utaris, vel medicamenta purgantia subinde adhibeas, (adhiberi scilicet solent eo praetextu, ut obstructiones expediantur, atque humores in primis viis stabulantes exturbentur) vel si, quod praecipuum est, in constitutione epidemica venaesectio celebretur, fiet ut morbus in longissimum tempus procurrat, atque interim ut aegri mille symptomatis, iisque periculosissimis exponantur.

Si vero febricitantes provectioris aetatis sint, ex utroque morbo (tertianas dico autumnales, ac quartanas) non solum diuturnitatis, verum etiam ipsius mortis grave periculum imminet. Hic itaque medicum illud agere oportet, si neque cortice Peruviano, nec alia quavis methodo morbum submovere valuerit, ut naturae saltem suppetias ferat, eamque illis adminiculis sublevet, quibus ad negotium suum peragendum opus habuerit. Certe enim in effoetis corporibus, nisi fermentatio cardiacorum, et corroborantis diaetae, ut vini absinthitis, ac id genus similium beneficio sustineatur, illud accidet, ut aegri, incertis atque frustraneis paroxysmis divexati, debilitentur, atque morbus eousque duret, donec languida prius natura paroxysmo aliquo graviore correpta, ad ebullitionis tempus pertingere non possit; adeoque in ipso exhorrescentiae tempore diem suum obeant aegroti. Atque hoc in senibus non raro usu venit, qui longa cartharticorum serie debilitati fue-

runt: immo, ut aliquando visum est, in ipso vel primorum paroxysmorum rigore penitus defecerunt, cum exhibito cardiaco satis forti, saltem ad tempus aliquod, sustineri potuissent.

Cum sanguis tempus illud exegerit, quod ad despumationem suam perficiendam requiritur, necessarium est, ut provectioris aetatis aegri, eodem ipso tempore, vel paulo ante, insignem aliquam aëris mutationem subeant, sive (quod potius optandum esset) in calidiorem aliquam regionem commigrando, sive mutando saltem locum, in quo primum hoc morbo correpti sunt. Mirum sane est, quantum valeat haec aëris mutatio ad morbum hunc prorsus abigendum. Interim ut ante hunc temporis articulum aër mutetur, non tantum non necessarium est ad sanitatem ex hoc morbo restituendam, sed et minus convenit. Etiamsi enim quis in regionem quantumcumque australem et calidam migraverit, sanguis tamen ejus, in morbido hoc motu semel constitutus, depurationem suam ut peragat necesse est; quod quidem beneficii frustra exspectabitur ab inusitato novoque aëre, priusquam procedente, atque adulto jam sanguinis motu, sanitatis recuperandae capax fuerit. Insignis ergo illa aëris mutatio tum demum adeunda est, cum primum aeger a paroxysmo liberari potest. Exempli caussa: in quartana, quae primum in autumno invasit, non citius aër mutandus est, quam circa Februarii initium. Interim si aeger mutare locum vel nolit, vel commode nequeat, oportebit ut hoc ipsius temporis articulo forti aliquo medicamento utatur, cujus eae sint vires, ut uno quasi ictu languescentem illam depurationem potenter promoveat, et si fieri poterit, perficiat. Ad hanc rem consulerem ego, ut electuarii de ovo vel theriacae Andromachi sesqui drachma in aquae coelestis, vel aquae vitae communis unciis duabus dissoluta exhibeatur, duabus scilicet horis ante paroxysmum. Id quod a me, cum successu non infelici, in morborum hujusmodi declinatione factum est. Licet agnoscam, calidiora haec citius exhibita vel morbum duplicare, vel in febrim continuam permutare, quod a GALENO jamdudum observatum est. Idem in juvenibus hoc morbo detentis fieri potest, cautela adhibita. Ut autem in puerili aetate idem fiat, non tantum non

convenit, verum etiam periculo non vacare dudum observavi.

Priusquam huic argumento clausulam addamus, illud monendum venit, ea, quae de febrium autumnalium intermittentium duratione, atque de tempore ad sanguinis despumationem requisito jam dicta sunt, ita intelligenda esse, ut nos solum illud nunc spectemus, quod natura, vulgaribus atque usitatis tantum medicamentis suffulta, praestare soleat. Nequaquam enim eo consilio de his rebus ita locuti sumus, ac si doctos ac solertes medicos despondere animum velimus, atque vel de melioribus medendi rationibus excogitandis, vel nobilioribus remediis inveniendis spem totam abjicere, quorum ope hujusmodi morborum sanationem accelerent. Tantum enim ego profecto ab hoc proposito absum, ut non desperem vel a me ipso tale quidpiam sive methodi, sive remedii aliquando repertum iri.

Sublato morbo, aeger sedulo purgandus est; incredibile enim dictu, quanta morborum vis ex purgationis defectu post febres autumnales subnascatur. Miror autem hoc a medicis minus caveri, minus etiam admoneri. Quandocumque enim horum morborum alterutrum paulo provectioris aetatis hominibus accidisse vidi, atque purgationem etiam omissam, certo praedicere potui, periculosum aliquem morbum eosdem postea adoriturum, de quo tamen illi nondum somniaverant, quasi perfecte jam sanati.

Omnino interim cavendum est, ne purgetur aeger, nisi morbo penitus depulso. Quamvis enim partes naturales illuvie ista, quam in illas congessit febris, hoc pacto quadamtenus sublevari videantur, nova tamen materia derepente succrescet; febre scilicet a cathartici impetu, atque humorum agitatione jam revocata, eamdem suppeditante; ac proinde id tantum a purgatione lucri fecerimus, ut morbus contumacior evadat. Quotidiana id nos docent eorum exempla, qui in morbi παραχμῇ, ut theoriae isti morem gerant, quae in tollendis obstructionibus, et evacuando humore melancholico, qui mali fons et origo vulgo habetur, curationis spem omnem ponit, repetitis purgationibus misere plectuntur; quibus sane, quidquid id demum est humorum, quod a corpore divellitur atque eliminatur, compertissimum est

nobis, febrem altiores exinde radices agere, et pertinacius stationem suam tueri, quam si non fuerit proritata. Quapropter religio mihi est, catharticum propinare ante tempus illud, quo non tantum paroxysmi perceptibiles, sed etiam alteratio ista, qualis ea fuerit, quae diebus illis, in quos paroxysmus incidere debuerat, persentiscitur, omnino evanuerint, atque unus insuper mensis fuerit elapsus: quo quidem effluxo, potionem aliquam ex lenitivis vulgaribus praescribo, atque eamdem semel in septimana, ad menses duos tresve subsequentes, repetendam impero; addito etiam singulis vicibus hausto aliquo paregorico, hora somni adsumendo, finita jam medicamenti operatione; ut nempe paroxysmo se de novo ingerendi ansam praescindamus, quam aliter forte arriperet ex occasione tumultus atque orgasmi, quos vel mitissima excitant cathartica.

Purgationibus instituendis idcirco spatia ista ampla interpono, ut scilicet aeger a recidivae metu liberetur, quae quidem a nimis crebra et confertim repetita sanguinis atque humorum exagitatione de facili poterat induci. Ad cum jam ista res vacet periculo, apozema sequens frequenter usurpari poterit. Rec. Rad. Rhabarb. Monachor. unc. duas Rad. Asparag., Brusci, Petrosel. et Polypod. querc. aa. unc. un. Cortic. median. Fraxini, et Tamarisci aa. unc. sem. fol. Agrimon. Ceterach, et capill. Ven. aa. M. un. Sennae mund. (irrorat. unc. tribus Vini albi) unc. un. c. sem. Epithymi unc. sem. Agarici troch. drachm. duas sem. Foeniculi scrup. jv. Coq. in aqua fontana ad libr. un. c. sem. sub finem adde succi Aurantiorum unc. tres. In Colatura dissolve Syr. Cichor. cum Rheo, et Magistral. ad melancholiam aa. unc. un. sem. F. Apozema, de quo capiat libr. sem. singulis matutinis per triduum, et repetatur, quoties opus fuerit.

Ut tandem symptomata illa memoremus, quae febres intermittentes in declinationis statu comitantur, observandum est, vernarum paucissima esse, si ad illa comparentur, quae autumnalibus accidunt; tum quia non ita diu haerent istae, tum etiam, qnia in humoribus usque adeo terrenis, et minus etiam malignis fundantur.

Hydrops.

Primum hic sibi locum vendicat subinde occurrens hydrops; unde primo quidem crura intumescunt, deinde etiam venter; qui exinde nascitur, quod scilicet sanguis crebris illis fermentationibus, quas peperit morbi diuturnitas, praecipue in natu grandioribus, plures spirituum manipulos prodegit; unde summa eorumdem inopia jam laborans succos cum alimentis ingestos non amplius valet adsimilare; quorum cruda adhuc indigestaque moles, in crura tandem deponitur, atque his jam distentis, neque ulterius quidquam admittentibus, in ventrem etiam; unde verus hydrops formatur. Raro autem juvenes obsidet haec malorum Ilias, nisi catharticis, per febris decursum saepenumero iteratis, eamdem inconsulto nimis accersiverint.

Verum hydrops ex caussa memorata superveniens aperientium et catharticorum usu facile sanatur, si modo recens fuerit. Neque mihi molestum est, quoties hunc natum morbum audio atque intelligo, nempe de rei exitu omnia bona tunc temporis animo concipiens. Nonnullos enim usu apozematis jam praescripti, vel sine admistione hydropi magis appropriatorum persanavi.

Verumtamen observavi, frustra esse, si quis hydropem ex febre intermittenti natum, medicamentis purgantibus tollere conetur, febre illa adhuc durante. Febris enim hoc pacto radices profundius agere deprehendetur, non autem amovebitur hydrops: exspectandum itaque, donec febris exulet, ac tum demum negotium prospere suscipiendum.

Verum enim vero si tam importune atque acriter instet symptoma hoc, ut ejus curatio non eousque videatur differenda, donec febris recessus catharticorum usum permittat, adgredienda omnino illa est infusionibus rad. Raphani rusticani, summitat. Absinthii, et Centaurii min., baccarum Juniperi, cinerum Genistae, etc. in vino factis; quae non solum huic symptomati obsistunt, effoetas sanguinis vires de novo instaurando, sed naturae etiam, de morbo jam triumphaturae, tempori subveniunt.

Rhachitis.

Infantes autem post febres autumnales, tum continuas, tum intermittentes hectici aliquando fiunt. Ventres eorum inflati, tumentes, ac duri evadunt; saepe etiam tussis, aliaque tabidorum symptomata subnascuntur, quae rhachitidem plane mentiantur. Hos ego sequenti modo tractandos consulo. Paretur potio cathartica, quam in febrium continuarum fine assumendam praescripsi. Hujus capiat infantulus cochl. un. vel duo plus minus, pro aetate, mane per novem dies, uno atque altero die, si opus fuerit, intermisso. Interim vero purgatio ita moderari debet ac regi, dosin vel augendo, vel minuendo, ut ultra quinque vel sex sedes singulis diebus non procedat. Post finitam catharsin totus venter inungatur linimento aliquo aperitivo per aliquot dies. Sequenti uti soleo: Rec. Ol. Lilior. et Tamarisci aa. unc. duas, Succi rad. Bryoniae et Apii aa. unc. un. bulliant ad succorum consumptionem, addendo Unguento de Althaea et Butyri insulsi aa. unc. un. Gummi Ammoniaci in aceto soluti unc. sem. Cerae flavae q. s. F. Linimentum. Sane quamplurimi infantes, etiam vera rhachitide laborantes, hac methodo a me liberati fuerunt.

Verumtamen, ut ante monuimus, cavendum sedulo, ne purgationem adgrediamur, nisi febre jam perfecte fugata; licet enim hoc pacto humoris in partes naturales amandati portio quaedam evacuari, non sine caussa, videri possit, nihilominus ab ipsa febre nova subinde pravae materiae copia suggeretur, quae non solum purgationem reddet frustraneam, verum et ipsum morbum diuturniorem praestabit, ob rationes antea memoratas.

Observatu non indignum est, quod cum febres autumnales teneram aetatem diu cruciarint, nulla spes sit easdem abigendi, donec abdominis regio, circa lienem praecipue, indurari atque tumefieri occoeperit; iisdem enim gradibus, quibus hoc symptoma supervenerit, febris etiam fugam meditatur. Neque forte ex meliori aliquo prognostico morbum hunc brevi abiturum dixeris, quam si sedula animadversione suboriri hoc symptoma perspexeris. Idem porro in crurum tumoribus obtinet, qui in adultis aliquando spectantur.

Ventris tumor, qui infantibus accidit post has febres, quibus annis aëris constitutio intermittentibus autumnalibus progignendis epidemie determinatur, tangentis digitum haud aliter ferit, ac si materiam aliquam continerent viscera in scirrhum induratam; cum qui aliis annis, simili licet προφάσει, contingit, tactum ita afficit, ceu tensio tantum foret hypochondriorum a subjectis flatibus. Hinc, nisi annis, quibus intermittentes autumnales praedominium habent, verae rhachitides rarius occurrunt, quod observatu dignum.

Tonsillarum dolor et inflammatio post febres, sive continuas, sive intermittentes cum deglutiendi primum difficultate et molestia, supervenientibus deinceps raucedine, oculis cavis, et Hippocratica facie, mortem certo imminentem praemonstrant; intercisa plane omni redintegrandae sanitatis spe. Funesto huic symptomati producendo evacuationes, justo copiosiores, in aegris vi morbi jam fere attritis, ut et longiorem febris moram sociam operam, ut plurimum, commodasse observavi.

Maniae species quaedam.

Multa alia sunt accidentia, quae morbos hosce consequi solent ob purgationem vel non omnino, vel non rite celebratam, quibus in praesentiarum enumerandis supersedebimus, cum curationis eadem fere ratio sit utrobique; nempe sedimenti ab effervescentia praecedanea depositi repurgatio, quippe quod sua mora malis hujusmodi materiam praebuerit. Quamquam licet hic loci non contemnendum symptomatis genus referre, quod non tantum purgationibus, et evacuationibus aliis quibuscumque, venaesectioni praesertim, cedere dedignatur, verum et ab illis vires sibi acquirit. Illud autem peculiaris quaedam est, ac sui generis mania, intermittentes diuturniores (quartanas praecipue) nonnumquam excipiens; quae communem medicandi rationem aspernatur, et, post evacuationes fortiores adhibitas, in miseram quamdam stultitiam degenerans, non nisi cum ipsa aegrorum vita terminatur. Miratusque saepenumero sum, nullam hujus rei mentionem ab auctoribus factam fuisse, quum non raro accidisse viderim. Cum reliquae amentiae species copiosis evacuationibus, et venae-

sectione, et catharsi ut plurimum persanentur; haec neutram potest ferre. Sed cum jam aeger in sanitatis limine est, si vel enema ex lacte saccharato semel injeceris, statim de novo recrudescet malum. Et si reiteratis purgationibus, venaesectioneque contranitamur, ejusmodi evacuationes morbi quidem ferociam possunt domare, aegrum vero certissime non tantum fatuum, sed et incurabilem omnino reddent. Quod quidem nemo mirabitur, qui secum reputaverit, alteram amentiae speciem a nimis exaltata et vivida sanguinis crasi produci, hanc vero ab ejusdem debilitate, et, ut ita dicam, vapiditate, a diutina fermentatione, quam invexit febris, qua mediante spiritus functionibus animalibus obeundis impares plane sunt.

Huic malo ad hunc modum mederi soleo. Aegro ter in die cardiacum aliquod e generosioribus exhibeo, dosi paulo liberaliori, e. g. Theriacam Andromachi, Elect. de Ovo, pulverem Comitissae, pulv. Gualteri Raleigh, vel similem, in Aq. epidemia, theriacali, vel alia. Possunt etiam in alia quavis forma exhiberi cardiaca medicamenta. Aeger interim victu quidem moderato, analeptico tamen, et potu generosiore reficiendus est; foras ne exeat, in lecto se diu multumque contineat. Alvus sub hoc regimine justo erit adstrictior, unde ut etiam a calidorum medicamentorum usu a febre quis sibi metuat, sed vano prorsus timore; cum spiritus, antecedente morbo pene exhausti, novum deinceps non valeant accendere. Post aliquot septimanas paulatim in melius proficiet, quo tempore omitti possunt cardiaca, ad dies pauculos; diaeta vero analeptica jugiter instituenda, et post brevem intermissionem repetendus est denuo cardiacorum usus, atque in eo persistendum, donec integra sanitate fruatur.

Dicta methodus maniam etiam, quae has febres minime excepit, quandoque sanavit, frigidiori scilicet atque infirmiori temperamento praeditis. Anno nuper elapso Sarisburiam accersebar, ut cum medico erudito et sagaci, mihique conjunctissimo, domino Doctore Thomas foeminae nobili consulerem, cui imaginatio haud parum fuit laesa. Verum adhibitis, etiam cum jam praegnans esset, remediis modo dictis ad sanam omnino mentem rediit.

Attamen mania communis, quae vegetis hominibus, atque etiam nulla febre praegressa, accidere solet, alius sane prosapiae est, ac proinde longe diversa, quoad evacuationes, methodo tractanda; tametsi vel in hac specie ea, quae cerebrum atque spiritus animales corroborant, haud omitti debent. Curationem autem ejus, etsi non sit hujus loci, obiter tamen praedictae speciei subnectere non gravabor, ne quis forte prae similitudine morborum in errorem illabatur.

In junioribus ac sanguineo habitu praeditis mittatur sanguis ex brachio, ad uncias octo vel novem, bis vel ter, diebus tribus inter singulas venaesectiones interpositis. Deinde semel extrahatur sanguis ex venis jugularibus. Ultra hunc modum repetitae venaesectiones aegrum potius in stultitiam ducunt, quam curationem absolvunt. Postea adgrediatur usum Pil. ex duobus, quarum drachmam semis vel scrupulos duos pro ratione operationis capiat; semel singulis septimanis, stato die; ita ut si, verbi gratia, die lunae primo pilulas assumpserit, praecise eodem ipso die, nec frequentius, sequentibus septimanis eaedem repetantur per longum tempus, usque dum perfecte convaluerit. Hac methodo humores, qui in hoc morbo mentis arcem impetere solerent, sensim in inferiores sedes dilabentur, alia quasi ῥοπὴ eis inducta.

Diebus a purgatione liberis, per totum decursum electuario sequenti vel alio medicamento, eadem virtute praedito, utatur.

Rec. Cons. Absinth. Rom. Anthos, et Theriac. Androm. aa. unc. un. cons. flaved. Aurant. Angelic. condit. nuc. Mosch. condit. aa. unc. sem. cum s. q. syrup. Caryophyll. F. Electuarium, capiat ad magnitudinem nucis mosch. bis in die, superbibendo haustulum vini Canarini, cui fuerint frigide infusi flores Paralyseos.

Febris continua atque intermittentes, quas supra descripsimus, soli ferme erant morbi epidemii, qui, durante illa constitutione, quae per annos 1661, 62, 63, 64 regnabat, emicuere: quot retro annis eum obtinuerant principatum, non habeo dicere; id certo scio, quod ab anno 1664 ad annum usque 77 rarissimae omnino Londini comparuere.

Dicendum mihi etiam erat de variolis, qualesnam scilicet erant istae, quae tum contingebant, respectu habito ad constitutionem illam; quandoquidem, ut jam subindicavi, vario admodum se habent modo pro varia constitutione, qua incessunt: sed cum non satis attente per id temporis animum ad eas adjecerim, missas jam facio: id tantum tradam illis peculiare, quod scilicet iis annis labentibus, sub initio Maji confertissimae invadebant, supervenienti vero epidemiorum autumnalium cohorti (febrem volo continuam, atque intermittentes) locum dare solebant. In pustularum summitate foveolae quaedam, ad instar capitum acicularum minorum, plerumque subsidebant; atque in discreto genere aeger octavo maxume die periclitabatur; quo tempore, abrupto derepente qui hucusque dimanaverat sive sudore, sive madore, externa exarescebant; nec revocari poterat sudor cardiacis quibuscumque; aeger phrenitide atque anxietate insigni corripiebatur, cum magno dolore et aegritudine; urinam frequenter, at in parva quantitate, reddebat; ac intra paucas horas de magna spe decidens ad plures migrabat.

SECTIO SECUNDA.

CAPUT I.

Constitutio epidemia annorum 1665 *et* 1666, *Londini.*

Praegressa hyeme frigidissima, et sicco gelu in veris usque tempora indesinenter perdurante, cum ex improviso solveretur, fine scilicet Martii, ineunteque, ex Anglorum computo, anno 1665, peripneumoniae, pleuritides, anginae, aliique id genus morbi inflammatorii magnam derepente stragem edebant: quo ipso tempore caput etiam extulit febris quaedam continua epidemia, a febrium continuarum genio, quae praecedenti constitutione vigebant, longe diversa; quarum vix ullae ea anni tempestate solebant invadere. Dolor capitis quam in priore illa inten-

sior, et vomituritiones adhuc magis immanes ad hanc febrem accedebant: in plerisque diarrhoea, quam prius diximus assumpto emetico praecaveri potuisse, jam ab eodem provocabatur, nec tamen cessabat vomituritio. Externa hic, pariter ac in febribus constitutionis praecedentis, sicca reperiebantur; attamen, praemissa maxime venaesectione, aeger in sudorem solvi poterat, quo provocato leviora mox symptomata; atque hoc nullo non morbi tempore fieri potuit, cum in febre praegressa nec tuto ante diem 13 vel 14 id tentaveris, nec facile voti fueris compos. Sanguis saepe pleuriticorum, et rheumatismo laborantium sanguinem colore referebat, non vero usque adeo gelatina illa albescente, qua illorum sanguis praetexitur. Haec primo erant phaenomena hujus morbi *διαγνωστικὰ*. Anno vero surgente, ipsa pestis irrupit, magno symptomatum pathognomicorum numero stipata, carbunculis scilicet, bubonibus etc. Haec indies magis ac magis invalescens, circiter aequinoctium autumnale *ἀκμὴν* attigit; quo jam instante, unius septimanae decursu octo, plus minus, hominum millia delevit; tametsi duo ad minimum civium trientes ob metum contagii se in rus subduxerant; a quo tempore recessui canere coepit, et urgente brumali frigore tantum non evanuit, nisi quod sparsim unum, atque alterum hinc inde feriret per omnem hyemem, et insequentis veris exordium; quo appetente et ipsa omnino est deleta; mansit tamen febris, quamvis non ita epidemia, excurrente integro anno sequente, immo ad ver usque ortum anni 1667. De his nonnulla hic subnectam.

CAP. II.

Febris pestilentialis et pestis annorum 1665 *et* 1666.

In superioribus obiter admonui, e febribus nonnullas in malignarum classe vulgo reponi, cum indomita symptomatum saevitia, quae huic opinioni patrocinari videtur, non a venenosa morbi indole, sed a therapeia perperam administrata proficiscatur. Nam cum ad morbi solutionem a natura destinatam haud

satis attenditur, sed alia medendi ratio temere instituitur, hinc perturbata totius corporis oeconomia, ac omnibus susque deque conversis, non modo tristissima rerum facies ultra consuetum morbi morem inducitur, verum morbus jam a se ipso alius, etiam anomalis accidentibus velut alienigenarum satellitio stipatur. Atqui febris vere maligna non est omnium dierum morbus; utpote quae ab aliis febrium speciebus, ob symptomatum anomaliam ea nomenclatura utcumque insignitis, tota sua idea ac ingenio dissideat. Revera enim cum ipsissima peste specie convenit, nec ab ea, nisi ob gradum remissiorem, discriminatur. Quocirca utriusque affectus ortum ac curationem in eodem complectar.

Aëris massae occultam ejusmodi sive crasin, sive texturam obtingere, quae diversarum diversis temporibus aegritudinum ansa atque pararia existat, nemini obscurum est, qui modo animadverterit, unum eumdemque morbum certa aliqua tempestate infinitam mortalium vim corripere, ac epidemium fieri; alias tamen unum alterumve hominem afflixisse contentum, ulterius non grassari. De variolis ac inprimis de peste, hujusce capitis argumento, res est sat superque manifesta.

At vero quae, qualisque sit illa aëris dispositio, a qua morbificus hic apparatus promanat, nos pariter ac complura alia, circa quae vecors ac arrogans philosophantium turba nugatur, plane ignoramus. Quidquid sit, hoc saltem nomine Dei Opt. Max. clementiam ac bonitatem meritissimo jure veneramur, quod aëris constitutiones λοιμώδεις, id est, pestem malorum omnium immanissimum, ac humano generi maxime internecinum inferentes, rarius evenire voluerit, quam quae caeteris affectibus, minus exitialibus, suscitandis inserviant. Unde fit, quod hunc orbem nostrum Britannicum pestis vix frequentius quam post annorum circiter triginta, vel quadraginta intervalla, summo scilicet perniciei vigore ac tota furiarum acie adoriatur. Quae per annos aliquot pestem insigniorem subsequentes sparsim occurrunt pestiferorum funera, paulatim imminui ac evanescere solita, pestilenti aëris diathesi, etiamnum ex parte perseveranti, nec dum in aliam salubriorem penitus immutatae attribuenda sunt; quippe quae

antegressae messis duntaxat spicilegia reputari debeant. A quibus etiam nuperae luis reliquiis fit, ut febres, quae anno post graviorem pestem uno aut altero passim grassantur, pestilentes esse soleant; et licet aliquibus verae pestis notis destitutae, tamen ejusdem naturam ac indolem quamplurimum referant, necnon consimilem medendi rationem sibi vendicent, quemadmodum inferius ostendemus.

Verum praeter istam aëris constitutionem, ceu caussam communiorem, accedat oportet et alia procatarctica, nimirum μιάσματος sive seminii, a pestifero aliquo corpore, vel immediate ac propiore consortio, vel mediate ac per fomitem aliunde transmissi, susceptio. Hoc enim si, instante qualem diximus aëris diathesi, fieri contingat, ab exigua primum scintilla mox horribile erumpit incendium, ac densatis undique funeribus, universo aëri per istum terrae tractum a peste, tum laborantium halitibus, tum mortuorum cadaveribus, labes et contagium inducitur; adeo ut, ad tristissimae aegritudinis propagationem jam non amplius vel fomite, vel personali consortio opus sit; verum quemcumque hominem, vel summa cura a peste correptis semotum, ipse aër, cum spiritu intro subiens, per se ac suo Marte inficere valeat, modo ille corpus habeat humoribus ad afflatum excipiendum paratis refertum.

Quamquam autem hic morbus, cum dumtaxat sporadicus existit, nullo tempestatis discrimine paucos aliquot, tradito quasi per manus contagio, affligat, tamen ubi adest etiam epidemia aëris constitutio, exoritur circa eam anni partem, quae inter ver ac aestatem ambigit, utpote quae ad producendam aegritudinem, cujus essentia in humorum φλογώσει sive inflammatione, ut postea ostendemus, inprimis consistit, maxime idonea atque accommodata sit. Porro et sua habet incrementi, ac declinationis tempora, non secus ac ceterae rerum naturalium species. Nascitur eo quo diximus tempore, crescente anno adolescit, eodemque vergente collabascit, donec tandem aërem in diathesin, huic morbo adversantem, glacialis bruma transmutet.

Quod si tempestatum anni vicissitudines in hunc adfectum nihil imperii exercerent, verum seminium pestilentiale, nulla aëris mutatione domabile, de alio

in alium, perpetua propagationis serie, transmitteretur, fieri non posset, quin ubi in frequentiorem aliquam urbem semel pedem intulisset, continuata strage funera usque et usque densaret, donec tandem nemo superesset, in quem pestilentis miasmatis labes impingat. Atqui contrarium saepe evenisse animadversum est numero exstinctorum, quos unica mensis Sextilis septimana ad aliquot millia extulerat, sub Novembris exitum valde imminuto ac propemodum nullo. Nec tamen diffiteor, fieri posse, quod et nonnulli auctores factum prodiderunt, ut pestis aliis etiam anni tempestatibus caput primum exserat; hoc autem rarius accidit, nec ejusmodi lues in populum admodum debacchatur. Interea aëris dispositionem, quantumvis λοιμώδην, pesti suscitandae per se imparem esse vehementer suspicor; quin pestilentiae morbum alicubi semper superstitem aut per fomitem, aut per pestiferi alicujus appulsum, e locis infectis in alios deferri; ibidemque, non nisi accidente simul idonea aëris diathesi, popularem fieri. Alias enim non adsequor, qui fiat, ut in eodem coeli tractu, dum unum aliquod oppidum peste gravissime adfligitur, aliud non longe dissitum, omnem commercii necessitudinem cum loco contagioso caute inhibendo, prorsus immune se praestiterit; quemadmodum non ante multos annos pesti, per universam fere Italiam immaniter grassanti, magni ducis cura, atque prudentia, aditum in Hetruriae fines penitus interclusit.

Primus insultus rigorem ac horrorem, quemadmodum et febrium intermittentium accessiones, fere perpetuum habet comitem. Mox vomitus enormes, dolor circa cordis regionem, ac si torculari premerentur, febris ardens usitata symptomatum συνδρομῇ stipata, indesinenter aegros divexant, donec aut mors ipsa, aut benigna bubonis vel parotidis eruptio, quae materiam morbificam foras ablegat, eos ab luctuosissimo discrimine liberet. Rarius quidem accidit, ut citra ullam febris praesensionem ingruat, ac homines de improviso e medio tollat, maculis purpureis, praesentanei interitus nuntiis, etiam dum in foro versantur, erumpentibus. Quae repentina exanimatio (quod animadversione dignum) nisi in pestis admodum funestae exordio vix contingit; remittente

ac refracta jam lue, aut in annis, in quibus non existit popularis, numquam observata est. Fit etiam nonnumquam, ut tumores prorumpant, nec febre, nec graviore aliquo symptomate praegresso; quamquam suspicor, rigorem, et horrorem leviusculum, ac minus perceptibilem semper praecessisse. Quibus autem hoc obtingit, iis integrum est per publicas plateas pro lubito obambulare, ac communia vitae munia sanorum more, spreta omni regiminis cura, obire.

Caeterum quod ad morbi essentiam spectat, eam enucleate definire in me non suscipio. Nec fortasse hominibus cordatioribus rem minus importunam ille facere videbitur, qui a me postularit, quid hanc aut illam aegritudinis speciem constituat; quam ego etiam facerem, si ab illo idem de equo v. c. inter animalia, vel de botanica inter stirpes vicissim sciscitarer. Nimirum certissimis ubique legibus, ac artificio sibi soli intellecto, rerum omnium generationes natura parens exsequitur; quaeque uspiam e caussarum gremio in actum, ac quasi in lucem educit, eorum essentias, quidditates, ac differentias constitutivas altissimis tenebris obvelat. Hinc unaquaeque morborum, non minus quam animalium, aut vegetabilium species affectiones sibi proprias, perpetuas, ac pariter univocas, ab essentia sua promanantes, sortita est. Neque interim magnopere urgebit ista quaestio: qui demum morborum medela administrabitur, dum caussae ipsorum nos latent? Quandoquidem non caussarum, sed methodi convenientis, atque experientia comprobatae cognitione, affectuum plurimorum curatio absolvitur. Sed ut ad rem redeamus. Quoniam similarium omnium morborum ortus, a qualitatum vel primarum, vel secundarum vitio (quod solum in hac rerum caligine nobis licet) deducere solemus, prope est ut credam, pestem peculiarem ac sui generis febrim esse, quae a particularum sanguinis spirituosiorum inflammatione originem ducit; utpote cujus naturae subtilissimae, prae tenuitate sua, maxime proportionatae, ac adaequatae videntur. Quod si subtilitate qua potest maxima pollet (ut in principio et statu constitutionis epidemiae videre est) subito, ac quasi ex improviso, calorem nativum dissipat, et aegrum e medio tollit: cadaveribus interim hujus

morbi ferocia tam subito exstinctorum maculis purpureis undequaque conspersis, atque foedatis; nempe fibris cruoris, prae intestini conflictus violentia, dissilientibus, et compage ipsius prorsus dissoluta. Atque haec tragoedia, prae hujus quasi flammae subtilitate eximia, etiam sine aliqua sanguinis febrili ebullitione, vel alterius aegritudinis praesensione cietur. Secus quam utplurimum accidit, ubi caussa morbifica minus subtilis existit, et quasi obtusiori telo vitam impetit. Discriminis modus pinguiori exemplo sic adumbretur. Si acus, vel quid aliud, cuspide graciliori praeditum pulvinari supponatur, ac vi adigatur illud, aeque ac ab obtusiore instrumento similiter adacto, in sublime non attollitur, sed perforatur. Verum ejusmodi subitanea exstinctio rarius occurrit, nec nisi (ut supra innuimus) circa initium pestis, vel incrementum. Etenim, ut in aliis febribus, plerumque rigor atque horror primum invadit, quem calor mox excipit, et tantisper excurrit, donec particulae cruoris inflammatae, provido naturae ductu, ad emunctoria amandentur, ac ibidem adinstar phlegmonum communium in pus vertantur. Jam si inflammatio adhuc remissior existat, febres, quas pestilentes vulgo appellant, producere solet; ut in fine pestilentis constitutionis saepenumero accidit, ac forsitan etiam uno alterove post anno, donec ista febrium species prorsus dispareat.

Certe, me judice, in inflammatione ista, quam Latini ignem sacrum appellant, quamdam pestis imaginem non obscuram intueri licet. Est enim morbus hic, apud saniores medicos, febris continua, a sanguinis parte tenuiori corrupta ac inflammata originem ducens; qua ut natura se liberet, eam in corporis aliquam partem externam expellit, in qua tumor, aut potius (cum tumor adeo notabilis saepe non appareat) macula rubra, lata, dispersa, quam rosam appellant, oritur. Solvitur autem ista febris, postquam uno atque altero die aegrum adflixit, critice per hunc tumorem; et proinde aliquando in glandulis sub alis, vel in inguinibus dolor, ut etiam in peste fieri consuevit *). Et fere invadit hoc ma-

*) Vide Sennertum, lib. 2. cap. 16. de febre symptom. contin.

lum ut pestilentia, cum horrore et insequenti calore febrili, ita ut qui ipsum ante non sunt passi, existiment lue pestifera se corripi, donec tandem in crure aut alio loco sese affectus prodat. Quibus accedit, quod et maligni aliquid huic morbo inesse nonnulli auctores suspicantur, ac proinde curationem in sudoriferorum, atque alexipharmacorum usu constituunt. Haec quidem flamma, ubi ebullitionem commoverit, cujus ope particulae sanguinis leviuscule ustulatae ac quasi sideratae brevi spatio foras ablegantur, sponte sua, nec ulteriorem noxam molita exsinguitur.

Verum tamen ignis noster isto sacro longe divinior est, ut qui, summa qua pollet substantiae tenuitate, intimiores corporis recessus adinstar fulgetri permeare aptus natus sit, spiritibus cruoris derepente profligatis, ipsiusque compage nonnumquam citius dissoluta, quam natura praecipiti malo oppressa, ebullitionem febrilem (solemnem nempe machinam, qua quicquid sanguini infestum est, suis e finibus amovere satagit) concitare valeat.

Quod si quis mihi hic litem paret de eo, quod hunc morbum ab inflammatione oriri existimem, is attendat non modo febris praesentiam, sed et complura alia huic sententiae suffragari; nempe sanguinis detracti calorem, qui pleuriticorum, ac rheumatismo laborantium sanguinem plane aemulatur; adustam anthracum faciem, pyrotici actualis impressioni non absimilem; nec non bubones ipsos, qui inflammationem aeque solemniter excipiunt, ac eamdem alii cujuscumque generis tumores consequi solent, uti et inflammationes pleraeque omnes in abscessum terminantur. Quin et anni tempestas, qua epidemia pestis ut plurimum exoritur, ad hanc rem symbolum suum conferre videtur. Eodem enim tempore, nimirum quod inter vernum aestivumque medium est, pleuritides, anginae, aliaeque inflammati sanguinis adfectiones populariter ingruere consueverunt: quemadmodum etiam numquam frequentiores mihi visae sunt, quam per aliquot septimanas, quae nuperae pestis Londinensis exortum antecesserunt. Nec vero nullius est momenti, illum ipsum annum tot millium strage funestum, alioquin mitissimum ac saluberrimum exstitisse; omnesque, qui a peste immunes perstiterunt, numquam meliori valetudine

usos fuisse; quin et eos, qui ab eadem convaluissent, cachexiae aliisque affectibus, a residua priorum morborum labe provenire solitis, non magis obnoxios deinceps vixisse. Quibus accedit, quod et quantaecumque latitudinis apostemata et carbunculi, postquam inflammatae particulae una cum sanie decessissent, chirurgicis auxiliis, iisque non admodum conquisitis, facile sanata fuerint.

Verum perquirat hic fortasse aliquis: si pestis in inflammatione quadam consistat, qui fiat, ut medicamenta calidioris census, qualia sunt alexipharmaca prope omnia, tam ad hujusce affectus therapeiam, quam prophylaxin, tanto cum fructu usurpentur? Cui respondeo, illa dumtaxat per accidens auxilium praestare, nempe diaphoreseos, quam suscitant, beneficio; quo particulae sanguinis inflammatae difflantur atque exterminantur. Quod si forte exhibita sudores commovere non valeant (ut persaepe accidit) mox sanguinis incendium, ab addititio calore magis efferatum, eorum noxam palam proclamat. Prophylaxin, ut verbo attingam, non sum nescius etiam ad illam Antidotalium calidorum usum passim depraedicari, at quo emolumento, adhuc probandum restat. Immo vinum liberius ingurgitatum, aliaque fortiora praeservativa, statis horis dietim assumpta, complures, qui alias salvi, intactique verisimiliter permansissent, in hunc adfectum conjecerunt.

Quod ad harum febrium therapeiam attinet, erunt fortasse, qui me temeritatis, atque arrogantiae eo nomine insimulabunt, quod ab urbe, dum nupera pestis grassaretur, maximam partem complurium milliarium intervallo semotus, adeoque observationum copia minus instructus, de hac re tamen disserere sustineam. Verum cum medicis illis longe peritioribus, quibus per totum calamitosae luis decursum, inter media pericula et mille mortis imagines commorandi animus ac fiducia non defuisset; tamen ea, quae crebriori usu de hujusce morbi ingenio annotassent, in lucem edendi voluntas hactenus defuit; mitiorem, uti spero, de consilio meo sententiam laturi sunt omnes boni, quod meam de truculentissimo adfectu sententiam, paucis quidem sed propriis observationibus superstructam, in medium expromam.

Ac primus quidem locus indicationibus curativis

debetur; quae eo in universum dirigendae sunt, aut ut naturae ductum in exterminando morbo accurate sequentes eidem subsidiariam porrigamus manum; aut ut methodo, qua natura in intestino hoc hoste debellando uti solet, minime fidentes, diversam ac tutiorem ex nostro penu atque artificio vice illius substituamus. Nisi forte hic aliquis regerat, rem etiam satis feliciter per pestifuga alexiteria geri posse, quorum ingentem apud practicos copiam reperire est. Verum enim vero, an non auxilium, quod praestant hujusmodi medicamenta, potius manifestae ipsorum facultati, qua sudores affatim proliciendo simul materiae morbificae exitum aperiant, quam occultae cuidam indoli, qua a natura ad pestilentis malignitatis labem delendam donata fuerint, referri debeat, magnam atque ancipitem habet disceptationem. Nec de hisce tantummodo, sed et de aliorum morborum alexiteriis dubitare fas est, utrum evacuationem aliquam sollicitando potius, quam virtute quadam specifica aegrotantibus non succurrant. Qui enim, v. gr. in lue venerea vel Mercurium vel Salsaparillam veneni in isto morbo reperti alexipharmaca objiciat, adducenda sunt ei curationum exempla, in quibus ille sine sputo aut secessu, haec vero sine sudoris suscitatione sanitatem aliquando restituerit; quod ego quidem credo ei admodum difficile futurum. Mihi autem verisimile est, peculiare pestis remedium, propriumque ipsius perniciei alexiterium adhuc in naturae sinu abditum delitescere, nec eamdem nisi ratione quadam mechanica tolli posse.

Quocirca, ut intentionem illam priorem paulo plenius expendamus, quae eo spectat, ut naturae in materiae morbificae exterminatione suo more et modo auxilium suppeditetur; advertendum venit, quod in vera peste natura, dum neque sponte sua aberrat, neque vi aliqua transversim agitur, per abscessum aliquem in emunctoriis erumpentem, unde materiae exitus patescit, negotium suum exsequitur. Atqui in febre, quam pestilentem nuncupamus, mediante diaphoresi per universam corporis superficiem idem efficitur. Unde colligere est, pro diversa, quam natura in utroque morbo praemonstrat, via ac ordine etiam diversam medendi rationem institui debere. Nimirum si quis materiam verae pestis ope sudoris

amoliri satagat, is diversa a natura via insistit, utpote quae id per apostemata molitur: contra vero, qui alias, quam per sudores, febris pestilentis materiam eliminare tentat, is cursum instituit, cum naturae ductu ac ῥοπῇ nequaquam convenientem. Caeterum in peste vera, quonam idoneo ac certo remediorum genere naturalis morbificae materiae ejectio, id est, apostematum eruptio promoveri possit, nondum constat; nisi quis forte victum corroborantem atque cardiaca ad illud conferre posse existimet; quae tamen multum dubitarem, ne aegrum, jam jam plus aequo calescentem, in majorem aestum conjiciant. Certo sudores in hoc casu frustra esse, compertissimum habeo; quamquam haud inficior, post magnos sudores, ad trium quatuorve horarum spatium productos, ac deinde abruptos tumorem se in conspectum dare, quem ego a sudore proficisci minime arbitror; utpote quo vigente nullum appareat eruptionis indicium, finito quidem, veluti per accidens consequatur; nimirum cum jam aliquam sarcinae partem, quae naturam plus satis gravabat, sudores abstulerint, ac corpus a cardiacis, ad diaphoresin suscitandam propinatis, vehementius incalescat. Verum quam fallax et infida sit haec peccantis materiae, per apostemata a sudoribus foras evocatae, exterminatio, testor funestos eorum exitus, qui hac modo tractati fuerunt, e quibus vix tertius quisque (ut modestissime dicam) medicationis ac morbi periculum evasit. E contra vero multi, quibus laudabili ritu tumores eruperunt, etiam dum negotiis suis intenti versarentur, nec ullius sive naturalis, sive vitalis, sive denique animalis facultatis laesione percepta, sanitatem brevi recuperarunt; nisi qui, malo suo fato, in medicastrum aliquem incidentes, ejusque monitu, quantumvis corpore pariter ac animo optime valentes, ad sudandum in cubilibus compositi, ab eo ipso tempore deterius se habere inceperint, ac demum, ingravescente aegritudine, inauspicati consilii noxam suo interitu comprobarunt. Verum lubricam atque aleae plenam in se esse hujusce morbi per tumores judicationem, ex eo manifestum est, quod interdum bubo, qui primum laudabiliter, ac cum symptomatum remissione protuberavit, postea ex improviso dispareat, ejusque loco maculae purpu-

reae, certissimi mortis indices, succedant: cujus retrocessionis caussa magnis illis sudoribus, ad eruptionem promovendam destinatis, jure tribuenda videtur, ut qui bonam materiae partem, quae tumoris molem infarcire ac sustentare debuerat, aliquorsum per ambitum corporis distrahendo ac dissipando leves in auras difflaverint. Ut ut sit, hoc saltem planissime constat, ceteris affectibus a Dei Opt. Max. benignitate certam amoliendae caussae morbificae rationem, huic autem, enormium delictorum flagello, non nisi lubricam admodum et versatilem adjunctam esse. Atque hinc fortasse non minus commode, quam a malignitate, ut loqui amant, eximiae perniciei caussa atque origo peti possit. Nam et in arthritide aliisque morbis, qui exiguam habent malignitatis suspicionem, materiae morbificae recursus non minori certitudine fatum accersit. Ex quibus omnibus manifesto consequitur, medicum, qui in aliorum morborum medicatione naturae ductum ac propensionem pressim, ac passibus aequis sequi tenetur, hic ejusdem auspiciis renunciare debere. Cujus effati veritatem quia paucissimi hactenus perspexerunt, hinc numerus eorum, quos tumulo pestis intulit, haud paulo auctior evasit.

Quare cum minime securum sit, in exterminando hoc morbo naturae vestigiis insistere, proximo loco dispiciendum venit, qua demum arte secundae quam diximus intentioni satisfiat; nempe aliam, atque a naturali diversam hujusce morbi solutionem adgrediendi. Hoc autem dupliciter omnino fieri posse existimo; scilicet vel per sanguinis missionem, vel per sudores. Priorem quod attinet, non sum nescius, sacram apud plerosque audire in hoc morbo venaesectionem. Verum vulgi praejudicia parum moratus, rationum in hac quaestione momenta, qua par est aequitate atque candore, paulisper expendam. Ac primum quidem medicorum, qui grassante nupera lue in urbe perstiterunt, fidem appello; numquis eorum phlebotomiam larga manu, ac repetitis vicibus, nec non tumore nullo adhuc protuberante, celebratam peste laborantibus funestam esse animadverterit? Parcam quidem, vel tumore jam conspicuo sanguinis detractionem semper damnosam esse, neutiquam mirandum est; siquidem cum me-

diocris tantum quantitas cruoris adimitur, hinc naturae, quae tumori protrudendo totas intendit vires, rei administratio e manibus eripitur; nec interea alia satis efficax materiam morbificam evacuandi ratio substituitur. Apparente autem jam tumore, celebrata venaesectio cum a peripheria ad centrum trahat, motui naturae, qui fit a centro ad circumferentiam, inducit motum plane adversantem. Nihilominus vix quidquam frequentius factitatum videas, quam phlebotomiae, perverso hoc ritu administratae, noxam, a contrariae sententiae patronis universim, ac in genere adversus sanguinis in hoc morbo detractionem validissimi argumenti loco torqueri; uti in DIEMERBROECKIO, aliisque observationum scriptoribus passim videre est. Quod ad me attinet, equidem eorum ratiocinationi assentiri non possum, donec intellexero, quid quaestioni superius propositae respondeant. Sane venaesectionem in peste convenire, complures, iique gravissimi scriptores jampridem senserunt quorum praecipui sunt LUDOVICUS MERCATUS, JOANNES COSTAEUS, NICOLAUS MASSA, LUDOVICUS SEPTALIUS, TRINCAVELLIUS, FORESTUS, MERCURIALIS, ALTOMARUS, PASCHALIUS, ANDERNACHUS, PEREDIA, ZACUTUS LUSITANUS, FONSECA, aliique. Verum qui totum curationis negotium in copiosa, qualem nos postulamus, sanguinis detractione collocaverit, unus, quod sciam, repertus est LEONARDUS BOTALLUS, medicus superioris saeculi celeberrimus, quem, ne solus in hac palaestra versari videar, lector accipiet suis ipsius verbis de hac re disserentem.

*) *Ego* (inquit) *ut uno verbo dicam, nullam pestem esse puto, cui haec non possit esse salutaris supra omnia remedia; modo opportune, et quantitate convenienti usurpata sit, ratus eam aliquando inutilem inventam fuisse, propterea quod aut tardius, aut parcius, quam opus esset, aut quod utroque modo circa eam usurpandam peccatum sit.* Et paulo post haec subjungit: *at in tanta timiditate, et parca detractione, qui fieri potest, ut quis recte possit judicare, quantum ea in pestilenti morbo prodesse valeat, aut obesse? Non enim morbus, pro cujus*

*) Cap. 7. de curatione per venaesectionem.

curatione requirebatur detractio librarum quatuor sanguinis, in quo una tantum detrahitur, si hominem interficiat, ideo non interficit, quia sanguis est missus, sed quia non justo modo missus est, nec forte etiam opportune. Verum nebulones nequissimi et ignavissimi in id semper culpam convertere satagunt, non quod nocuit, sed quod per nefas a cunctis vituperari exoptant. Aut si id nequitia non faciant, ignorantia tamen pravae dispositionis efficiunt: utraque certe perniciosa, sed illa magis. Quae omnia experientia confirmaturus, paulo inferius sic pergit: *His observatis, nemo rationis capax jure in his morbis vituperare missionem sanguinis potest, sed mirifice et tanquam divinum auxilium commendare, extollere, et confidenter usurpare; quod ipse profecto ab annis quindecim facio. Ideo in morbis pestilentibus, in obsidione Rupellarum, et montibus Hannoniae abhinc quadriennium, et Parisiis toto hoc biennio, et Cameraci anno proxime acto in omnibus meis aegrotis, qui innumeri fuerunt, nullum praesentius, ac salutarius reperi ipsa larga et tempestiva sanguinis missione.*

Deinde ad curationum exempla descendit, quae brevitati studens huc transferre supersedeo. Libet tamen rei, in hac nostra Britannia ante aliquot annos gestae, historiam oppido raram, ac a proposito nostro non alienam hic loci adponere.

Cum inter caeteras belli civilis calamitates, quae hanc patriam nostram miserrime adflixerunt, pestis etiam multis in locis grassaretur; at forte in castrum Dunstar, quod in provincia Sommertonensi situm est, aliunde invecta, aliquot praesidiariis cum macularum efflorescentia derepente exanimatis, complures etiam alias corripuisset; chirurgus quidam, qui, a longa in regionibus exteris peregrinatione redux, tunc temporis stipendia inter alios faciebat, a praesidii praefecto enixe rogat, ut sibi liceret commilitonibus suis, truculento morbo correptis, pro virili succurrere; quo annuente, singulis aegris statim a primo morbi insultu, atque nullo adhuc tumore conspicuo, sanguinem ingenti copia detraxit, donec pedibus deficere inciperent, nam stantibus ac sub dio vena pertusa est, nec aderant vascula, quae cruoris in terram effluentis mensuram definirent. Hoc facto,

eos in tuguriola sua ad decumbendum dimisit. Et quamquam a phlebotomia nullum omnino remedium adhibuit, tamen ex complurimis iis, quos hoc modo tractasset, mirum dictu, ne unus quidem desideratus est. Vir nobilissimus juxta ac morum probitate atque fide spectabilis, D. Franciscus Windham, militum tribunus, ac praedicti castri tunc temporis praefectus, mihi haec retulit, et etiamnum in vivis est pro ea, qua est, humanitate rei gestae veritatem cuilibet dubitanti confirmaturus.

Quid mihimet ipsi circa hanc rem singulare ac memoratu dignum aliquando observare contigit, lector inferius accipiet, ubi pauca ea, quae desaeviente nupera peste Londinensi, a me usu atque experientia annotata fuerunt, inferius ostendam.

Hujusce autem praxeos utilitatem etsi non mente tantum ac judicio adsequor, verum etiam re ipsa atque editis experimentis dudum exploravi; tamen pestilentis fermenti per diaphoresin dissipatio, prae ejusdem per venaesectionem evacuatione, mihi multis nominibus arridet; utpote quae nec aegrorum vires aeque prosternat, nec medicum infamiae periculo objiciat. Atqui et haec difficultatibus suis non vacat; primo enim multis, ac praesertim calidioris temperamenti juvenibus, sudores aegrius proliciuntur; cujusmodi aegrotos, quo hydroticis fortioribus, ac cumulatiori tegumentorum pondere diaphoresin conciere satagas, eo in manifestius phrenitidis periculum adduces; aut quod tristioris adhuc ominis est, vana spe aliquantisper luctatus tandem pro sudoribus exanthemata pestilentialia elicies. Cum enim praecipua hujusce mali labes in spirituosiori massae sanguineae parte resideat, unde crassiorum particularum exagitatio nonnihil languidior, quam in aliis inflammationibus plerumque existat, tenuior illa portio novi caloris accessione in majorem rabiem acta, impetu demum facto omnes cruoris fibras, ultra texturae motum distensas, prorsus frangit ac comminuit. A qua fibrarum sanguinearum dissolutione macularum pestilentialium caussam petendam esse censeo; quippe non secus ac vibices a plaga fortiore in partem aliquam corporis musculosam inflicta primo intensius rubicundae in cute efflorescunt, ac bre-

vi post tempore livorem quemdam, aut nigredinem induunt.

Deinde vero in corporibus, quae satis prompte in sudorem solvuntur, si diaphoresis justo praematurius (nempe tota materia morbosa nondum penitus dissipata) abrumpatur, bubonum, qui laudabiliter quidem sub finem sudoris prodire inceperant, postea deterior evadet conditio. Nam subducta, quae eos in molem attollere deberet, materiae parte, aut de facili intro remeant, aut saltem ad legitimos abscessus nunquam perducuntur (quemadmodum etiam in variolis accidere solet, quoties aeger per primos dies impensius sudavit), recepto autem denuo intra muros hoste ferali, in sanguine commotio excitatur, cujus opera eo, quo superius innuimus, modo saepe ecthymata, imminentis lethi indicia, foras propelluntur.

Verum quibusnam modis his aliisque difficultatibus obviam iri possit, ut luculentius patescat, quid in hoc morbo a me pro modulo meo factum observatumque fuerit, initio a nuperae luis primordiis ducto, summa fide edisserere lubet.

Nobilem feminam ineunte Majo anno 1665, aetatis circiter 21 annorum, ac temperamento sanguineo praeditam invisi. Praeter febrem ardentem, quae paulo ante invaserat, vomitiones importunae, aliaque symptomata febrilia aegram excruciabant. Curationem a venaesectione auspicatus, postero die ad praecavendam diarrhoeam, (quae, ut in hujusce tractatus initio monuimus, ob omissam, quam postulabat in principio morbi vomendi propensio, emetici exhibitionem, defervescente febre supervenire consuevit) vomitorium imperavi, quod satis commode ventriculi saburram elicuit. Postero mane, cum aegram iterum adirem, ei alvum profluere intelligo, quae res, ab aliquot annorum usu insolentior visa, mihi non levem solicitudinem injecit. Exinde autem febrem non vulgaris generis esse judicavi (quemadmodum etiam eventus docuit) proindeque aliam ab ea, quae superius tradita est, quaeque constanti successus serie hactenus a me usurpata fuisset, medendi rationem sibi vendicare. Quocirca, adscito in negotii societatem medico alio seniore, venaesectio, quam aegrotantis aetas, temperamentum, ac inordinata sanguinis ebullitio flagitare videbantur, ex communi

nostro consilio iterum celebrata est; etiam cardiaca moderate refrigerantia propinata, ac denique clysmata alternis diebus injecta sunt. Sub finem aegritudinis, quoniam symptomata valde anomala ac inconsueta (malignitatis egregiae indicia vulgo habita) ingruebant, ex alexipharmacorum classe fortiora aliquot praescripsimus. Quibus tamen omnibus nequidquam proficientibus, aegra circa diem decimum quartum e vivis excessit. Insolitum hujusce febris ingenium, per aliquot post dies animum meum varie exagitabat; ac tandem in memoriam revocans, summum ardorem etiam post reiteratam venaesectionem in praedicta aegra perseverasse; ruborem genarum adfuisse; cruoris aliquot guttulas paulo ante mortem e naribus fluxisse; nec non sanguinem ipsius in acetabulis refrigeratum ei, qui a pleuriticis detrahitur, non absimilem fuisse; quin et tussim aliquam, et obscuros quosdam in partibus vitalibus dolores, emicuisse; porro et eam anni tempestatem incubuisse, quae finem veris ac initium aestatis complectitur, quaeque febribus continuis producendis minus esset idonea, (illae enim hoc tempore sua sponte quasi dissiliunt, et in intermittentium classem se reponunt, vel in pleuritides, atque id genus alias inflammationes praecipites ruunt); denique pleuritides eo ipso tempore admodum populares fuisse: his inquam omnibus rite perpensis, in eam deveni sententiam, ut febrim hanc, etsi pathognomicis pleuritidis, aut etiam peripneumoniae signis destitutam, tamen symptomatis rationem habuisse judicarem, inflammationis cujusdam respectu circa partes spiritales delitescentis, etiamsi nullus aderat lateris dolor, nulla insignis spirandi difficultas. Ut rem contraham, eo tandem deveni, ut eadem omnino mihi methodo procedendum fuisse in praedicto casu arbitrarer, qua in pleuritide saepius cum successu singulari usus fueram. Quae sententia deinceps feliciter atque ex voto cessit. Vocatus enim non multo post ad hominem consimili prorsus modo aegrotantem, reiteratis venaesectionibus, quales ad pleuritidem supra laudantur, curationem commisi et absolvi. Circa mensis modo memorati exitum atque initium Junii complures operam meam implorantes ab eadem febre (quae jam valde populariter grassabatur) praedictae praxeos

beneficio convaluerunt. Ab hoc tempore immaniter debacchari coepit calamitosa illa pestis, quae eo tandem truculentiae devenit, ut septem dierum spatio totidem animarum millia in hac una urbe exstinxerit.

Febri autem illi, de qua modo loquebar, an pestis appellatio attribui mereatur, non ausim definito pronunciare. Hoc tamen explorate cognitum habeo, omnibus, quos illo, et aliquanto post, tempore ipsissima pestis cum universo symptomatum sibi peculiarium adparatu in mea vicinia adflixit, eandem tam in primo morbi insultu, quam in decursu accidentium *συνδρομὴν* adfuisse. Caeterum cum, proximo pariete ardente, propius aedibus meis immineret periculum, ego tandem amicorum suasu numerosissimis fugientium turbis me adjunxi; familia etiam mea ad aliquot ab urbe lapides subducta. Eo tamen vicinis meis maturius redii, ac dum calamitosae illius luis in tantum perseveraret saevitia, ut fieri non potuerit, quin, meliorum medicorum penuria, ad pestiferorum auxilium advocarer. Nec multo post complures febricitantes invisi, quorum febrem illius, quae ante decessum meum tam prosperis aegrorum rebus a me tractata fuisset, morem atque genium aemulari, non sine magna admiratione deprehendi. Ideoque propria experientia fretus ceu duce, quibuscumque praeceptis umbratilibus adponendo, phlebotomiam similiter administrare non dubitavi.

Hunc autem ritum imminuendi liberalius sanguinem (cui etiam ptisanae, ac diaetae id genus refrigerantis usus accessit) in multis aegris miro profectu continuavi; donec tandem in nonnullorum tractatione solito successu destitutus prae adstantium protervia, qui praejudiciis inanibus occupati debitam sanguinis quantitatem auferri non patiebantur, (magno aegrotantium malo, quibus, saltem dum in hoc cardine curandi scopus versaretur, sanguis aut sufficienti quantitate, aut non omnino detrahendus fuerat,) insignem obicem conatibus meis oppositum sensi; ac proinde alium a venaesectione huic morbo occurrendi modum reperiri, magnopere ex usu futurum judicavi. Nocumenti quod aliquando insons dedi, non ex eo, quod sanguinem ademerim, sed quod ex voto eumdem adimere impeditus fuerim, exemplum hic addu-

cam. Vocatus ad juvenem quemdam, temperamento sanguineo ac habitu athletico praeditum, quem febris vehementior cum doloribus capitis vertiginosis, vomitu enormi, aliisque id genus symptomatibus a biduo corripuerat, cum nullum adesse tumoris signum interrogatus responderet; statim liberali manu sanguinem emitti imperavi; cujus refrigerati superficies puriformem pleuriticorum sanguinem referebat; praescripta etiam ptisana cum jusculis ac julapiis refrigerantibus. A meridie pro secunda vice parem sanguinis jacturam subiit, qua etiam sequente aurora similiter mulctatus est. Sub hujus autem diei exitu aegrum meum invisens, eum quidem multo melius se habere, et nihilominus amicos ejus adversus ulteriorem venaesectionem animis vehementer obstinasse, deprehendo, quam tamen ego denuo celebrandam esse enixe contendi, superesse alteram dumtaxat venaesectionem dictitans, quae aegrum in sicco collocaret; sin contra niti pergerent, satius fuisse, ut, nullo omnino sanguine detracto, curatio per sudores instituta fuisset; uno verbo, aegrum certo certius interiturum. Praesagium eventus confirmavit; nam dum haec altercatio rei agendae occasionem corrupisset, maculae purpureae postridie eruperunt; nimirum materiae peccantis reliquiis, quas radicitus evacuari oportuit, cum jam omnem abscessus spem phlebotomia toties repetita abstulisset, mora sua universam cruoris massam pervertentibus, ejusdemque compagem subtilitate eximia disrumpentibus, aeger autem post aliquot horas fatis concessit. Cum ergo frequentior hujusmodi obstaculorum occursus mihi molestiam facesseret; magna cogitandi solicitudine mecum agitavi, ecquis demum reperiri possit medendi modus, qui morbum non minus efficaciter abigeret, nec hominum offensionem aeque incurreret. Re diu multumque apud animum meum deliberata, tandem in hanc methodum incidi, quam numquam non proficuam ac omnibus numeris absolutam deinceps expertus sum.

Curatio.

Primo, si quidem tumor nondum protuberaret, sanguinem pro aegrotantis viribus ac temperamento moderate detraxi: quo facto diaphoresis, cujus alias

solicitatio in nonnullis corporibus non modo summam habebat difficultatem, verum etiam majoris incendii proindeque ecthymatum purpureorum periculum minitabatur, facilis erat atque expedita. Atque hanc sanguinis jacturam, quae, ut ut exigua, alias gravissimum incommodum adtulisset, diaphoreseos immediate insequentis beneficium abunde compensavit. Post venaesectionem (quam in lecto celebrandam curavi, cum jam omnia ad sudores proliciendos in promptu essent) ne vel minima interposita mora stragulis aegrum obrui, ac laciniam laneam sincipiti alligari jussi; quae quidem capitis obtectio ad sudorem ciendum plus proficit, quam quis facile crediderit. Deinde, si vomitus non adessent, haec et similia hydrotica exhibui; Rec. Theriac. Androm. drachm. sem. Elect. de Ovo scrup. un. pulv. e chel. Cancror. comp. gr. xij., Cochinell. gr. viij., Croci gr. IV. cum. s. q. succi Kermes. F. Bolus, quem sumat sexta quaque hora, superbibendo Cochl. vj. sequ. Julapii.

Rec. Aq. Card. benedicti et Scord. comp. aa. unc. tres, Aq. Theriac. still. unc. duas, Syr. Caryophyll. unc. un. Misc. F. Julap.

Quod si vomitio interpellaret, ut in peste ac febribus pestilentialibus saepissime accidit, medicamentum sudoriferum tantisper propinare distuli, donec solo tegumentorum pondere (nisi quod linteaminis pars subinde ad colligendos halitus vultui superinduceretur) sudor promanare inciperet. Nam, quod quidem observatu summe dignum est, cum materiae morbificae radii versus ambitum corporis sese exporrigant, illico alvi profluvium et vomitiones, ab eisdem introrsum reflexis, ac in ventriculum et intestina decumbentibus provenientes, ultro sedantur: adeo, ut quantacumque stomachi subversio praecesserit, assumpta deinceps medicamenta probe retineantur, ac ad sudores ex voto proliciendos conducant.

Memini, cum me aliquando pharmacopola quidam ad fratrem suum ex febre pestilentiali graviter aegrotantem vocasset, atque ego de medicamento ad sudorem suscitandum exhibendo sermonem injicerem, retulit se jam jam varia, eaque fortiora sudorifera incassum propinasse, siquidem aeger omnia vomitu rejecerat. Cui ego, adduceret, inquam, ex

omnibus iis, quae antea exhibuisset, vel ingratissimum ac summe fastidiosum, me facile effecturum, ne illud deinceps evomeretur. Promissi fidem eventus liberavit; quippe aeger, ubi a sola stragulorum mole paululum maduisset, largiorem Theriacae Venetae bolum deglutivit ac retinuit, cujus beneficio in copiosiorem sudorem conjectus incolumitatem recuperavit.

Sed ut ad institutum redeam, inceptam jam diaphoresin haustibus Zythogalae Salvia alteratae, vel cerevisiae, cui macis aliquantulum incoxerit, subinde repetitis, ad naturalis diei spatium continuari praecepi, abstersione interim omni religiose interdicta; immo nec infra quatuor ac viginti horas a sudoribus finitis indusium, utcunque madidum ac immundum, mutari permitto; id quod summa cautela observari velim. Quod si sudatio angustiori temporis limite circumscribatur, recrudescit illico symptomatum saevitia, atque aegroti salus, quam prolixior diaphoresis extra aleam constituisset, in acie novaculae relinquitur.

Et profecto Diemerbroekium aliosque nequeo satis mirari, quoties adverto eos tam levi praetextu ad diaphoresin interpolandam adduci, ut scilicet aegrotantium viribus consulatur. Primo enim aegrum sudore diffluentem viribus melius quam antea constare, nemini, in hujus morbi medicatione vel tantillum versato, non potest esse animadversum. Quid me in hac re usus atque experientia docuit, palam eloqui ac etiam propugnare non verebor. Multi, me auctore in viginti quatuor horarum diaphoresin conjecti, tantum abest, ut se exinde debiliores factos quererentur, quin potius, quantum supervacanei humoris sudando decessisset, tantumdem novi roboris sibi accrevisse profiterentur. Circa horas autem aliquot posteriores saepe non sine stupore observavi erumpere sudorem quemdam, priore illo, quem vis medicaminum expresserat, magis naturalem, genuinum, copiosum, quique multo plus levaminis adferret, plane ac si vere criticus foret ac totius morbi eradicativus. Porro in summo sudoris vigore jusculis ac sorbilibus confortativis aegrum reficere, quid secum trahat incommodi non video; ideoque ad nihilum recidit illa objectio de virium ad longos sudores perferendos impotentia. Si qua igitur defectio

sub finem imminere videatur, jusculi ex pullo tantillum, vitellum ovi, vel his similia sorberi permitto, quae cum cardiacis et haustibus, ad sudorem continuandum ex more destinatis, virium labefactationi abunde succurrunt. Caeterum in re adeo manifesta non opus est, ut plura argumenta adducam. Etenim, quod hujus praxeos utilitatem palam proclamat, videre est, quod, quamdiu aeger sudore diffluit, bene se habere existimet, neque minus ex adstantium judicio res tota in vado constituta videatur, atqui quamprimum corpus arescere incipit ac sudor abrumpitur, omnia in pejus ruant, morbo quasi postliminio redeunte.

Per horas a finito sudore viginti quatuor moneo ut frigus caute vitetur, indusium sponte sua in corpore arescere permittatur; potulenta omnia calidiuscule hauriantur, et Zythogalae Salvia alteratae usus etiamnum continuetur. In sequenti luce commune catharticum exhibeo, ex infusione scil. Tamarind., fol. Sennae, Rhabarb. cum Manna, et syr. Rosar. sol. Atque hac medendi ratione, anno a peste proximo, complurimis febre pestilentiali correptis sanitatem restitui, adeo ut ne unus quidem ex eo morbo mihi desideratus sit, postquam eamdem exercere inceperam.

Verum ubi tumor jam enatus fuerit, venam aperire, etiam in corpore ad sudandum quantumvis inhabili, hactenus non sustinui; veritus, ne materia morbifica in depleta vasa confertim remeante subitaneus aegri interitus destinatam diaphoresin anteverteret. Nihilominus fortasse satis tuto administrari poterit phlebotomia, modo confestim ab ea peracta ac nulla mora interjecta eliciantur sudores, qui ad spatium superius requisitum producti omnem tumoris molem paulatim absumere ac dissipare valeant, idque longe minore salutis periculo, quam si legitima apostematis maturatio, quae in praecipiti affectu admodum incerta ac fallax existit, serius exspectaretur.

Denique, ut ad calcem tandem perveniam, sicubi circa theoriam me hallucinatum fuisse lector deprehendat, errori veniam peto; verum quod ad praxin attinet, profiteor me omnia ex vero tradidisse, nihilque uspiam proposuisse, nisi quod probe explo-

ratum habeam. Sane, cum supremus vitae meae instabit dies, confido mihi adfuturum alacrem in praecordiis testem, me non solum aegrorum omnium, cujuscumque demum sortis, qui sese curae meae concrediderant, summa fide ac diligentia salutem procurasse (quorum interim nemo a me alias tractatus est, quam ego memet tractari cuperem, si mihi ex iisdem morbis aegrotare contingeret), verum etiam pro ingenii modulo omnes animi nervos in hoc intendisse, ut, si quo modo fieri possit, morborum medela post cineres meos majori cum certitudine administraretur; ratus quantulamcumque in hoc scientiae genere accessionem, etsi nihil magnificentius, quam odontalgiae, aut clavorum pedibus innascentium curationem edoceat, longe maximi faciendam esse, prae inani subtilium speculationum pompa, ac levicularum rerum notitia, quae fortasse medico ad abigendos morbos non magis ex usu futura est, quam architecto ad construendas aedes musicae artis peritia.

Unicam hanc annotatiunculam, ne quis forte sinistra interpretatione mentem meam detorqueat, aut eam saltem non satis adsequatur, postremo loco subjungam. In praecedenti nempe diatriba *Naturae* nomine saepius utor, illique varios effectus adtribuo, perinde quasi rem aliquam singularem et seorsim subsistentem, sed per totam hanc mundi machinam ubique diffusam sub hoc titulo mihi repraesentarem, quae ratione aliqua et consilio freta corpora quaevis regeret ac moderaretur; quale quidpiam de mundi anima nonnulli philosophorum cogitasse videntur. Verum ad me quod adtinet, uti nec rerum, ita nec verborum novitatem adfecto, adeoque antiquam quidem vocem, sed sensu (ni fallor) et sobrio et a sanis omnibus non intellecto solum, verum etiam usitato in hisce pagellis usurpavi. Ego enim, quoties *Naturam* nomino, toties caussarum naturalium complexum quemdam significari volo; quae quidem caussae brutae licet atque omni consilio destitutae, non tamen sine summo consilio reguntur, dum suas quaeque operationes edunt, suosque effectus exsequuntur. Nimirum supremum illud numen, cujus vi producta sunt omnia, et a cujus nutu dependent, infinita sua sapientia sic disponit omnia, ut ad opera

destinata se certo quodam ordine atque methodo accingant; neque frustra quidquam molita, neque nisi, quod optimum est, ac toti rerum fabricae suisque privatis naturis maxime accommodum exsequentia: perinde atque automata non pro suo, sed artificis consilio moventur.

SECTIO TERTIA.

CAPUT I.

Constitutio epidemia annorum 1667, 1668, *partim etiam anni* 1669, *Londini.*

Anno 1667, adpetente aequinoctio verno, variolae, quae durante illa, quae proxime est praegressa, constitutione pestilentiali vel prorsus delituerant, vel rarissime comparuerant, caput coeperunt adtollere, jamque indies latius grassantes sub autumno ἐπιδημικώτατοι factae sunt; a quo tempore paulatim imminuta vi, superveniente brumali frigore, parcius lacessebant; at proximo vere adolescente postliminio invaluit hic morbus viguitque, donec ab insequentis hyemis gelu, uti prius, retuso impetu coerceretur. Posthaec tertio demum cum vere surgente increbuit, at jam languidior et succiso quasi poplite minus late dominabatur, quam duabus, quae praecesserant, aestatibus, mense vero Augusto 1669 penitus intercidit, dysenteriae epidemiae locum cedens. Labente primo illo biennio, quo haec constitutio regnabat, variolae plures in urbe adgrediebantur, quam umquam alias, quantum ego memini, seu prorsum spectes, seu retro: quo non obstante, cum genuinae per id temporis fuerint, neque mali moris paucos jugulabant, si ingentem laborantium numerum reputemus.

Quo primum tempore variolae incessebant, et novum quoddam febris genus exortum est, a variolis, quales se tum gerebant, non multum abhorrens, si pustularum eruptionem demas, et quae ab illa pendent, de qua in sequentibus speciatim agemus. Fe-

bris haec, licet multo pauciores invaderet quam variolae, easdem tamen duratione aequabat: hyeme vero, cum jam illae minuerentur, invaluit, atque, illis vere novo invalescentibus, recessit, praedominium epidemiorum hujus constitutionis hoc pacto illis relinquens; nihilominus per haec tempora non plane desiit umquam, donec tandem cum variolis mense Augusto 1669 omnino disparuit.

Binos hosce morbos epidemios et tertius comitabatur, ultima praesertim aestate, quam dicta constitutio defamabat, diarrhoea scilicet, aëris constitutione jam tum ad subsequentem dysenteriam vergente. Ut ut vero haec se res habuerit, id saltem constabat, morbum hunc febrem, quae tunc regnabat, ita proxime adtingere, ut nihil aliud esse videretur, quam ipsa febris introversa et visceribus incumbens.

De tribus hisce morbis, qui soli in hac constitutione epidemiorum nomen sibi jure vendicabant, sigillatim jam agam, a variolis initium faciens, quas idcirco paulo fusius tractabo, quoniam quae per hos annos regnabant, mihi genuinae prae caeteris et regulares maxime videbantur; utpote eadem prorsus exhibentes *φαινόμενα*, et parili symptomatum agmine omnes, quotquot adoriebantur, ubique impetentes, et a quibus proinde, tamquam in suo genere perfectissimis, tum vera morbi historia, tum etiam medendi methodus est desumenda. Notandum enim est, non tantum febrim quamdam propriam et peculiarem cuilibet peculiari constitutioni competere, sed peculiare etiam variolarum genus, quae hanc quidem speciem referunt, durante hac annorum serie, aliam vero annis sequentibus quantumlibêt inter se convenire videantur quoad certa *φαινόμενα* omnibus communia. Ita ludit natura in morborum epidemiorum generatione! Sed ut ad rem redeam; variolarum hujus generis historiam ante omnia perscribam, quas ideo regulares mihi licebit indigitare, ut ab anomalis subsequentium annorum valeam dispescere. Tum etiam methodum adjiciam, quae mihi in earumdem *θεραπείᾳ* ex animo votoque maxime cessit.

CAPUT II.

Variolae regulares annorum 1667, 1668 *et partim* 1669.

Variolae, quibus annis epidemie grassantur, si regulares etiam sint atque mitiores, circa aequinoctium vernum (uti hae, de quibus sermo nobis est) ingrediuntur; quibus vero annis non tantum grassantur epidemie, sed et irregulares atque periculosioris sunt generis, maturius nonnumquam, mense puta Januario, invadunt. Integras familias contagio suo adflantes nemini parcunt, cujuscumque demum aetatis is fuerit, nisi prius hoc morbo laboraverit; neque tamen eximuntur illi, quos adulterinum variolarum genus aliquod ad hunc morbum nihil adtinentium prius obsederit. Duplex est harum species, ut et variolarum, quae quibuslibet annis infestant: vel sunt enim distinctae, vel confluentes, quae licet essentialiter, ut ajunt, non differant, per illustriora tamen quaedam symptomata, quae hanc comitantur speciem, illam vero non item, haud difficulter ab invicem discriminantur.

1. Interstinctae vel discretae cum rigore atque horrore invadunt, quos mox excipiunt calor intensus admodum, capitis et dorsi vehemens dolor, vomituritio, ingens in sudores propensio, (quod de adultis dictum volo, neque enim in infantibus hujusmodi *διάθεσιν* mihi umquam observare contigit vel ante pustularum eruptionem, vel etiam post;) doloris sensus in partibus, quae scrobiculo cordis subjacent, si manu premantur, stupor etiam et somnolentia, in infantibus praesertim, nonnumquam et paroxysmi epileptici, qui si infantes dentitione jam perfunctos corripuerint, suspicor ego ubique, variolas in procinctu stare, quae intra pauculas horas se exserentes prognostico utplurimum fidem conciliant et auctoritatem, ita ut si forte infans insultum epilepticum sub vesperam, quod fieri solet, patiatur, variolae sequente aurora in conspectum se dederint: et, quod saepe saepius observavi, quae variolae infantes statim ab hujusmodi paroxysmis adgrediuntur, pustulas emittunt magnitudinis conspicuae, mites etiam sunt atque boni moris, et rarissime confluunt. Atque haec fere

sunt illa symptomata, quibus hic morbus sub initio stipatur, quaeque eruptionem pustularum ut plurimum antecedunt. Quamvis interim hic loci consentaneum fuerit subindicasse, in sanguine laxiori atque ἐμπεταβλήτῳ nonnumquam accidere, ut separationis periodus sensim atque gradatim sine insigni aliqua aegritudine transigatur, priusquam expulsio materiae pustularum eruptione se prodat.

Variolae discretae quarto ut plurimum die (si primum etiam incluseris) ab invasione erumpunt; nonnumquam serius aliquanto, ante illum vero rarissime; quo quidem tempore vel minuuntur admodum symptomata, quod plerumque fit, vel etiam penitus evanescunt; ac proinde iis adfectus satis pulchre sibi videtur valere, nisi quod adulti, in sudores propensi, vix ab illis possint cohiberi, ut ut leviter tegantur; quae quidem διάθεσις non nisi pustulis jam maturationem adtingentibus aegrum deserit, idque sua demum sponte. Eruptionem quod spectat, hoc se fere habet modo. Primo postulae subrubrae, tenuissimarum acicularum puncta aequantes magnitudine, sparsim se produnt, faciem inprimis occupantes, vel etiam collum et pectus, dein corpus universum. Per id temporis et fauces dolor infestat, qui una cum pustulis surgentibus augetur, quae indies grandescentes et in majus fastigium elevatae cutem carnesque vicinas rubore afficiunt atque inflammatione.

Circiter enim octavum a primo insultu diem (quam in hoc morbo epocham ubique servo) intervalla, quae prius subalbebant, pro pustularum, quibus obsidentur, numero rubere jam incipiunt, atque in molem adtolli, non sine partium dictarum dolore tensivo et lancinante, qui in horas auctus inflammationi et tumori praedictis viam sternit; ita ut progrediente morbo palpebrae usque adeo impleantur extendanturque, ut aeger luce quandoque privetur; qui quidem palpebrarum tumor vesicam inflatam, ac resplendescentem per easdem extensam non male refert. Est etiam, ubi temporius oculis capiuntur aegri, si nempe major pustularum vis a prima eruptione se in illos effuderit: proxime a facie intumescunt manus, digitique pro pustularum numero distenduntur. Usque ad hunc diem pustulae, quae faciem obsederant, laeves ad tactum fuere atque rubrae, jam vero

asperiores evadunt (quod quidem primum est incipientis maturationis indicium) et subalbidae; paulatim insuper succum quemdam luteum, colore a favo non abludentem, evomunt. Faciei interim et manuum inflammatio ad summum evecta apicem, colorem exhibet in pustularum interstitiis satis floridum, et rosarum Damascenarum aemulum. Et sane quo mitiores sunt variolae et genuinae magis, eo etiam magis tum ipsae pustulae, tum et cutis in earumdem interstitiis dictum colorem ad vivum exprimunt, qualem jam descripsi. Uti vero quae faciem occuparunt pustulae, asperiores quotidie ac magis flavae pro maturationis ratione; ita contra, quae manus et reliquum corpus, minus asperae albaeque magis conspiciuntur indies.

Die undecimo faciei tumor atque inflammatio satis aperte recedunt, et pustulae tam faciei, quam reliqui corporis jam maturitatem et justam magnitudinem adeptae, (quae his annis ad pisum grandiusculum adscendebat) exarescunt deciduntque; atque in hac variolarum specie die decimo quarto vel decimo quinto utplurimum funditus pereunt. Verumtamen manuum pustulae, caeterarum partium pustulis pertinaciores plerumque, recentes adhuc albaeque, diei unius aut alterius mora illas vincunt. Faciei et reliqui corporis pustulae desquamatione, at vero manuum quae sunt, disruptione abitum sibi parant. Pustulis faciei succedunt squamulae furfuraceae, quas aliquando excipiunt foveae cutis. Etenim ubi primum decidunt pustulae, nulla adhuc in cute cernitur inaequalitas; at vero hujusmodi squamulis exsurgentibus recedentibusque vicissim tandem excavantur foveae istae, quae saepenumero in convalescentibus ab hoc morbo diu visuntur; quamvis raro admodum variolae interstinctae ulla sui linquant vestigia; atque illae ferme solae, quae sex postremis anni mensibus invasere; cum quae hos praeverterint, nullas cuti notas inprimant, nisi forte confluxerint, ut postea dicetur. Decurrente morbo omni, aeger vel constipatam prorsus habet alvum, vel saltem rarissime dejicit. Atque haec de variolis *discretis* dicta sunto.

2. Symptomata cum discretis communia habet et illa variolarum species, quas *confluentes* adpella-

vimus, nisi quod hic atrociora sint omnia: febris scilicet, anxietas, atque aegritudo, vomituritio, etc. immanius adfligunt; quibus signis medico sagaci, etiam ante eruptionem, confluentes se produnt. Nihilominus non ita prompte hic in sudores dissolvitur aeger, ac in alio genere jam supra descripto, ubi magna, ut fit, in eosdem propensio ut plurimum praenunciat variolas, quae mox erumpent, minime confluxuras. Diarrhoea insuper nonnumquam eruptionem praecedit, et ad diem unum alterumve post illam protrahitur; quod quidem in discreto variolarum genere nondum mihi contigit observare.

Tertio utplurimum die erumpit species haec, ante illum aliquando, vix unquam post illum; cum discretae vel ipso die quarto, inclusive a primo insultu morbi vel postea, ante illum raro admodum se monstrent. Quantoque magis quartum illum diem praeverterint variolae, tanto etiam confluent magis. Quamvis autem, ut generaliter loquamur, confluentes diem quartum vix praestolentur, umquam fit tamen, licet oppido raro, ut ob atrocius aliquod symptoma ad quartum vel quintum usque diem differatur eruptio; verbi gratia, acutissimus dolor nunc in regione lumborum, paroxysmi nephritici aemulus; nunc in latere, qualis pleuriticos vexat; nunc in artubus, ut in rheumatismo; nunc denique in ventriculo cum ingenti aegritudine et vomitu enormi ante eruptionem aegrum fatigat angitque. Hisce in casibus, licet infrequentes sint, variolas solito serius erumpere animadverti, utpote ab immani symptomatum dictorum violentia constrictas atque impeditas. Quae quidem symptomata solitis vehementiora cum agmen ducant, mihi satis aperte indicant, secuturas variolas, et e confluentium genere esse, et periculo minime vacare.

At vero (quod jam proxime dicendum) licet in discretis, mox ab eruptione, uti dictum est, quae morbi insultum comitabantur symptomata, nullum jam amplius facessant negotium, in confluentibus longe aliter se res habet; cum tam febris, quam alia symptomata, etiam ad multos dies a pustularum eruptione, aegrum discrucient.

Variolae dictae nunc erysipelatis ritu, nunc morbillorum erumpunt; a quibus non nisi a medico, in

his morbis versatissimo, distinguuntur, saltem quoad faciem externam. Nam qui ad dispar in utroque morbo eruptionis tempus aliasque circumstantias, quas utriusque historia longe ab invicem discrepantes exhibet, sedulo animum adverterit, haud difficulter hunc ab illo discriminaverit. Crescente morbo, non in molem aliquam spectabilem, uti discretae, adtolluntur, quae faciem praesertim occupavere; at sibi invicem implicitae, primo se habent instar vesiculae rubrae vultum omnem contegentis, quem maturius etiam in tumorem elevant, quam solent discretae; dein ad instar pelliculae albae, veluti adglutinatae, solitam cutis superficiem non multum superantes. Praeterlapso die octavo, pellicula alba, quotidie paulatim magis, exasperatur judice digito, et ad colorem fuscum, non vero flavum, ut in discretis accidit: intenduntur indies tum asperitas, tum etiam cutis color; donec tandem pellicula dicta latioribus laminis desquamatur; quod in quibusdam faciei partibus, si morbus truculentior fuerit, non nisi post vicesimum diem solet contingere. Quanto atrociores fuerint variolae, tanto magis pustulae maturescentes ad colorem subfuscum vergunt, tanto etiam lentius, si suo utantur genio, abscedunt; ut e contra quanto minus confluxerint, tanto magis et flavescunt, et se ocyus proripiunt. Pellicula haec seu scabies omnia pervadens ubi primum deciderit, nulla quidem scabritie vultum adficit; at vero mox illam excipiunt squamulae furfuraceae, indolis perquam corrosivae, quae non modo patentiores excavant foveas, quam solent variolae distinctae, sed etiam faciem cicatricibus foede deturpant. In confluentium genere, si admodum saevierit morbus, humerorum etiam et dorsi cuticula nonnumquam deperditur, nudatis partibus subjectis expositisque.

Animadvertendum est autem, morbum hunc magnum aestimari, non pro variolarum frequentia, quae reliquum corpus, sed pro earum numero tantum, quae faciem obsedere; quae si his tanquam injecta arena ubique contegatur, ut ut paucae, atque discretae sint eae, quae in reliquo corpore cernuntur, haud minus periclitatur aeger, quam si membra omnia denso agmine pervaserint. Atque ex adverso, quantumlibet spisse truncum et artus occupaverint, si in

facie rariores comparuerint, magis in vado res est. Quod de numero diximus, et de variolarum more potest adfirmari; malusne scilicet is fuerit, an secus, vultus aperte indicat.

In confluentium genere ubique observavi, pustulas manuum, atque pedum majores fuisse, quam reliqui corporis; et quo altius ab artuum extremitate truncum versus adscenditur, eo sensim minores et contractiores semper exstitisse. Atque haec de pustulis censui dicenda.

Sunt vero et alia symptomata duo, quae variolis confluentibus accidunt, haud minoris momenti, quam vel pustulae ipsae, vel tumor, vel aliud quodlibet e praedictis; salivatio nempe in adultis, atque in infantibus diarrhoea. Horum prius ita perpetuum se comitem adjungit, ut unicum tantum viderim variolis confluentibus laborantem, nulla superveniente salivatione; posterius autem, nempe diarrhoea, infantes hac specie laborantes non ita certo discruciat. Utrum providens natura has evacuationes idcirco substituerit, quod in pusillo hoc ac humili genere materia morbifica ita penitus nequeat exterminari, ac in pustulis istis majoribus ac magis fastigiatis generis discreti, nullus definio, cum historiam tantum scribam, non solvam problemata. Hoc certo scio, quod non solum variolas confluentes plerumque comitantur, sed etiam quod quae per illas fit evacuatio, tam est necessaria, quam sunt vel pustulae, vel faciei et manuum intumescentia.

Dicta salivatio nonnumquam sub primum eruptionis tempus se prodit, nonnumquam non nisi postridie, biduove praeterlapso. Materia primo tenuis excernitur, ac facile ad tempus aliquod rejicitur, aegro interim multa lintea eadem nocte conspurcante. Neque sane multum cedit ptyalismus hic alteri illi, qui ope Mercurii excitatur, nisi quod non ita male oleat. Die autem fere undecimo saliva viscidior jam facta aegerrime exscreatur; siticulosus est aeger, tussit subinde inter bibendum, et potus per nares revertitur, atque ab hoc die cessat utplurimum salivatio; licet aliquando, (rarius tamen id accidit,) ubi per diem unum alterumve omnino cessaverit, tandem postliminio recrudescat. Dicto autem die, undecimo scilicet, tumor faciei una cum salivatione

imminui incipit, ac tunc primum ejus loco manus intumescere solent, aut debent.

Diarrhoea non ita mature infantes solet invadere, atque adultos ptyalismus; quocumque vero tempore ingruerit, nisi arte sistatur, singula morbi stadia decurrit.

In utraque variolarum specie febris a primo statim insultu, ad eruptionem usque, praecipue dominatur; qua peracta, inducias fere dat usque ad pustularum maturationem et tempus, in quo pus conficitur; quo demum elapso prorsus desinit.

Observavi semper in morbo vehementiori aegrum sub vesperam quasi paroxysmo laborasse, et funestiora symptomata vespertinis praesertim horis se ostendere atque exacerbari.

En justam variolarum hujus generis historiam, vera ac genuina hujusce morbi phaenomena, prout scilicet naturaliter se habet, complectentem! De accidentibus anomalis, quae eidem, ubi minus recte tractetur, superveniunt, jam proxime disseremus.

Animadvertendum est itaque, ista quae die octavo in genere distincto occurrunt symptomata anomala, et quae undecimo die in confluente, (facto semper a primo morbi insultu computandi initio), maximum ad aegri sive vitam, sive interitum pondus habere, magisque ad amussim expendi debere; cum liquido constet, maximam eorum partem, qui utrolibet morbi (scilicet jam descripti) genere intereunt, praefatis singulatim diebus defungi. Primo enim qui discretis variolis laborat aeger, cum satis prompte sudoribus diffluat (quod hic in adultis fieri solere jam diximus), ac sibi omnia bona promittat, si morbi, ut sperat, virus per cutis poros hoc pacto amandaverit; diligenter ideo huic methodo insistit, tum remediis cardiacis intro adsumtis, tum regimine calidiore, ut par est, adhibito; (atque haec eo facit lubentius, quod tum ab hac methodo in principio sibi melius videatur habere, tum etiam ad male fundatam adstantium opinionem propius accedat). Tandem vero eliminatis per *διαφόρησιν* particulis istis, quae ad pustularum elevationem atque intumescentiam faciei debuerant facere, die octavo, quae turgescere, et per interstitia pustulis interjecta inflammari de-

buerat facies, flaccida e contra reperitur, et albescunt interstitia, licet interim rubescant pustulae atque eleventur, etiam post aegri mortem. Qui ad hunc usque diem nullo negotio manaverat sudor, jam subito suaque sponte evanescit, neque remediis ullis cardiacis, vel etiam calidissimis, revocari potest. Aeger interim phrenitide corripitur, anxietate, jactatione, aegritudine vehementibus; urinam parce reddit ac frequenter; ac tandem paucissimarum horarum spatio amicorum spem fallit, et ad plures migrat. Verumtamen hic est notandum, quod, si paucae compareant variolae, hyems si fuerit, aeger aetate provectior, aut venaesectio fuerit celebrata, regimen illud calidius, id quod jam animadvertimus, non ita certo faciei turgescentiam impedit, et proinde mortem accersit, atque ubi confertae variolae, ver, aestasve fuerit, aeger aetate florens, neque sanguis detractus.

At vero in confluentibus maxime periclitantur aegri, et plerique etiam moriuntur die undecimo; nam cum hoc fere tempore salivatio, quae aegrum hactenus in tuto posuit, soleat desinere sponte sua, nisi faciei intumescentia adhuc aliquantulum persistens, ac manuum insigniter jam incipiens ejus vicem subeat, necesse est, ut pereat aeger. Id enim est perpendendum, quod in hoc variolarum genere, ubi pustulae tam sunt exiguae, non salivatio tantum, sed faciei insuper et manuum intumescentia ad materiam morbificam rite eliminandam omnino requiruntur; quarum utralibet, si vel non adsit, vel ante justum tempus recedat, aegro protinus moriendum est. Jam vero nimio saepius evenit in hoc morbo calidiori, ut sanguinis crasi a regimine praefervido disjecta fractaque, atque eo usque accensa, ut particularum inflammatarum exterminationi sensim faciendae non amplius competat, (ut, quae sudoribus importune extortis debentur mala, jam taceamus,) hinc vel non omnino intumuerint facies manusque, vel tumor ille una cum salivatione evanuerit; quamvis enim faciei tumor ipso hoc die aliquantisper debeat remitti, non debet tamen, nisi post diem unum alterumve, omnino recedere, manuum interim tumore persistente vigenteque; quo quidem vix aliud est minus fallax convalescentiae προγνωστικὸν, uti ne-

que contrario certum magis imminentis periculi indicium.

Sed utut id sit, materia ptyalismi, quae ad hunc usque diem cruda fuit, tenuis et facile exscreabilis, viscida jam facta et tenax aegro suffocationem intentat; potus, quem adsumit, in pulmones fere dilabitur, unde cum tussi violenta per nares rejicitur; voce est rauca; somnolentia et stupore corripitur ingentibus oppressus undique vi morbi; atque in hujusmodi agone ut plurimum exstinguitur eo, quem jam diximus, die.

Sunt et alia adhuc symptomata, quae in quolibet morbi statu occurrunt, tam discreto variolarum generi, quam confluenti pariter communia.

Phrenitis v. g. a nimia sanguinis ebullitione nonnumquam aegrum corripit, et caloris tam parum est patiens, ut magnis viribus ac furibundo nisu injectas prehendentium et lecto incarcerantium manus eludere conetur.

Aliquando eadem caussa effectum longe diversum seu contrarium, ut videtur, producit, adfectum scilicet comatosum; ita ut aeger numquam ferme evigilet, nisi continuo pulsu excitatus.

Est etiam ubi in hoc morbo, perinde atque in peste laxata inflammationis vi sanguinis compage, maculae purpureae se ostentant pustulis interspersae, mortis fere semper praenunciae. Frequentius hoc evenit, ubi aëris constitutio morbo isti epidemie grassanti prae caeteris favet. Aliquando in pustularum summitate maculae nigrae exiguae, acicularum capita vix aequantes, in medio vero subsidentes se produnt variis in locis; quae cum nimio fervori ortum debeant suum, tandem beneficio regiminis magis temperati fuscum colorem adquirunt, posteaque pedetentim subflavum illum, qui variolis genuinis ac suum morem obtinentibus naturaliter competit; quod satis liquido cernitur in illa, quae circa morbum hunc versatur, praxi, in quo omnia symptomata eo sunt mitiora, quo magis pustulae maturitatem adeptae ad dictum colorem accedunt, atque e contra.

Adolescentum porro et aetatis flore vigentium, (praecipue si vino, aut alio quovis liquore spirituoso se nimium impieverint,) usque adeo in hoc morbo

nonnumquam sanguis accenditur furitque, ut per arterias et vesicam viam sibi faciat, et qua data porta ruat; quo quidem mictu sanguineo vix aliud symptoma pejoris notae atque ominis invenire licet per omnem hujus morbi tragoediam.

Ab eadem insuper caussa nonnumquam, licet rarius, sanguis e pulmonibus ejicitur. Utraque vero haemorrhagia haec sub morbi initio plerumque contingit, pustulis nondum erumpentibus; vel si in quibusdam locis se ostendant, in plerisque tamen aliis adhuc sub cute densae latent; atque ejus sunt generis, quae in maxime confluentes adolescerent, nisi jam dictum symptoma aegri morte morbum finierit.

Aliquando etiam urinae suppressio totalis ad malorum cumulum accedit, in juvenibus praesertim, idque in statu, vel etiam declinatione discreti generis.

Sunt et alia symptomata, quae a *προφάσει* aliqua jam dictis contraria interdum oriuntur; si nempe aeger a frigore nimis intenso fuerit laesus; vel si praeter jus fasque vena fuerit pertusa ad ingentem sanguinis amissionem; aut alvus nimia catharsi subducta: unde pustulae nonnumquam fastigiis cedunt et derepente considunt, superveniente insuper diarrhoea, a qua aegro, (adultus si fuerit, ut supra innuimus,) ingens est discrimen et anceps morbi exitus; materia scilicet variolosa intro versa, ita ut natura eidem per cutis poros debite exterminando impar prorsus inveniatur. Huc accedit, quod faciei manuumque tumor ab his retunditur, qui non minus in bonis aegri rebus est censendus, quam ipsa pustularum eruptio, nisi eae fuerint perpaucae.

Quae vero a suscepto frigore pendent symptomata, raro admodum occurrunt, si cum illis conferantur, quae a contrario, calidiori nempe regimine, nascuntur; cum enim morbus hicce inter calidissimos jure optimo habeatur, longe minus ab hac parte peccatur, quam ab altera.

Qualis vero sit hujus morbi essentia, ob naturalem et communem mihi cum reliquis hominibus intellectus defectum, nescire plane me fateor; verumtamen praedicta symptomata pensiculatim trutinata mihi videntur subindicare, inflammationem eam esse (a caeteris tamen inflammationibus specie diversam)

tum sanguinis, tum reliquorum humorum, in qua amolienda per dies priores duos tresve id agit natura, ut particulas inflammatas digerat, coquatque, quas postea in corporis habitum ablegatas maturat adhuc, et sub abscessulorum forma suis demum finibus expellit. Quapropter, ut fundamento alicui medendi methodus superstruatur, notandum est, duo esse hujus morbi tempora; quorum primum separationis est, secundum expulsionis. Atque primum quidem illud tempus plerumque cum febrili ebullitione transigitur, quod tribus vel quatuor primis diebus peragi solet; quorum decursu natura id satagit, ut partes ejusmodi inflammatas seligat congregetque, quae sanguinem lacessunt, atque etiam ut illas in carnosas corporis partes relegatas ibidem deponat; quo facto pristina quiete fruitur, sedato jam tumultu, qui, dum hoc ageretur, in sanguine ciebatur. Separatione sic ope ebullitionis in sanguine peracta, expulsio jam locum obtinet, quae per reliquum morbi tempus, mediantibus parvis illis abscessibus, in carne perficitur. Sicut enim a natura abscessuum sua specie non abludunt, ita parem cum aliis cruditatis, maturationis, atque exarescentiae statum percurrere solent; quae omnia si rite atque laudabili modo absolvant et exsequantur, in tuto res est, cum exinde curationis summa dependeat; sin minus, omnia pessum ruitura sunt. Et quidem postremum hoc negotium priori illo separationis opere, tanto plus temporis sibi vendicat, quod prius illud in tenui fluidoque corpore transigatur, atque in ipso, ut sic dicam, naturae foco; posterius autem denso spissoque theatro, atque a vitae fonte paulo remotiori partes suas exsequi cogatur.

His ita praemissis, indicationes exsurgunt. 1. Ut aequabilis ille tenor ebullitionis in sanguine conservetur, qui neque nimis propere separationem nimia sua vi perficiat, neque tamen torpido nimis motu eamdem remoretur, vel non satis idoneam praestet. 2. Ut abscessuli pustulaeve summa cura sustineantur, quo debita tempora percurrentes tandem contentam in se materiam omnino evehant, ipsaeque etiam evanescant.

Ut itaque paucis de primo agamus; solicite inprimis cavendum est, hoc tempore praesertim, ne

nimium adsurgat ebullitio, sive id fiat ex congestis stragulis, sive ex aëre loci, in quo decumbit aeger, igne nimium excalefacto; sive ex calidorum medicamentorum et cardiacorum usu: praecipue vero ab his cavere oportet, si aeger in aetatis flore constitutus fuerit, vel sanguinem habeat generosiori potu nimis exaltatum, vel anni tempestas aut verna sit, aut saltem ultra aestatis initium non processerit. Hinc enim fiet, ut separatio, quae sensim lentisque gradibus peragi debebat, ut ad universalem quamdam despumationem opportunius pergat, praecipiti cursu feratur; atque ita vel non satis idoneus partium numerus congregetur, vel (quod forte contingat) nonnullae partes ad secretionem damnentur, quas alias natura illam subire noluisset, nisi quod ultra debitos limites excurrere coacta, noxam hanc sibi creet: secretis enim illis, quae ad separationem minus opportunae sunt, aliorum illuc propendentium motus eorum commixtione impeditur, adeoque redduntur expulsioni minus accommodae. Mihi quidem rationi consentaneum videtur, ut quo diutius natura separationem molitur, ac perficit, dummodo ebullitio non omnino torpeat, eo certius atque universalius eadem separatio absolvatur. Atque ex illa sic absoluta curationis insequentis successus potissimum ut dependeat necesse est, uti ex methodo contraria contrarius plane rei exitus. Ex calido enim isto regimine nihil boni nascitur, sicut ex praecoci fructu nihil frugi; cum frequenter usu veniat, ut vel in phrenitidem aeger prono lapsu ruat; vel (quod pejoris notae est) sudores ingentes oboriantur, ex quibus partes non secerni aptae, neque puris naturae respondentes (quod ipsum tamen pus genuina soboles est hujusce excretionis) eliminentur; vel ex cardiacis illis administratis calidaque custodia variolae nimis protrusae in unum confluant, foedo certe spectaculo, tristemque eventum interminanti.

Atque haec et hujusmodi symptomata ex his erroribus progigni solent, cum ex altera illa methodo nihil umquam mali observaverim. Natura enim sibi permissa negotium suum suo tempore exsequitur, materiamque debito ordine ac via tum secernit, tum etiam expellit, ut (in junioribus praesertim vegetisque temperamentis) nostra ope, nostris artificiis at-

que auxiliis non indigeat; suis viribus optime instructa, suis opibus locuples, suo denique ingenio satis edocta. Neque sane vel ipse vidi, vel fando accepi, quemquam ex eo periisse, quod variolae primo non eruperint, etsi nimis multi perierint, quorum variolae primum laudabiliter et cum summa spe erumpentes, postea recedentibus pustulis praemature detumuerunt.

Quemadmodum inconsultum est atque periculosum, calidioris regiminis vel cardiacorum ope coeptam ebullitionem nimis evehere; ita e contrario non minus vacat periculo, mediantibus venaesectione, clysteribus, emeticis, catharticis, aut id genus aliis eamdem minuere, cum hoc pacto partium separabilium commoda secretio plurimum impediatur. Licet enim vulgare illud atque tralatitium argumentum, quo adversus phlebotomiam, aliasque evacuationes utuntur (nempe *quod non liceat a circumferentia ad centrum movere humores, cum natura in hoc morbo contrarium adfectare videatur,*) nullarum plane virium sit, eo quod ex earumdem usu contrarius omnino effectus, subitanea scilicet variolarum eruptio saepissime consequi deprehendatur; aliae nihilominus rationes in promptu sunt, quae vehementer suadent, ut, siquidem ullo modo vitari possit, ab hac praxi manus abstineamus. Namque (ut earum praecipuas paucis adtingamus) per hasce evacuationes, non tantum ebullitio nimis imminuitur, cujus interim ope partes despumandae adcurate secerni debuerant, verum etiam illud ipsum subducitur, quod coeptae secretioni quasi pabulum continenter suppeditaret; unde saepenumero contingit, ut variolae primum laudabili impetu erumpentes (eoque fortasse melius, quod evacuationes jam dictae praecesserant) paulo post ex improviso quasi repercussae detumescunt: idque ob eam potissimum caussam, quod materia desit, quae quasi a tergo praeeuntem insequeretur atque agmen clauderet. His vero non obstantibus, si vel minimum suspicari liceat, variolas mox erumpentes e confluentium genere futuras esse, utile prorsus erit, ut non solum sanguis quamprimum mittatur, sed et emeticum propinetur, ob rationes alio in loco fuse dicendas.

Tandem ut ad secundam illam indicationem pe-

dem promoveamus, ad tempus *expulsionis* accommodatum; quo tempore materia separata, parvorum abscessuum sive pustularum ope, amandatur atque expellitur, nempe illud hic agendum est, ut pustulae debito modo sustineantur, quo rite atque ordine destinatam periodum adsequantur.

Sicut itaque supra satis, ut opinor, ostensum est, inprimis periculosum esse, si aeger praesenti febre, at pustulis vix dum apparentibus, in ipso *secretionis* tempore nimium calefiat; ita etiam non minori periculo plena res est, si idem quovis morbi tempore fiat, atque illo praesertim, quod ad expulsionis initium vergit, crudis adhuc existentibus pustulis. Quamvis enim sanguis, peracta jam separatione, atque relegata ad carnosas partes materia, ab intestino tumultu magnam partem immunis sit, interim tamen tener adhuc recensque, ac vix novo statu et quasi textura indutus, εὐπαθὴς est, facileque vi caloris inmodici, undecumque adpellentis adficitur; atque adeo levissimo momento irritatus, flammam concipit, et in novam ebullitionem proclivis est; quae quidem nova ebullitio non, uti prior illa, separationem jam molitur (illam quippe peractam supponimus), verum illius loco non tantum symptomata superius memorata excitat, sed et coeptam per pustulas expulsionem interturbat, et contentam materiam exagitando noxam parit. Vel itaque partes jam secretae, atque in corporis ἕξιν depositae vehementi illo rapidoque sanguinis ebullientis cursu abreptae, in ejusdem massam resorbentur; vel partes carnosae, ultra gradum suppurationi debitum excalefactae, minus commode illam exsequuntur: vel denique fortassis, oborta hac nova aegritudine, sanguinis oeconomia ipsarumque carnium tonus pervertitur usque adeo, ut materiam illam expulsam vincere, eamque sollemni more abscessuum coquere nequeat.

Interim, non usque adeo nos illuc intentos esse oportet, quo ebullitionem nimiam in sanguine praevertamus, ut aegrum frigoris injuriis exponendo, pustularum eruptio impediatur. Gradus ille caloris, ad harum expulsionem promovendam adcommodatissimus, naturalis sit oportet atque ejusmodi, qui carnosarum partium temperiei conveniat; quique hanc excedit, aut ab eadem deficit, utrimque periculosus est.

Ex dictis itaque satis manifestum videtur, in quam incerto lubricoque sit loco tum morbus ille, de quo loquimur, tum praxis medica, quae eidem accommodanda est. Atque etiam exinde pronunciare ausim, illius famam, qui in medicando hoc morbo frequenter sese exercet, in angusto versari; quandoquidem non vulgus solummodo mortis caussam satagenti nimis medico transscribere paratum sit, verum etiam ejusdem artis professores calumniandi ansam inde cupide adripiant, atque coram iniquis judicibus caussam dicentes, severissimam sententiam facile eliciant; eo scilicet consilio, ut ipsi pluris aestimentur, et super aliorum ruinis viam sibi sternant ad famam: id quod viris literatis indignum prorsus est, immo et vilioribus artificibus, modo probitatem colant. Hinc porro cernere est, quod minus mirum sit, si nutricibus, per se nimium plerumque officiosis et satagentibus, res male saepenumero succedat. Nempe res ardua est, et quae muliercularum ingenium atque judicium superat, gradum caloris huc requisiti definire, praesertim cum anni tempestas, aegrorum aetas, et vitae ratio, aliaque huc spectantia simul pensanda veniant, id quod prudentem profecto atque sagacem medicum omnino postulat.

Si contigerit, ut vel phlebotomia minus opportune celebrata, vel admisso frigore pustulae recederint, vel facies ac manus detumuerint, cardiacis utendum est. Sed cavendum tamen, ne in his exhibendis nimii simus. Quamvis enim sanguinem ademeris, fieri tamen potest, ut virium inde jacturam metuens, adeoque cardiacis aut fortioribus, aut saepe repetitis utens, novam ebullitionem ex improviso suscites. Nimirum sanguis adhuc tenerior est, et vim calidioris stimuli facile sentit, unde fit, ut saepe repetitae ebullitiones in eodem excitentur, quibus aegrorum mors majori jure tribuenda est, quam praegressae venaesectioni. Atque haec generatim de iis, quae primariis intentionibus satisfacere possunt, dicta sunto.

Curatio.

Jam ut calcata vestigia repetam, ac ad praxin propius accedam, quamprimum manifesta hujus mor-

bi indicia se produnt, aegro aura liberiore, vino, ac carnium esu interdico, cerevisiam vero tenuiorem pane tosto leviter tepefactam pro potu ordinario, ac subinde pro arbitrio hauriendam concedo; pro victu etiam juscula avenacea, hordeacea, poma cocta, aliaque, quae neque frigoris, neque caloris vim aliquam egregiam obtinent, aut ventriculo concoctura molestiam exhibent, injungo. Nec vulgarem illam rusticamque diaetam admodum improbo, nempe ut lacte cum pomo cocto et contuso vescatur, modo cautum sit, ut eo per vices utatur, et modice, dempto etiam lactis frigore. A regimine calidiore protinus inhibeo, ut et ab usu medicamentorum cardiacorum quorumcumque, quibus variolas in cutem, ante diem quartum, qui eruptioni proprius est ac naturalis, temere propellere nonnulli satagunt: cum pro certo habeam, eo magis universalem fore materiae variolosae separationem, quo tardius istae prorumpunt, proinde et securiores possumus esse, ne se denuo intro condant, et rectius maturescent: cum, si ante tempus extrudantur, praecipitatur materia cruda adhuc atque inconcocta, quae adinstar fructuum praecocium inani spe lactat. Adde, quod ab hac nimium festinata diligentia periculum est (in calidioribus praesertim temperamentis ac vegetioribus, quorum principia activa plus satis cardiacorum supplent vicem) ne natura nimis incitata, coactaque universam pene corporis substantiam in variolas effundat; ita ut jam confluant illae, quae, nisi plus aequo properasses, in distinctarum ordine laetiori omine substitissent. Porro non ideo statim foras propellendae sunt variolae, ubi primum aliqua morbi hujus suspicio oritur, quia scilicet aeger ante eruptionem vehementer ut plurimum laborat, angiturque; cum ne vel una quidem instantia possit ostendi, quempiam ideo interiisse, utut graviter aegrotaverit, quod non mox prodirent variolae, vel naturam iisdem serius ocyus extrudendis defuisse, nisi sicubi regimine calidiore et remediis cardiacis, praemature ingestis, fuerit impedita. Etenim non semel observavi in junioribus et temperamento sanguineo praeditis, regimen calidius, et cardiaca eo animo exhibita, ut variolas ante justum tempus exturbent, ita parum eruptionem accelerasse, ut eidem e contra obicem ponerent. Sanguine enim

his modis excalefacto, et in motum violentiorem, quam qui materiae variolosae separationi rite peragendae par esset, concitato, certa tantum quaedam morbi indicia se prodidere, latentibus intra cutim pustulis, neque se ultra efferentibus, quibuscumque demum cardiacis solicitarentur; donec tandem sanguine ad moderatam debitamque temperiem redacto, concessa scilicet cerevisia tenuiori, demptoque partim stragulorum, quibus torrebatur, onere pustulis exiturientibus commodam viam stravi, atque aegrum in tuto, favente numine, collocavi. Neque magis, si quid ego judicando valeo, ab illis stat ratio, qui aegrum ita pertinaciter ante diem quartum lecto addicunt, modo cubiculi ambitu se contineat, quam ab his, qui adeo praemature atque intempestive cardiaca ingerunt. Etenim sanguinis mictus, maculae purpureae, et reliqua symptomata letalia, (de quibus supra) eo tantum nomine, praesertim aetate florentibus, superveniunt, quod nempe lectulo praepropere nimis adfigantur. Quarto vero die lectulo aegrum adjudico; ac tum temporis, si eruptio parum pro votis succedat, recte exhiberi potest cardiacum aliquod blandius, unica saltem vice, quo exigantur pustulae. Inter ista, quae huc faciunt medicamenta, paregorica dicta, qualia sunt Laudanum liquidum, Diascordium, etc. si in pauca quantitate aquis cardiacis adpropriatis admisceantur, caeteris praelucent. Haec enim cum sanguini aestuanti fraenum injiciant, natura materiam morbificam opportunius atque liberius ejicit, atque amolitur. Neque etiam consulerem, cardiacum ante hunc diem propinare, vel urgente diarrhoea, atque illud, ut videtur, indicante. Licet enim, quod antea innuimus, nonnumquam variolarum confluentium eruptionem praecedat diarrhoea (quae oritur ab halitibus inflammatoriis, vel humoribus e massa sanguinis per primos dies exagitati, atque aestuantis intestina exonerantibus), non tamen hic magis deerit natura, dictis materiae variolosae halitibus in corporis habitum propellendis (quo facto, sua jam sponte sistetur diarrhoea), quam solet in halitibus istis extrovertendis eliminandisque, qui in ventriculum inversi sub initio morbi vomitum provocant.

Animadvertendum vero est, quod si ad adole-

scentem vegetiorem accersor, et qui insuper liberaliore sive vini, sive liquoris cujuscumque spirituosi compotatione morbo ansam dedit, non satis habeo ad fraenandam sanguinis ebullitionem, ut tam lectulo, quam cardiacis abstineat, nisi ad haec sanguis e brachio mittatur. Quod si non concedatur, obtinente vulgi praejudicio, missionem mihi saltem esse petendam existimo. Superinducta enim inflammatione ista, quam sanguini impressit liquorum spirituosorum fervor, intenso illi calori, quem hic morbus naturaliter comitem habet, ita furit sanguis, ut non raro in vesicam vasorum ductu irruat, vel maculas pariat purpureas, aliaque ejusmodi symptomata, quae per omnem morbi decursum crucem figunt medico, atque aegrum e medio tollunt. Atque haec de illis, quae ante pustularum eruptionem sunt peragenda.

Ubi primum eruperint pustulae, jam proxime diligenter mecum perpendo, an discreti fuerint generis, an vero confluentium; cum longo haec intervallo ab invicem distent, quantumlibet conveniant quoad symptomata quaedam utrisque communia. Si itaque ex pustularum magnitudine, et paucitate tardioreque eruptione, tum etiam aegritudinis, aliorumque symptomatum gravissimorum, quae in confluentibus etiam post eruptionem fatigant, evanescentia, de genere discreto mihi constet; aegrum cerevisia tenuiori, jusculis avenaceis, hordeaceis, etc. reficiendum curo, modo quem supra descripsimus. Atque si tempore aestivo, eoque calidissimo variolae non ita multae obtingant, quorsum adtineat aegrum in lecto jugiter stratum obrutumque detinere, ego quidem non video. Quin potius singulis diebus, per aliquot horas de toro surgat, ea lege, ut tam loco, quam vestitu, frigoris pariter ac caloris nimii incommoda praecaveantur. Quid, quod aegroto a cubili quandoque abstinente, morbus minori cum molestia, ac etiam breviori spatio, tempora sua peragat, quam si eidem continenter adfigatur; quod non modo aegritudinis taedium adauget, verum etiam febrilem aestuationem fovet, et prodeuntibus vesiculis dolorificam inflammationem conciliat. Quod si aut frigidior anni tempestas, aut copiosior exanthematum eruptio perpetuo decumbendi necessitatem aegrotanti imponat, prospicio, ut non intensiore caloris gradu, vel ad-

jectis pluribus stragulis, in lecto decumbat, quam quibus in prospera valetudine uti solebat, accenso interim, non nisi hyeme incumbente, mane et sero, foco mediocri. Neque etiam exigo, ut in eodem loco semper jaceat, nempe ne sudores erumpant, quos ego tum rationibus supra adlatis, tum ipsa experientia fretus, fidenter adfirmo, non absque ingenti periculo promoveri posse.

Determinante morbo, cum halituum a materia jam in pus conversa prodeuntium eruptio liberior a pustulis tandem crustosis, ac duriusculis impediatur, abs re non erit Vini Canarini semicocti cochl. v. vel vj. vel aliud medicamentum cardiacum temperatum exhibere; ne scilicet halitus illi putridi in sanguinis massam postliminio revertantur. Et sane jam nunc, neque prius, cardiacis locus est. Eodem pariter tempore diaeta paulo calidior et cardiaca magis, potest concedi; juscula v. gr. ex pane et cerevisia saccharata, e farina avenacea cum cerevisia et saccharo, etc. Neque aliis omnino erit opus, in genere scilicet discreto ac leniori, si aeger hac methodo ac diaeta, utrisque moderatis, se tractari patiatur; nisi fortean inquietudo, vigiliae, aut alia symptomata, phrenitidem minitantia, paregorici usum subinde suadeant.

Haec sane (reclamante licet inmani isto ac male fundato hominum praejudicio, quod ex adverso militat) vera est ac genuina methodus huic variolarum generi medendi, et obtinebit demum, me vita functo. Et licet non negem, multos, regimine admodum opposito tractatos, nihilominus convalescere, fatendum est tamen, (et sane dolendum etiam, si nobiscum reputemus, quam omni prorsus periculo vacat ex sua natura hoc discretum genus) plurimos etiam interire; quin et alii complures fatis pariter concederent, nisi vel a frigidiore tempestate, in quam incidit morbus, vel a phlebotomia, aliter supervacanea atque inutili, nuper celebrata servarentur. Quo nomine, si vel obstinatio amicorum, vel aegri diffidentia praedicto regimini intercesserit, tutius mihi videbatur sanguinem detrahere; quod quidem, licet in hac specie per se officiat (quatenus scilicet et separationem perturbat confunditque, et pabulum insuper tum pustulis, tum tumori elevandis destinatum subducit), aliquantisper tamen secuturum regimen calidius pensat; ac

proinde hanc, quam non nisi coacti usurpamus, methodum non usque adeo periculosam atque ancipitem reddit.

Ex dictis, ut obiter adtingam, facile erit, vulgare illud problema solvere; qui fiat scilicet, ut perpauci adeo e plebe hoc morbo pereant, si ad eos comparentur, qui inter divites eodem trucidantur, quod quidem vix ad aliam caussam potest referri, quam quod ob rem domi angustiorem, et agreste vivendi genus vix illis fiat copia sibi nocendi regimine magis accurato, ac delicatiori. Quinimmo et plures inter vulgus jugulavit hic morbus, ex quo Mithridatii, Diascordii, Decocti C. C. etc. usum didicere, quam in seculis indoctioribus quidem, at magis sapientibus cum in singulis ferme aedibus reperiatur stolida aliqua, ac sciola muliercula, quae in hominum perniciem, quam non didicit artem, exerceat. Atque haec de variolarum, quas interstinctas appellavimus, curatione.

At si confluant variolae, periculosae plena res aleae est; arbitror enim ego, genus hoc non minus ab altero illo discrepare, quam ab hoc ipsa pestis, licet apud hominum vulgus, quibus nomina et verba pro rebus sunt, utriuslibet curatio ex aequo praedicetur. In hac morbi specie, cum intensioris sanguinis inflammationis proles sit, major pariter adhibenda est cura, ne calefiat aeger, ut in prioris curatione jam dictum est. Quamvis autem species haec ex sua natura majorem sibi vendicet refrigerationem, quam altera ista, ad promovendam tamen faciei ac manuum intumescentiam, (sine qua de aegro actum est) et pustularum elevationem atque augmentum, tum etiam, quia aeger, ob exulcerationes dolorificas, lecto abstinere nequeat, expedit, ut in eodem contineat et se, et manus etiam suas, modo stragulis modice contectus sit, et concessa fuerit venia, ab hac in illam lecti partem corpus pro arbitrio suo transferendi, ut in genere discreto innuimus. Praesertim vero morbo exeunte, cum jam adpetat febris maturationis, non tantum hac libertate privandus est aeger, sed monendus etiam, ut ea utatur; quin et versandus persaepe nocte atque interdiu, ut ingens calor contemperetur, et evitentur sudores, quibus amandatur

lenis iste humor, quo diluendae sunt variolae, ut mitescant.

Quandoquidem vero, ut diximus, ptyalismus hanc speciem jugiter comitatur, qui cum e praecipuis sit naturae evacuationibus, atque hic in ejus locum, quae per pustulas fieri debuit, substituatur (quae quidem per pustulas evacuatio in hac specie humili, ac depressiore non aeque atque in altera procedit), summopere adnitendum est, ut dicta salivatio in vigore perstet et conservetur, nec ante diem suum sistatur, vel remediorum calidorum usu, vel a cerevisia tenui, aut simili alio liquore liberaliter hauriendo aegrum arcendo. Jam cum ptyalismi mos sit, naturaliter se habentis, ut cum prima eruptione incipiat, et die undecimo minuatur, neque tamen nisi post diem adhuc unum aut alterum omnino desinat, si ante diem illum penitus cesset, in lubrico sunt aegri res. Nam cum faciei tumor (per quem nonnihil materiae morbificae evacuatur) numquam non eo ipso die dispareat, si salivatio eodem pariter tempore se subducat, aeger materia variolosa jam putrescente, ceu veneno, inficitur; cumque nulla amplius detur porta, per quam evacuari possit, in busti limine constituitur; nisi forte (quod fit nonnumquam) manuum intumescentia, quae ut serius quam illa faciei se ostendit, ita tardius recedit, ejus sit molis ac momenti, ut ab orci faucibus illum eripiat. Salivatio, quae tanti hic est tamque necessaria, admodum promovetur, si aegro affatim propinetur cerevisia tenuis, vel liquor alius quilibet, qui nec illum calefaciat, nec ad sudores provocet.

Praeter haec vero, ut consopiatur vehemens illa sanguinis ebullitio, qua haec variolarum species alteram illam longe superat, et sustentetur ptyalismus (necessaria nempe hujusce morbi evacuatio), conveniunt medicamenta narcotica prae aliis quibuscumque, quae, licet ob vim, qua donantur, incrassantem educendae salivae videantur officere, jamdiu tamen ego me isto liberavi praejudicio, atque eadem in hoc morbo adhibui, adstipulante ubique rerum eventu, modo aeger pubertatem excesserit. Sanguis enim infantium puerorumque (qui per integrum morbi stadium plerumque satis bene dormiunt) cum mitius ferveat, minus hujusmodi eget sufflamine; atque insuper

horum usu diarrhoea, quam in hoc morbi genere infantibus evacuationem natura instituit, cum aegri damno sistitur. Adultis vero paregorica medicamenta, si frequenter usurpentur, haec adferunt commoda: primo, somnum moderate conciliando, efferam nimis sanguinis ebullitionem, ac proinde phrenesin cohibent praecaventque. Dein ab eorum usu faciei et manuum intumescentia, quam insignem in hoc morbo natura habet evacuationem, rectius procedit. Quin etiam, quod non parum facit ad aegri securitatem, cum non raro justo citius detumescat faciei cum malis aegri rebus tumor, narcoticorum ope ad debitum usque naturae terminum subfulcitur et protrahitur; mitigato enim sanguinis fervore, radii inflammati opportune ad manus, faciem, atque omnem corporis superficiem pro morbi ingenio feruntur. Ptyalismus denique hisce propagatur, qui licet vi medicamenti ita fortiter incrassantis ad horas aliquot sistitur in quibusdam, mox tamen, aucto novis hisce suppetiis robore, insurgit denuo natura, et coeptum opus feliciter peragit. Quin etiam animadverti, salivationem, quae circa diem undecimum, aliquando etiam citius, cum ingenti aegri periculo minui solet, exhibitis plus semel paregoricis de novo fuisse redintegratam, nec ante diem decimum quartum, alicubi etiam et post illum, desiisse. Propino ego ut plurimum vel Laudani liquidi guttas XIV. aut circiter; vel Syr. de Meconio unc. un. in Aq. flor. Paralys. vel simili stillatitia solutam: quae si adultis post plenam eruptionem ad morbi usque finem singulis noctibus propinentur, non modo incommodi nihil, sed et magnum inde emolumentum capient, quod frequenti experientia didici. Expedit vero, ut censeo, paulo temporius quam aliter fieri solet paregoricum exhibere; facile enim observatu est, in variolis pessimi moris caloris, ut ita dicam, paroxysmum vesperi plerumque aegrum inquietudine, anxietate, aliisque symptomatis lacessere; quae, si paregoricum hora sexta septimave vespertina sumatur, aliquatenus praecaveri possint.

Proximo loco, cum in variolis confluentibus haud minus certo infantes diarrhoea comitetur, quam adultos ptyalismus, natura, ut supra ostendimus, alterutram harum evacuationum materiae morbificae elimi-

nandae ubique constituente; ut nec hic ptyalismo, ita neque istic diarrhoeae, fraenum injicio; cum utrumque ex aequo sit absurdum. Male locata interim imprudentium aliquot muliercularum opera in sistenda hujusmodi diarrhoea, multa infantium millia leto dedit; dum falso secum reputant, diarrhoeam par in hac variolarum specie, atque in distincta discrimen adportare; nesciae scilicet, illic tantum officere diarrhoeam, ubi per pustulas fit evacuatio, hic vero naturae opus illam esse, morbo effugium quaerentis. Missa itaque diarrhoea, καὶ τῇ φύσει ex praecepto divini senis συμπράττων, quo coepi pede pergo; in cunis ut nunc jaceant infantes, ut nunc istinc auferantur, consulo; et si fuerint ablactati, eamdem, quam superius adultis, diaetam istis concedo.

Ultimis morbi diebus, cum facies ob pustulas crustosas, duras aridasque ferme riget, eamdem oleo amygdal. dulc. inungo persaepe, tum ad mitigandum dolorem a rigiditate ortum, tum ut effluvia calidiora liberius exhalent.

Facies ne cicatricibus deturpetur, nihil quidquam molior; cum olea, linimenta, etc. id tantum agunt, quo tardius evanescant albi isti furfures, quibus se invicem pellentibus excipientibusque, postquam aeger jam lecto surrexit, ac mediocriter valet, paulatim succedunt foedae illae cicatrices. Sed ab his non valde metuendum est aegro, ubi, ob regimen moderatius, pustulae minus exacerbatae nullam qualitatem causticam contraxere.

Curatio symptomatum.

Jam vero, licet methodus haec (si caute scilicet ac prudenter circumstantiis particularibus adcommodetur) praedicta illa a natura abhorrentia atque periculosa symptomata praeoccupet, et securum atque perbenignum morbum reddat; a quacumque tamen caussa exorta sint haec, me nondum accersito, necesse habeo in aliquibus, quae hic subnectam, alia via insistere, eadem ut submoveam atque debellem.

In primis igitur, si in discreto genere ob regimen justo calidius, et continuos sudores aegri facies die octavo non intumescat (pustulis interim satis dense se exserentibus), sed flaccida sit, et palleant pustularum interstitia; in casu posito, ultra quod ad tem-

peratum magis regimen, et compescendum sanguinis ὀργασμὸν velis remisque contendo, paregoricum aliquod medicamentum e vestigio hauriendum praecipio; quod quidem somnum blande conciliando (nisi plus nimio cerebrum incaluerit) et mitigando proinde effraenem sanguinis ferociam, sanguinem una cum calore ad faciem, prout morbi ratio postulat, tempestive determinat.

Quod si eo usque processit malum, hac προφάσει ortum, ut sudor, qui huc usque copiose manavit, sponte sua defecerit, aeger phrenitide corripiatur, de vehementi queratur aegritudine, urinam paucam at frequenter reddat; jam non aliis auxiliis (cum in propinquo mors sit) aegro subveniri posse autumo, quam vel narcotica affatim exhibendo, vel sanguinem liberaliter extrahendo, corpusque aurae exponendo. Et profecto, haud ita temerarium atque ἄτοπον videbitur, quod jam proposui, si ad illos animum advertamus, qui ob copiosas narium haemorrhagias subito ingruentes ferreas imminentis leti manus salvi evasere. Illud insuper est perpendendum, quod in extremo hoc agone non idcirco instat mors, quod pustulae intro recedant (exstant enim hae eminentque, cum insigni rubore, etiam animam agente aegro), sed quod facies non turgescat. Ad promovendam vero hanc faciei intumescentiam, quidquid id demum est, quod ad sanguinem contemperandum facit (venaesectionem autem et modicam refrigerationem eam vim obtinere, nemo, opinor, negaverit) necessario, aeque ac paregoricorum usus, atque ob easdem plane rationes debet conferre.

Non haec ita velim intelligi, ac si in qualibet phrenitide, variolis superveniente (cum nullum hic symptoma frequentius occurrat), venaesectionem statim suaderem; sed in illa tantum, quae ideo accidit, quia facies non turgescit, in distincto scilicet genere, et pustulis copia satis magna comparentibus; vel ubi ob regimen admodum calidum et cardiacorum usum sanguis adeo efferus est, atque ultra omnem modum evectus, ut inducias ferre nequeat, donec medicamentis paregoricis, et reliquis eodem facientibus ad debitam temperiem reduci possit. Cum enim ita se res habent, medicus ad conscientiam suam potius, quam ad incertam famam se componens, vel sangui-

nem, ut ante dictum, detrahere debet, vel ut aeger aëre liberiori refocilletur, praecipere. Quod ut satis efficeretur, saepe mihi visum est in tali agone phrenetico, ut aeger lecto aliquantisper exsurgeret; quo facto plures a morte liberavi. Praeter ista vero, quae oculis ipsis usurpavi, innumera sunt illorum exempla, qui his modis quasi orci faucibus erepti sunt. Phreneticorum enim nonnulli nutricum curam fallentes (miris scilicet artibus utuntur homines ita adfecti) atque e lecto dilapsi aëris frigori semet ipsos etiam noctu exposuerunt; alii frigidam vel furtim, vel raptim nacti, vel etiam precibus a nutrice emendicatam hauserunt, adeoque felici errore salutem jam plane desperatam consequuti sunt.

Unicam hic loci historiam adscribere non gravabor, quam ab eo ipso accepi, cujus res agebatur. Is nempe Bristolium profectus, juvenis adhuc inque ipso aetatis flore, circa mediam aestatem variolis correptus est, iisque paulo post phrenitis accessit: nutrix in urbem ingressa, interim aegrum suum aliorum curae commisit, mox nempe reditura. Verum dum paulo diutius moratur, aegrotus (ut adstantibus visum est) interea moritur. Adstantes et anni tempestatis, et habitus aegri, crassi scilicet atque corpulenti, rationem habentes, ne oleret cadaver, e lecto sublatum ac nudum mensae imponunt, linteo superstrato; nutrix tandem rediens, accepto nuncio, cameram intrat, tristissimo spectaculo interfutura, mox amoto linteo, vultuque conspecto, subobscura quaedam vitae indicia conspicari sibi visa est, ac proinde statim projectum corpus in lectum reposuit; adeoque sub manu consilium capiens, ac nescio quid satagens, aegrum suum in vitam revocavit, atque diebus aliquot interpositis sanum conspexit.

Sed ut ad propositum revertar; proximo loco, si in variolis confluentibus saliva eo usque excocta sit, et viscida ob calorem praecedentem, ut tantum non suffocetur aeger, (quod undecimo, ut supra diximus, die non insolens est,) Gargarisma necessario in usum trahatur, et ut saepe die nocteque syringa in fauces sedulo injiciatur, serio imperandum. Componatur vero illud e cerevisia tenui, vel aqua hordei, cum melle rosarum. Vel sequens usurpari poterit; Rec. Cort. Ulmi drachm. vj. Rad. Glycirrhiz. unc. sem.

Passular. enucleat. n. xx. Ros. rubr. pugill. duos coq. s. q. aq. ad libr. sem.; colatura dissolv. Oxymel. simpl. et Mel rosar. aa. unc. duae. M. F. Gargarisma. Quod si aeger rite fuerit tractatus, ptyalismus, etiam cum jam coeperit imminui, ita pulchre suo fungetur munere, ut hoc remedio opus non fuerit. Et profecto ubi eo res rediit, ut aeger singulis momentis a suffocatione periclitetur, stupore obrutus, et spiritu fere undiquaque praecluso, non satis tuto huic remedio fiditur. Aegro ita ad incitas redacto emeticum peropportune, ac feliciter nonnumquam exhibui, ex infusione Croci metallorum, sed dosi paulo majori, scilicet ad unc. un. sem.; quando ob eximiam, qua laborat aeger, stupiditatem minor dosis haudquaquam operabitur, atque interim eos exagitando humores, quos nequeat educere, aegrum in magnum vitae discrimen conjiciet. Sed neque huic remedio satis fidere possimus, atqui, quod vere dolendum, aliud adhuc certius desideratur ad truculentissimum hoc symptoma debellandum, quod solum, ac suo marte eos fere omnes jugulat, quotquot in hac variolarum specie die undecimo intereunt.

Cetera, quae in hoc morbo accidunt, symptomata ut praecaventur ope regiminis moderati, ita ab eodem pleraque etiam tolluntur; e. gr. ut phrenesis ante dicta, a nimia cerebri excalefactione prognata, sanguine quovis modo paululum ventilando curatur; eadem methodo et comati (quod alteri contrarium prorsus videtur symptoma, et ab obstructione corticis cerebri fit, dum halitus calidiores a sanguine, regiminis ac medicamentorum calidorum usu attenuato, magna copia ac vi illic impelluntur) facile occurritur.

Eadem hac sanguinis contemperatione et maculas purpureas vidi sublatas: sed neque hac, neque alia methodo quacumque vel mictum sanguinis, vel violentam ejusdem e pulmonibus eruptionem adhuc sufflaminare potui: utraque vero haemorrhagia haec, quatenus mihi hactenus observare licuit, indubie mortem praenunciat.

In urinae suppressione, quae juniores ac vegetos nonnumquam incessit (a confusione scilicet magna et spirituum ἀταξίᾳ, ejusdem excretioni subservientium, ob sanguinem et humores nimio fervore agitatos) omnes diureticorum tribus in auxilium accersivi; sed

nihil aeque feliciter hic mihi cessit atque e lecto eximere aegrum; qui postquam, adstantium manibus suffultus, cubiculum bis terve circumambulaverit, mox urinam satis copiose reddet, haud parvo cum levamine. Testes hic possim compellare medicos quosdam e familiaribus meis, qui in hoc casu ex meo consilio idem fieri praeceperunt, neque eos fefellit eventus.

At vero quae a materiae variolosae repercussione ob frigus extremum, vel evacuationes indebite factas, proveniunt symptomata, usu cardiacorum et conformi regimine sunt tollenda; qui tamen non ultra spatium, quo ista perstant, continuandus. Horum praecipua sunt pustularum depressio seu procidentia, et diarrhoea in variolis discretis. Neque enim in confluentibus vel pustularum depressio mali quidquam ominatur, cum ea sit morbi natura; neque diarrhoea infantium iisdem laborantium, cum salutem ista adferat, non periculum. In utroque hoc casu potio cardiaca ex aquis stillatitiis adpropriatis, cum Diascordio, Laudano liquido, etc. jure optimo concedetur; idque non tantum ad dicta symptomata submovenda, sed quolibet morbi tempore, si aeger de cordis dolore atque aegritudine conqueratur. Sed ut verum loquamur, symptomata hujus generis oppido rara sunt, si cum illis conferantur, quae extremorum alteri, exitiabili magis, licet minus culpato, debentur. Et quidem opinor, rumorem illum, qui de crebra pustularum retrocessione invaluit, ex eo natum esse, quod qui earumdem depressionem in genere confluentium observaverint, illam pro materiae variolosae ob susceptum frigus recessu habuerint, cum nihil sit hic praeter morbi morem. Atque in genere distincto idem suspicantur, quia scilicet pustularum eruptionem, atque augmentum ante diem exspectant, cum non satis attenderint ad tempus illud, quo natura fructum hunc ad maturitatem solet perducere.

Aegro jam convalescente, pustulisque deciduis, ubi per dies aliquot carnes idem degustaverit, circa diem nempe primum et vicesimum, sanguinem e brachio extrahendum censeo, si morbus fuerit vehementior; cum inflammatio, quam sanguini impresserunt variolae, sive adultus fuerit aeger, sive infans, non minus venaesectionem indicet, quam colluvies, quae

eidem accrevit, catharsin: quod satis liquet tum a sanguinis colore, qui post atrociorem morbum educitur, pleuriticorum sanguini omnino similis; tum etiam a magnis istis inflammationibus, quae post morbum hunc in oculos decumbunt, aliisque diris sanguinis excalefacti et a morbo depravati effectibus; unde etiam, qui antea pancratice valebant, postea cum humoribus calidis acribusque in pulmones, aut aliam aliquam partem depluentibus per reliquam vitam omnem confligunt. At si pauciores exstiterint pustulae, phlebotomia non opus erit. Post venaesectionem catharticum exhibeo ad tres vel quatuor vices.

Ad haec, aegro a confluentibus variolis jam diu liberato, et e lecto quotidie surgenti nonnumquam accidit crurum tumor ferus ac molestus, qui tamen vel sponte facessit post venaesectionem et catharsin, vel usu herbarum emollientium ac discutientium, (quales sunt Malvae, fol. Verbasci, Sambuci, Lauri, cum flor. Chamomillae et Meliloti,) in lacte coctarum, facile fugatur. Atque haec de historia et curatione variolarum, quae per duos hosce annos grassatae sunt, quas, ut ab aliis speciebus, quae insecutae sunt, dirimam, legitimas adpellare libuit.

CAP. III.

Febris continua annorum 1667, 68 *et partis* 69.

Jam ut de febre illa dicam, quae durante variolosa hac constitutione dominabatur, et cum variolis ingressa stetit cum iisdem ceciditque; ita se hic res habuit. Doluit aeger in regione, quae cordis scrobiculo subjicitur, nec sustinuit, ut manu illa premeretur; quod quidem symptoma non memini me observasse in alio morbo praeter hanc febrim, et hanc speciem variolarum. Capitis dolor, et calor totius corporis, ut etiam petechiae, satis manifesto indicio se prodebant. Sitis interim non urgebat. Lingua sanorum similis non raro comparuit, nisi quod quandoque albida, sicca rarissime, numquam vero nigra. Aeger in spontaneos eosque effusissimos sudores ab

initio morbi solvebatur, sed cum nullo levamine; quinimmo ubi calidioribus medicamentis et regimine provocabantur isti, periculum erat, ne mox phrenitide corriperetur. Petechiarum insuper numerus augebatur, atque alia symptomata adhuc efferebantur omnia. Urinae separatio, quae satis videbatur laudabilis, vel ab initio spem faciebat salutis; neque tamen aeger magis exinde in melius proficiebat, quam post *διαφόρησιν*, de qua prius diximus. Si minus recte tractaretur hic morbus, diutissime protrahebatur plerumque: neque crisi aliqua facta, nec sponte more aliarum febrium desinens; sed vehementibus symptomatis miserum excrucians ad septimanas sex vel octo, nisi mors intercederet. Ptyalismus quandoque satis copiosus sub finem accedebat, si nempe nulla insignior praecesserat evacuatio, atque aegro Julapia refrigerantia imperata fuerant; quo quidem, si neque evacuationibus, neque usu medicamentorum calidorum fuerit interceptus, morbus ultra spem omnem fugam sibi quaerebat.

Ut vero febris haec ab ista aëris constitutione epidemia pendebat, quae eodem tempore variolas producebat, ita profecto dicta febris, si non eadem plane esset, ejusdem fere cum illis naturae atque indolis per omnia videbatur, demtis solummodo symptomatis istis, quae eruptionis vel consequentia vel effecta erant necessaria. Nam eodem modo uterque morbus adgrediebatur, dolor idem in partibus, quae cordis scrobiculo subjacent, si manus admoveretur, linguae idem color, urinae consistentia, et sudores spontanei copiosi ab initio oborti ubique respondebant. Propensio itidem, quam habebat hic morbus, quoties in flammam vehementiorem adsurgeret, se per ptyalismum exonerandi, eadem prorsus erat atque in variolis hisce, quoties scilicet confluebant. Cum insuper haec febris eo praecipue tempore saeviret, quo latius, quam umquam alias, quantum ego observavi, hic locorum grassabantur variolae, nemini dubium esse potest, quin ejusdem omnino sint prosapiae. Id certo scio, phaenomena practica omnia, quae curationem respiciebant, eadem plane fuisse in utroque morbo, exceptis istis, quae variolarum eruptio, ejusque effecta in isto morbo indicabant; quae, cum nulla esset in hac febre, indicari proinde non

potuere; quod quidem mihi abunde constabat ex accuratissimis illis observationibus, quas feci, dum utroque morbo laborantes tractarem. Quāpropter danda mihi est venia (non quod nova rerum nomina adfectem, quae perinde mihi sunt invisa atque illi cui maxime, sed ut hanc febrim a ceteris distinguam) ut istam a similitudine, quam cum hac variolarum specie habet, febrem variolosam insigniam.

Ut ut vero febris dicta variolas referebat, nemo tamen sanus eadem illam methodo debere curari facile sibi persuaserit; cum in his, mediantibus abscessulis, particulae inflammatae in habitum corporis amandentur eliminenturque; in hac febre autem non nisi per salivationem ejiciantur. Qui enim in morbi principio manabant sudores profusi, symptomatici erant, non critici; cum natura non aliam hic evacuationem videretur designavisse, quam salivationem; quam tamen ipsa eadem natura pervertit ut plurimum, vel diarrhoea, quae saepissime a radiis inflammatoriis, per arterias mesentericas in intestina delatis, atque eadem ad excretionem sollicitantibus, exoritur, (quod etiam in pleuritide usu venit, aliisque febribus inflammatoriis, ob sanguinis particularumque fervidarum orgasmum, ut eventilentur satagentium, atque in auras facessant,) vel immensis etiam sudoribus, qui morbum hunc pariter cum variolis ex naturae praescripto ubique comitabantur: quibus, cum symptomatici essent ipsi, salivatio, quae critica alias erat futura, alio derivabatur; ita ut nisi evacuationem aliam suggereret ars, ad septimanas aliquot perseveraret morbus, nec aliarum febrium more concoctionem subiret.

Sed ut paulo ulterius progrediamur, quo et febris hujus naturam rectius capiamus, et ea pariter substernamus, quibus indicationes curativae, tamquam immobili fundamento, superstrui possint, omnino animadvertendum est, quod in febre illa, quae in constitutione intermittentibus epidemia vigebat, materia, quae a sanguine erat sejungenda, tantae erat crassitudinis, ut separari nequiret sine praevia digestione, qua ad debitam evacuationem disponeretur, (determinato scilicet ad hoc tempore,) idque vel *διαπνοῇ* paulo pleniori, vel dejectionibus criticis, ita ut id tantum negotii medico daretur, sic se ad morbi

genium accommodare, ne ex una parte in symptomata periculosa adsurgeret atque ebulliret; neque ex altera ita parum effervesceret, ut materiae inimicae exterminandae impar prorsus esset; cum febris naturae instrumentum fuerit, ad hujus secretionis opus dedita opera fabricatum. Quin et in peste materia aliqua reperiebatur a sanguine segreganda; sed cum subtilissimarum fuerit partium et maxime inflammabilium, (ita ut quandoque, ubi summe exacuerentur, sanguinem, fulguris instar, pervaderent, nec ebullitionem quidem in eodem ciere valerent,) ictu oculi per eum trajiciebat, nec nisi in glandula aut parte aliqua externa sistebatur; ubi irretita carnes circumjacentes primo in inflammationem, postea in apostema pertraxit. Est autem apostema naturae machina, qua ista, quae carnibus infesta sunt, amolitur, sicut febris ejusdem est machina, ad difflanda ea, quae sanguinem male habent. Quo in casu medicorum est, evacuationem materiae pestilentialis, quam per hos abscessus natura molitur, prout decet, regere; nisi forte quis magis consultum esse putaverit, aliam aliquam evacuationem substituere, quae magis penes illum fuerit, ejusque arbitrio certius obtemperaverit, quam illa naturae. Eodem etiam modo procedit natura in expellenda variolarum materia, licet ea species sit inflammationis pinguioris, ac magis crassae, quae per pustulas ubique sparsas ejicitur, carbunculorum loco ac bubonum etc. Atque in hoc etiam casu indicationes curativae sunt dirigendae, ut naturalis per pustulas evacuatio rite administretur. Jam vero cum in hoc febris inflammatoriae genere, de quo nunc agimus, non inveniatur crassior illa materia, non nisi praevia digestione egerenda, sicut in febre superius descripta, incassum ebullitioni obsecundamus ad obtinendam hujusmodi digestionem; quinimmo e contra haud leve est periculum, ne huic viae resistentes, stimulos addamus morbo, cujus esse in inflammatione plus satis violenta consistit: atque porro, cum natura nullam huic febri evacuationem per modum eruptionis constituerit, quod in febre pestilentiali et variolis fieri cernimus, (utut rebus aliis posteriori huic morbo respondeat,) necessario in hoc stabit rei summa, ut sedetur inflammatio evacuationibus et medicamentis contemperantibus. Hunc mihi

proponens scopum, hujusce febris curationem adgressus sum, quae methodo hac haud difficulter expugnata fuit.

Curatio.

Ad aegrum accersitus, mox sanguinem e brachio educendum curavi, modo nimia debilitas, praesertim vero provectior aetas non contraindicaret: et venaesectionem insuper, alternis diebus ad duas adhuc vices repetendam jussi, nisi redeuntis sanitatis signa aliter suaderent. Diebus interjectis enema e lacte et saccharo, vel simile injiciendum praecepi; praescripsi et julapium sequens vel aliud ejusmodi, frequenter per omnem morbi decursum adsumendum; Rec. Aq. Portul. Lactuc. fl. Paralys. aa. unc. IV. Syr. de Limon. unc. un. sem. Syr. Violacei unc. un. Capiat unc. tres quater vel quinquies in die, et ad libitum; serum lactis, aquam hordei, et similia ejus farinae pro potu ordinario concessi; pro victu juscula etiam hordeacea, avenacea, panatellam, poma cocta etc. jusculis vero e carne pullorum, vel alia quacumque interdixi.

Prae reliquis omnibus edixi, ne se in lecto assidue contineret, sed illo abstineret bonam diei partem, idque quotidie; quando observaverim in hac febre (uti etiam in pleuritide, rheumatismo, aliisque omnibus morbis inflammatoriis, in quibus abigendis venaesectio, et refrigeratio primas obtinent,) medicamenta summe refrigerantia, et repetitam saepissime phlebotomiam ne hilum prodesse, dum interim aeger lecto indesinenter adfixus ejus calore torreatur, aestate praesertim. Quocirca nec sudores, quibus subinde diffluebat aeger, ab hac methodo refrigerandi, tum medicamentis exhibitis, tum jugem lecti usum vetando, me deterrebant. Etsi enim, sumta a plerumque juvantibus indicatione, magnum sibi quis inde emolumentum haud injuria pollicitaretur, refragabatur tamen ubique experientia, qua magistra didici, aegrum non modo nihil exinde commodi capere, sed e contra vehementius incalescere; ita ut non raro phrenesis, petechiae, ceteraque pessimi ominis symptomata mox hujusmodi sudores exciperent, quae non tam a morbi malignitate, quam sinistro regimine, oriri videbantur.

Si e contra dicatur, jam laudatam febrium curandarum methodum auctorum theoriae omnimode adversari, qui omnes uno ore pronunciant, febrem per διαφόρησιν rectissime, ac maxime naturaliter expediri; haec habeo, quae pro me militant, praeter certissimae ac constantis experientiae testimonium, mihi in hujus particularis febris curatione nunquam non suffragantis. Suppono ante omnia, viros doctos, qui sudorum provocationem ad tollendam febrem efflagitant, eos velle sudores, qui a praevia digestione humoris alicujus in sanguine stabulantis excernuntur; in quo humore elaborando praeparandoque, ut per διαφόρησιν eliminetur, natura certo aliquo ac determinato tempore fuerit occupata. Verum enimvero longe aliter hic se res habet; aeger enim a primo statim morbi impetu in sudores uberrimos solvitur, qui soli morbi hujus pars magna sunt: et si phaenomenis omnino omnibus sit habenda fides, morbus hicce a nudo potius calore et sanguinis aestu, quam ab humore aliquo delitescente, et post debitam concoctionem a sanguine per sudores expellendo, pendere videtur. Quod si demus, hujusmodi humorem digestione maturandum in hac febre, pariter atque in multis aliis, reperiri, quorsum attinet, naturae (cujus enormiora molimina in ordinem redigere opis est nostrae) plus nimio satagenti morem gerere, hujusmodi sudores vel cardiacis provehendo, vel regimine calidiore; cum non minus sudores respiciat, quam dejectiones, tritum illud axioma, *cocta, non cruda, sunt medicanda.*

Stante hac constitutione, accersebar ad virum doctissimum D. D. Morrice (qui tum temporis Londini, jam Petworthiae medicinam cum laude facit,) hac febre cum effusissimis sudoribus et frequentibus petechiis laborantem; consentientibus aliis aliquot medicis, utrique nostrum familiaribus, vena secta fuit, surrexit e lecto; absterso primum sudore, medicamentis et diaeta refrigerantibus usus est, praesentissimo cum levamine, multis malis atque periculosis symptomatis mox difflatis; et, cum eidem methodo insisteret, intra paucos dies sanitati restitutus est.

Sed ad rem: neque etiam diarrhoea, quae febrim hanc saepissime comitabatur, me a dicta methodo

vel latum unguem dimovit: quinimmo expertus sum (cum scilicet et halitibus inflammatoriis e sanguinis massa per arterias mesentericas in intestina excretis, atque eadem vellicantibus, illa nasceretur) nihil huic profluvio sistendo aeque conducere atque venaesectionem, et sanguinis contemperationem, aqua hordei, sero lactis, atque aliis supra nominatis procurandam.

Haec sane methodus optime mihi cessit in hujus morbi curatione, ad quam quidem apta nata prae ceteris mihi videtur. Non quod ego numquam via longe contraria incedentibus spectator interfuerim, adhibitis scilicet cardiacis, et calido regimine, aegro nihilominus a morbo saepe liberato, ita tamen, ut mihi semper videretur is non mediocre discrimen adiisse, nulla id suadente necessitate. Etenim petechiae, quae aliter perpaucae erant, his modis numerosissimae scatebant; sitis, quae ut plurimum vix molestabat, jam intensius urgebat; lingua, quae alias humida solebat esse, neque a sanorum lingua, nisi quod, ut diximus, subalberet aliquantisper, multum abhorrens, sicca in hoc regimine arefactaque, quin et nigra saepe comparebat. Postremo illi ipsi sudores, quos cardiacorum usu extorquere satagebant, tandem eorumdem ope penitus intercidere. Exacta enim per corporis habitum nimis larga seri copia, sanguis humori istiusmodi ulterius suppeditando par non erat; cumque ista, qua dilui debuerat, humiditate in solidum jam spoliaretur, exarescebat protinus aeger, atque in externis partibus constringebatur, omnino praeter naturae morem, quem in hac febre observare solet; donec tandem sanguis, humiditate ab absumtis mutuata denuo repletus, partim medicamentorum, partim etiam febris vi, serum hoc recens ingestum, ac cum illo febrem a finibus suis pelleret. Quae quidem crisis erat coacta nimis, et nimis periculosa; et, quod adhuc pejus, rarius etiam contingebat.

Jam vero ut supra monuimus, febris hujus solutio, ut etiam variolarum, (quae soror ejus germana merito audiunt,) per salivationem non raro fiebat; quae quidem numquam non salutaris fuit, ita ut eadem liberalius procedente tam maculas revera purpureas, quam febrim ipsam evanescere oculis vidi meis. Oborta itaque salivatione, nulla omnino eva-

cuatio convenit, nec quae vena pertusa, nec injecto quae fit enemate; cum ab utraque periculum sit, ne humor alio divertatur. At serum lactis, atque alia refrigerandi vi pollentia necessariam in salivatione elicienda operam navabant, ut e contra cardiaca, et quaecumque alia calefaciebant, materiam inspissando ejusdem eductioni obficiebant.

Diarrhoea.

Superstite adhuc febre hac, nec dum exstincta penitus, anno maxime 1668, diarrhoea, sine manifesto aliquo febris indicio, epidemie grassabatur. Jam enim constitutio ad dysentericam illam accedebat, quae insequenti anno invaluit, ut jam proxime dicemus. Hanc nihilominus eamdem ego censui febrem esse cum variolosa adhuc regnante, forma tantum diversa atque alio se symptomate efferentem. Cum enim mihi constaret, rigorem atque horrorem hanc etiam diarrhoeam praecedere solere, atque illam insuper ut plurimum ex eadem προφάσει invadere, ex qua solebat ista, quae tum depopulabatur, febris, verisimile mihi est visum, febrem hanc ortum suum debere radiis inflammatoriis in intestina inversis, atque eadem ad expulsionem hanc solicitantibus; cum interim sanguinis massa, ope hujus diverticuli a malis, quos aliter radii isti adtulissent, effectibus integra maneat atque illaesa, nullo febris visibili signo exterius se prodente. Ad haec, aeger partes cordis scrobiculo adcumbentes manu premi non tulit (quod quidem symptoma et variolis, et febri hujus constitutionis accidisse jam pridem ostendimus). Idem etiam dolor, atque eadem carnium teneritudo saepenumero externe in epigastrium protendebatur; nonnumquam etiam inflammatio, quae in apostemate, atque aegri morte demum terminabatur. Quae omnia luce clarius indicabant, diarrhoeam hanc ejusdem omnino naturae fuisse atque essentiae cum illa, quae tum dominabatur, febri. Sententiam hanc meam magis adhuc ratam faciebat felix eventus, quem venaesectio, et medicamentorum, diaetae, atque regiminis refrigerantium usus, quae in febris variolosae curatione usurpasse nos saepe diximus, in sananda etiam hac diarrhoea perpetim habuere, utpote quae huic methodo prompte cessit. Cum vero alia longe diversa

tractaretur, sive exhibitis Rhabarbaro aliisque catharticis lenitivis (ad deturbandos scilicet mordaces istos succos, qui intestina ad hujusmodi excretiones putabantur irritasse) sive etiam adstringentibus, ex levi sua natura morbo in exitialem saepissime evasit; ut, qui eo anno concinnabantur, diem obeuntium indices plus satis testantur. Atque haec dicta sunto de morbis epidemiis, qui ab hac constitutione pendebant.

SECTIO QUARTA.

CAPUT I.

Constitutio epidemia partis anni 1669, *atque integrorum* 1670, 1671, 1672. *Londini.*

1669.

Ineunte Augusto anni 1669, cholera morbus, immania ventris tormina sine dejectionibus, uti etiam dysenteria, quae per decennium jam parcius comparuerat, grassari coeperunt. Cholera morbus, quem numquam antehac ita fuisse epidemium animadverteram, hoc non obstante, eo etiam anno, uti semper, intra Augusti cancellos stetit, vix in priores Septembris hebdomadas evagatus. Ventris autem tormina absque dejectionibus ad autumni exitum usque perseverabant, et dysenterias comitabantur, quibus etiam latius spargebantur illa. Superveniente vero hyeme, tormina ista sine dejectionibus penitus disparebant, nec deinceps infestabant per sequentes annos, quibus vigebat haec constitutio, qua nihilominus dysenteriae ἐπιδημικωτάτως saeviebant. Cujus rei hanc ego caussam fuisse arbitror, quod scilicet constitutio ista nondum ita perfecte in dysentericam transierat, ut symptomata illa omnia, quae dysentericos adfligunt, in singulis valeret producere. Etenim insequente autumno, cum jam redirent tormina, nullo non symptomate pathognomonico stipatus incessit morbus. Inter tormina haec dejectionibus cassa et dysenterias jam memoratas, quae ubique populabantur, exorie-

batur et novum febris genus, utrique morbo comes, quae non eos tantum invadebat, qui priorum alterutro laborabant, sed etiam illos, qui ab utroque adhuc immunes perstabant; nisi quod nonnumquam (at rarius id quidem) ventris tormina admodum levia accederent, nunc soluta alvo, nunc vero adstricta; quae cum illam febrem quadamtenus referret, quae morbis praefatis non infrequenter adhaerebat, febris dysentericae nomine ab aliis distinguenda est; maxime cum, ut mox docebimus, a dysenteriae genio atque indole in eo tantum recederet, quod dejectionibus istis caruerit, quae in dysenteria indesinenter molestabant, ceterisque iis effectibus, quae huic evacuationi necessarie debebantur. Adpetente jam brumali frigore, dysenteria ad tempus se subduxit; febris autem dysenterica magis grassabatur, variolae etiam, at mitiores, et fractis admodum viribus quibusdam in locis impetebant.

1670.

Anno vero subsequente vix dum ingresso, ipso nempe Januario, successere morbilli; qui indies auctiores facti, nullam fere familiam, nullos saltem infantes intactos sinebant; atque ad vernum usque aequinoctium sensim invalescentes, ab illo tempore iisdem ferme, quibus insurrexerant, gradibus paulatim referebant pedem, et Julio mense evānuere, non amplius visi per eos annos omnes, quibus dominabatur constitutio haec; nisi quod proximo anno, ea ipsa tempestate, qua in praecedente eruperant, rari hac illac dissiparentur.

Morbilli isti variolarum generi, mihi hactenus non cognito, viam sternebant, quas ut a ceteris distinguam, ob phaenomena irregularia, inusitataque, a me observata (quae postea in earumdem historia tradentur) a praecedentis constitutionis variolis longe distantia, variolas anomalas constitutionis dysentericae compellare lubet. Variolae hae, licet morbillis longe infrequentiores, non paucos tamen adgrediebantur, donec inchoante mense Julio, febres dysentericae praevalerent, epidemie incursantes; adproximante vero autumno, Augusto scilicet, dysenteriae postliminio revertebantur, atque omnia pervastabant, etiam inclementius quam praegresso anno desaevien-

tes. Hyberno tamen frigori terga dederunt, ut prius. Verum enim vero his fugatis, dysenterica febris et variolae hyemem omnem funestabant.

1671.

At circa initium Februarii anni insequentis, substitutis tertianis intermittentibus, uterque morbus rarior prodibat. Dictae intermittentes, licet non admodum epidemiae, frequentiores tamen erant, quam quovis alio tempore observasse me memini, a quo scilicet exspiravit constitutio ista, quam sibi adeo faventem illas habuisse supra notavimus. Atque hae, pro more intermittentium vernalium, solstitio aestivo vix praeterlapso, omnino evanuere. Incipiente mense Julio dysentericae febres, quam praecedentibus annis obtinuerant, stationem de novo repetebant; autumno vero aliquantum provectiore, dysenteria jam tertio regressa est, sed contractior quam anno ultimo elapso, quo ad ἀκμὴν pervenisse videbatur; supervenienti autem hyemi tertium etiam cessit, febre dysenterica et variolis reliquam eam tempestatem iterum contristantibus.

1672.

Cum vero, ut jam monuimus, sub ingressu utriusque anni praecedentis morbus aliquis valde epidemius invalesceret, morbilli scilicet, exoriente anno 1670, intermittentes autem tertianae anno 1671 inchoato, quorum praedominio ita intercidebantur variolarum copiae, ut fines suos, praedictis annis ineuntibus, longe lateque propagare nequirent: hac inquam de caussa remoto jam obice (nempe initio anni 1672), cum solae dominarentur variolae, epidemie admodum ex consequenti grassabantur; donec subintrante rursus Julio febres dysentericae denuo invaderent, quae, redeuntibus jam quarto Augusto dysenteriis, mox facessebant; dysenteriae vero non pauciores tantum, quam prioribus annis, fuerant, sed mitiora insuper adportabant symptomata. Porro variolis hinc indeque simul sparsis, haud facile erat dictu, quis morbus praepolleret. Existimo quidem ego, constitutionem aëris ad dysenterias progignendas minus facientem variolis eam subministrasse facultatem, qua pari passu procedere valerent, secus atque iis annis, qui-

bus dysenteriae Augusto mense confertim magis trucidabant. Hyems, ut solebat, dysenterias ablegavit, sed neque febrem, neque variolas: variolae hic etiam pro more suo, exulantibus dysenteriis, rerum denuo potiebantur, et per omnem reliquam brumam regnabant. Quinimmo subsequente vere, ut etiam aestatis initio, huc atque illuc deferebantur, longe tamen mitiores quam pro hoc genere.

Verum enimvero quando adsero, epidemiorum alterum ab altero, ut clavum a clavo, pelli, non statim dico, eum, qui pellitur ac cedit, morbum in solidum evanescere, at vero rarius invadere. Durante enim hac constitutione uterque morbus reperiebatur, etiam illa tempestate, quacum minus ei conveniebat: e. gr. dysenteria, etsi morbus autumno maxime proprius, unum fortasse aut alium, licet raro admodum, vere incessabat.

Satis itaque evicimus, quod per integram hanc constitutionem, subintrante Julio (qui mensis certissima est febrium autumnalium epocha, uti vernalium Februarius) febres dysentericae grassabantur; autumno vero jam se propius admovente, dysenteriae (morbus, si accuratius loqui velimus, vere autumnalis) iisdem succedebant; quas ab hyeme difflatas excipiebant febris dysenterica et variolae; quae quidem variolae non eam tantum hyemem, sed subsequens etiam ver, nec non aestatem illi conjunctam peragrabant, donec reverso Julio a febribus dysentericis epidemie praedantibus ejicerentur. Atque hae rerum erant vices, dum vigeret praedicta constitutio.

Observare insuper est, quod sicuti epidemiorum quilibet in subjecto particulari suas habet periodos, augmenti scilicet, status, et declinationis; ita etiam constitutio generalis quaecumque, quae huic alterive morbo epidemie producendo favet, pro ratione temporis, quo dominatur, suas etiam periodos habet, quatenus scilicet indies magis ac magis epidemie grassatur, donec ἀκμὴν attigerit suam, atque exinde iisdem fere gradibus decrescat, donec tandem penitus exoluerit, alteri constitutioni locum cedens. Symptomatum enim quod attinet vehementiam, atrociora sunt omnia, ubi primum se ostendit; quae quidem paulatim mitescunt, et in constitutionis catastrophe tam sunt benigna atque εὐφόρητα, quam patitur morbi

natura, in quo fundantur; quod satis demonstrant dysenteriae et variolae hujus constitutionis, ut mox fusius declarabimus. Hujus constitutionis morbos particulariter tractandos adgredior, eo quem ipsi servarunt ordine.

CAP. II.

Cholera morbus anni 1669.

Morbus hic, qui, ut antea diximus, anno 1669 se latius diffuderat, quam alio quovis anno, quantum ego observaveram, eam anni partem, quae aestatem fugientem atque autumnum imminentem complectitur, unice ac eadem prorsus fide, qua veris primordia hirundines, aut insequentis tempestatis fervorem cuculus amare consuevit: qui ab ingluvie ac crapula nullo temporis discrimine passim excitatur adfectus, ratione symptomatum non absimilis, nec eamdem curationis methodum respuens, tamen alterius est subsellii. Malum ipsum facile cognoscitur; adsunt enim vomitus enormes, ac pravorum humorum cum maxima difficultate, et angustia per alvum dejectio; ventris ac intestinorum dolor vehemens; inflatio et distentio; cardialgia, sitis, pulsus celer ac frequens, cum aestu et anxietate, non raro etiam parvus et inaequalis; insuper et nausea molestissima; sudor interdum diaphoreticus, crurum et brachiorum contractura, animi deliquium, partium extremarum frigiditas, cum aliis consimilis notae symptomatis, quae adstantes magnopere perterrefaciunt, atque etiam angusto viginti quatuor horarum spatio aegrum interimunt. Est etiam et cholera sicca a spiritu flatuoso supra et infra erumpente, idque sine vomitu vel secessu; cujus unicum dumtaxat exemplum me vidisse memini ineunte hujus anni autumno, quo tempore prior illa species mihi creberrime, et facto quasi agmine, sese obtulit.

Curatio.

Sedula mentis adplicatione, et multiplici etiam experientia edoctus, quod si hinc acres istos humo-

res, fomitem morbi, catharticis expellere conarer, idem agerem, atque is, qui ignem oleo extinguere satagit; cum cathartici vel lenissimi operatio omnia magis perturbaret, et novos insuper excitaret tumultus: et si ex adverso medicamentis narcoticis, aliisque adstringentibus in ipso statim limine primum humoris impetum compescerem, dum naturali evacuationi obsisterem, et invitum humorem detinerem, aeger, inimico visceribus incluso, bello intestino indubie conficeretur: has, inquam, ob caussas, media mihi via insistendum esse duxi, ut partim scilicet humorem evacuarem, partim etiam diluerem: morbum itaque hac arte, mihi a multis retro annis comperta ac comprobata, toties quoties in ordinem coëgi.

Pullus tenerior in tribus circiter aquae fontanae congiis elixatur, adeo ut carnis saporem vix perceptibilem liquor referat; hujus decocti (vel defectu ejus liquoris possetici) capaciores aliquot cyathos aeger tepide exhaurire jubetur; eodemque tempore bona ejusdem quantitas pluribus enematis successive injiciendis inservit, donec qua per superiora, qua per inferiora, tandem omne jusculum absumtum ac denuo rejectum fuerit. Hisce haustibus, pariter ac clysteribus, syruporum Lactucae, Violarum, Portulacae, Nymphaeae, eorumve alicujus uncia subinde admisceri poterit; quamquam et citra ejusmodi additamenta jusculum ipsum per se rem satis commode exsequatur. Ita ventriculo insigni liquoris quantitate saepius onerato, atque, ut sic dicam, subverso, ac reiterata enematum injectione, humores acres vel foras eliminantur, vel retusa acrimonia ad debitam temperiem revocantur. Exantlato hoc eluvionis penso, quod tres vel quatuor horas sibi vendicat, medicamentum aliquod paregoricum curationi coronidem imponit. Mihi hoc crebro in usu est: Rec. Aq. Paralys. unc. un. Mirab. unc. duas, Laudani liquidi gutt. xvj., cujus loco narcoticum quodvis officinale succenturiari poterit. Atque haec quam proposui diluendi humores via multo tutius ac expeditius, quam quae vel per evacuantia, vel per adstringentia vulgo instituitur, periculosissimo adfectui occurrit; quippe cum ab illis tumultus concitatior et ferocior evadat, ac omnia susque deque vertantur; haec e contra hostem in mediis vi-

sceribus detineant, ac ex advena reddant plane inquilinum; ut taceam, protracto in longitudinem morbo, praeter periculum ex ejusmodi mora, qua in massam sanguinis tandem humores vitiosi irrepunt, atque mali moris febrim facile accendunt, etiam aegris gravissimi mali taedium procreari.

At vero diligenter est animadvertendum, quod si non accesserit medicus nisi postquam aeger vomitu, ac dejectionibus ad horas aliquam multas continuatis, puta decem vel duocecim, fuerit exhaustus, et jam frigescant extrema membrorum; hoc, inquam, casu, omissis aliis quibuscumque auxiliis recto cursu ad sacram hujus morbi anchoram, Laudanum intelligo, confugiendum est; quod non tantum exhibendum est urgentibus symptomatis, sed etiam cessantibus vomitu ac diarrhoea, mane et sero quotidie repetendum, donec pristinas vires aeger, ac sanitatem, tandem receperit.

Hic morbus, quantumlibet epidemius, rarissime tamen (quod supra dictum est) Augusti, quo primum coepit mense, terminos excessit; ex quo mihi subest contemplari elegantissimum illud subtilissimumque artificium, quo utitur natura in epidemiorum natalibus, atque ortu. Licet enim eaedem prorsus maneant caussae, unde plures sub finem Septembris aeque ac mense praecedente, hoc morbo possunt corripi, nimia scilicet fructuum horariorum ingestio, eumdem tamen non sequi videmus effectum. Quisquis autem cholerae morbi legitimi, quo cum solo nobis in praesentiarum res est, phaenomena studiose collegerit, fatebitur morbum istum, qui quovis alio anni tempore invadit, quamvis ex eadem occasione prognatum, atque eorumdem symptomatum nonnullis stipatum, ab hoc nostro toto coelo distare; haud aliter ac si in aëre peculiaris mensis hujus lateat reconditum ac peculiare quiddam, quod specificam hujusmodi alterationem soli huic morbo adaptatam vel ventriculi fermento valeat inprimere.

CAP. III.

Dysenteria partis anni 1669, *atque integrorum* 1670, 1671, 1672.

Ventris tormina sine dejectionibus initio Augusti 1669, ut supra innuimus, invadere coeperunt; et excurrente eo autumno dysenterias, quae cum iisdem ingrediebantur, aequabant numero, ne dicam exsuperabant. Febris nunc iis accessit, nunc aberat. Dysenteriarum per id tempus grassantium torminibus dicta ventris tormina omnino respondebant; atrocissima nempe haec erant, et per intervalla cruciabant; nullae vero sequebantur dejectiones vel stercorosae, vel mucosae. Pari passu cum dysenteriis per autumnum hunc omnem procedebant, sed ut jam docuimus, non cum iisdem per annos sequentes hujus constitutionis epidemie amplius invadebant. Cum vero tormina haec sine dejectionibus neque natura sua, neque illa, qua promptissime sopiebantur methodo a dysenteriis multum dissideant, ad has me confero.

Animadverti, morbum hunc uti nunc, ita fere semper, autumni initio invadere solere, et adpropinquanti hyemi pro tempore cedere; cum vero annorum series eidem epidemie producendo nimium faveat, unum alterumve etiam quovis alio tempore potest ferire; quin et circa veris ingressum, forte etiam maturius (si nempe aura calidior intemperantiori gelu, derepente soluto, mox superveniret), plures aliquot incessere. Unde, perpauci licet fuerint, qui hoc corripiantur morbo, cum tamen id tempore ita alieno contingat, satis scio illam constitutionem haud mediocriter huic morbo suffragari. Atque ita se res habuit per eos annos, quibus dysenteriae ita late depopulabantur; quandoque enim circa hyemis aut veris initium, uti dictum, hic morbus hunc illumve vexabat.

Nunc cum rigore horroreque adgreditur hic morbus, quos sequitur totius corporis calor, (ut in febribus solemne est,) atque hunc brevi post ventris tormina, ista vero dejectiones. Saepe vero nulla antecedit febris praesensio, agmen autem ducunt tormina: dejectiones subsequuntur. Semper tamen adest ingens cruciatus, et intestinorum depressio cum do-

lore, quoties exoneratur alvus, cum crebris itidem dejectionibus et molestissimo viscerum omnium quasi descensu. Dejectiones mucosae sunt omnes, non stercorosae, nisi quod nonnumquam stercorosa interponitur, idque sine dolore insigni. Mucosis hisce dejectionibus intertexuntur sanguinis quaedam lineamenta; quandoque tamen ne minimum quidem sanguinis per omnem morbi decursum iisdem admiscetur; quo non obstante, (modo frequentes sint dejectiones cum ventris torminibus et colluvie mucosa,) morbus haud minus recte dysenteria vocabitur, quam si una manaret sanguis. Interea temporis aeger, si vel aetate floreat, vel cardiacorum ope incalescat, febricitat; lingua subalbida quadam mucilagine dense obsita, et, si vehementius fuerit excalefactus. nigra etiam atque sicca. Prosternuntur admodum vires, dissipantur spiritus, nullum non adest febris male moratae indicium. Non dolores tantum summos atque aegritudinem adfert hoc malum, sed, nisi perite tractetur, ingens etiam in vitae discrimen aegrum perducit. Cum enim jam imminutae caloris vitalis ac spirituum copiae e crebris hisce dejectionibus ante exhauriantur, quam peccans materia possit e sanguine exturbari, manuum ac pedum frigore superveniente, a morte periclitabitur, etiam intra morborum acutorum periodos oppetenda; quod si intentatas Parcarum manus hac vice eluserit, plura tamen diversi generis symptomata miserum exspectant: v. gr. nonnumquam progresso morbo, loco filamentorum sanguineorum, quae eodem incipiente dejectionibus permista conspici solebant, sanguis sincerus, ne muco quidem intermixto, largiori quantitate singulis conatibus egeritur; quod, cum corrosionis majorum aliquot vasorum, quae intestina perreptant, argumentum sit, aegro interitum minatur. Nonnumquam etiam intestina a magno illo incendio, quod excitavit materiae calidae atque acris ad partes laesas adfluxus copiosior, gangraena insanabili adficiuntur. Aphthae insuper, exeunte morbo, oris interna faucesque saepenumero obsident; inprimis ubi corpus diu fuerit excalefactum, et materiae peccantis evacuatio medicamentis adstringentibus impedita, non exacto prius per cathartica morbi fomite. Atque hae quidem mortem imminentem utplurimum de-

nunciant. Quod si praedicta symptomata superaverit aeger, et morbus in longum trahatur, tandem intestina ordine quaeque suo deorsum versus adfici videntur, donec in rectum intestinum malum omne detrudatur, et in tenesmum desinat: quo facto, longe secus atque in dysenteriis, dejectiones stercorosae vehementissimum intestinis dolorem inferunt, alvi scilicet faecibus teneriora adhuc intestina inter descendendum radentibus; cum dejectiones mucosae eo tantum tempore inferiori intestino, recto nempe, molestias creant, quo materia in eo solo conficitur atque inde excernitur. Hic autem morbus licet adultis, maxime grandaevis, haud raro exitialis, infantibus nihilominus perbenignus reperitur, qui ad menses aliquot ab eodem quandoque adficiuntur sine quovis incommodo, modo res naturae permittatur.

Quantam cum hac, quam descripsimus, adfinitatem habeat endemia ista Hibernorum dysenteria, non satis scio, cum nondum ea mihi innotuerit; quin et in his, quas incolimus, regionibus quomodo se habeat dysenteria, quam jam depinximus, si ad illas referatur, quae aliis annis infestabant, mihi pariter incompertum est; cum fieri quidem possit, ut variae enascantur dysenteriarum species, ut sunt variolarum et epidemiorum aliorum diversis constitutionibus propriae, et quae proinde medendi methodum in aliquibus diversam sibi suo jure vendicent. Neque est, cur hos naturae lusus hac in re tantopere demiremur; cum in confesso apud omnes sit, quod quo profundius in quaecumque naturae opera penetramus, eo luculentius nobis adfulgeat ingens illa varietas et divinum pene artificium operationum ejus, quae captum nostrum longissime superant. Adeo ut quisquis ille fuerit, qui in se receperit haec omnia mente adsequi, et multifarias naturae operationes κατὰ πόδας indagare, partim magnis ausis excidet, neque voti per omnia compos reddetur: convitia interim, (si quid judicando valet,) pro repertorum vel utilissimorum, quam fecit, semente certo certius sibi metenda proponet, idque eam tantum ob caussam, quod primus invenit.

Porro observandum est, quod epidemii omnes, ubi primum e naturae sinu emergunt exiliuntque, quantum ex eorum phaenomenis licet conjicere, prin-

cipio magis spirituoso, ac subtili, videntur inhaerescere, quam ubi jam magis adoleverint, quoque magis ad occasum vergunt, eo magis indies crassi atque humorales fiunt: etenim quales quales demum fuerint inimicae istae particulae, quas aëri intime permixtas constitutionem epidemiam formare opinabimur, omnino par est, ut easdem majori agendi potentia per ea tempora pollere existimemus, quibus primum eruperint, quam postquam earum vires fuerint refractae. Ita primis mensibus, quibus grassabatur pestis, nullo fere non die ejus contagio adflati, dum in triviis versarentur, inopinantes exstincti sunt, nihil prorsus mali praesentientes; cum, ubi morbus magis adoleverat, neminem nisi febre atque aliis symptomatis praecedentibus umquam prostravit: ex quo abunde conficitur, morbum hunc in ipsis incunabulis magis efferatum atque acutum fuisse, quam post principia: licet pauciores prima acie jugulaverit, aucto jam scilicet, quem habebat, in humana corpora influxu. In dysenteriis pariter, de quibus jam agimus, omnia universim symptomata atrociora sub primo morbi ingressu comparebant; et licet, si ad aegrorum numerum respexeris, latius indies malum serperet, donec tandem ad statum pervenisset, in quo ex consequenti plures interibant, quam ineunte morbo; symptomata tamen sub initio saeviebant magis, quam in statu, ac multo adhuc magis, quam in declinatione, et ceteris paribus plures pro aegrorum numero ἕλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταίη. Adde quod quo diutius perseverabat morbus, eo magis humoralis etiam videbatur: v. gr. primo quo invasit autumno quamplurimi nullis omnino dejectionibus molestabantur; torminum vero quod spectat atrocitatem, febris intensionem, subitam virium prostrationem, aliaque symptomata, insequentium annorum dysenterias longo intervallo post se reliquit. Quinimmo dysenteriae cum dejectionibus, quae primae incessabant, principio magis spirituoso ac subtili videbantur inhaerere, quam quae illas sequebantur. Etenim in primis dysenteriis et conatus, et ad desidendum irritatio majores erant, tum etiam frequentiores; ipsae vero dejectiones, stercorosae praesertim, et minores et magis insolentes: quibus autem gradibus morbus in genere se promovit, iisdem etiam imminue-

bantur tormina; dejectiones vero magis stercorosae erant, donec tandem, fatiscente epidemia hac constitutione, tormina vix perciperentur, dejectiones stercorosae magis essent quam mucosae.

Curatio.

Ut ad curativas indicationes tandem procedamus; cum varia, quae huic morbo accidunt, symptomata diligenter ac mature mecum pensitassem, febrem eum esse (sui scilicet generis) in intestina introversam deprehendi, cujus ope humores calidi atque acres in massa sanguinea contenti, atque eamdem exagitantes per arterias meseraicas in dictas partes deponuntur; unde a vehementiori sanguinis atque humorum, eo contendentium, impetu patefactis vasorum orificiis sanguis per sedem effunditur. Interea temporis importuno intestinorum nisu, quae omnem adhibent operam, ut humores acres continuo infestantes expellant, mucus iste, quo naturaliter obducuntur, singulis sedibus, nunc parcius, nunc copiosius, una egeritur. Proinde ultro se indicationes offerre videbantur, neque mihi aliud quidpiam incumbere existimavi, quam ut primum acres istos humores secta vena immediate revellerem; quo facto insuper reliquam massam contemperarem, tum etiam dictos humores per cathartica subducerem.

Hac ita methodo sum usus: quo primum accersebar die, venam cubiti tundendam suasi; eadem nocte et paregoricum propinavi; et sequenti aurora potionem hanc catharticam lenitivam, mihi familiarem, Rec. Tamarind. unc. sem. fol. Sennae drachm. duas, Rhei drachm. un. cum sem. Coq. c. s. q. aquae, Colaturae unc. tribus dissolve Mann. et Syr. Ros. solut. aa. unc. un. M. F. Potio, sumenda summo mane. Hanc ego potionem electuario cuilibet, cum Rhei pauca quantitate parato, soleo praeponere; licet enim Rhabarbarum cholerae, atque acrioribus quibusque humoribus evacuandis sit dicatum; attamen nisi Mannae aliquid, aut syrupi rosacei, vel aliud ejusmodi ea quantitate admisceatur, ut ad pleniorem catharsin adsurgat, in dysenteriis curandis non admodum conducit. Quandoquidem vero satis est obvium, medicamenta cathartica etiam lenissima, et tantum ἐκκοπρωτικὰ ventris tormina intendere, spirituum

etiam dejectionem, atque ἀναξίαν universalem aegro inferre, adventitio nempe illo tumultu, quo sanguinem ac humores commovent inter operandum: ea propter solemne mihi est paregoricum temporius aliquanto subjicere, quam post cathartica consuevimus, hora scilicet pomeridiana quacumque, modo catharticum suo defunctum munere videatur; quo scilicet quem concitavi, motum denuo sufflaminare valeam. Deinceps ad duas adhuc vices dictum catharticum praescribo, alternis scilicet diebus hauriendum; paregoricum etiam post singulas purgationes, quo supra monuimus tempore. Hoc insuper diebus a purgatione vacuis tam mane quam sero exhibendum curo, quo scilicet symptomatum ferociam debellem, atque inducias impetrem, dum cum humore peccante exterminando mihi res est. Anodyno autem utebar maxime Laudano liquido, guttis nempe xvj. vel xviij. in aqua qualibet cardiaca, pro dosi una.

Post venaesectionem et catharsin semel celebratam per totum morbi decursum cardiacum quodvis e temperatioribus, ut Aq. epidem. aq. Scord. comp. et his similibus subinde degustandum concessi: Ex gr. Rec. Aq. Cerasor. nigr. et Fragor. aa. unc. tres, Aq. epidem. Scordii comp. et Cinnamomi hordeat. aa. unc. un. Margarit. praeparat. drachm. un. cum sem. Sacchari crystallini q. s. adde Aq. Rosarum Damasc. unc. sem. (ad gustum scilicet gratiorem) M. F. Julap. de quo capiantur cochl. iv. vel v. in languoribus, vel ad libitum. Haec autem inprimis in senioribus ac phlegmaticis usurpavi, quo nempe spiritus magna dejectionum vi, quod in hoc morbo usu venit, prostratos erigerem quadamtenus et resarcirem. Potus erat lac coctum cum aquae triplo: aut Decoctum album (quod adpellant) ex C. C. et micae panis albiss. aa. unc. duabus coctis in aq. font. libr. tribus ad libr. duas et postea s. q. sacchari albiss. edulcoratum, aliquando etiam lac cerevisiatum; vel, ubi dejectio virium id postulaverit, Aq. font. libr. duae cum Vini Canarini libr. sem. simul coctae pro potu ordinario frigide adsumebantur. Panatella item nonnumquam vescebatur; nonnumquam jusculo e carnibus ovinis macilentioribus. Grandaeviores lectulo magis addixi; aquam item cardiacam illis familiarem liberalius indulsi, quam infantibus aut junioribus par erat. Lau-

data methodus omnibus, qui mihi hactenus innotuere, in hoc morbo vincendo facile palmam praeripuit, qui perraro ultra tertiam purgationem duravit.

Quod si morbus praefractior his non cederet, dictum paregoricum aegro exhibui singulis diebus mane, et hora somni, donec omnino convalesceret; immo quo certius adhuc hic adfectus debellari potuerat, Laudanum praedictum octava quaque hora, i. e. ter spatio diei naturalis, propinare non dubitavi; idque in majore dosi quam supra recensui, nempe ad gutt. XXV. si prior dosis fluxui cohibendo haud par fuerat. Insuper enema ex lactis vacc. libra dimidia, et Theriac. Androm. unc. un. c. sem. singulis diebus injiciendum curavi, quod quidem in quibuscumque alvi dejectionibus mire confert. Nec vel minimum quidem incommodi a tam frequenti medicamenti narcotici repetitione mihi adhuc videre contigit (quantamlibet noxam inde secuturam comminiscantur inexperti), licet plures noverim, qui in morbo contumaciori idem ad septimanas aliquot continuas quotidie usurpaverint. Hic autem admonendum, quod cum alvi fluxus ad diarrhoeam tantum adsurgat, satis erit, ut (phlebotomia ac catharsi fortiori omissa) Rhabarbarum solum singulis matutinis exhibeatur: nempe ejusdem pulv. drachm. sem. (plus minus pro aegri virium ratione) in Bolum s. q. Diascordii concinnata, addendo ol. chemic. Cinnamomi gutt. duas; noctibus autem insequentibus paregoricum ex aq. Cinnamomi hordeatae unc. un. et Laudan. liquid. gutt. XIV, diaetam interim observando, qualem in curatione dysenteriae supra descripsi, atque etiam singulis diebus, si opus fuerit, clysterem injiciendo ibidem laudatum. Sed hoc obiter.

Ut unica instantia (neque enim pluribus convalescentium exemplis, nulla cogente necessitate, lectori taedium creabo) methodum jam a me propositam commendatam faciam; vir pietate, atque eruditione insignis, THO. BELKE S. T. P. et Comiti Sancti Albani a sacris domesticis, durante hac constitutione, dysenteria acutissima laborans, me in subsidium accito, ipsissima hac methodo restitutus est.

Infantes hoc morbo correpti, eodem plane modo erant tractandi; sanguinis tamen extrahendi quantitate, tum etiam medicamentorum, tam cathartici,

quam anodyni viribus pro annorum ratione imminutis; ita ut v. g. narcotici guttae duae infanti unius anni suffecerint.

Laudanum liquidum, quod in quotidiano, ut dictum, usu mihi erat, hanc ad normam simpliciorem praeparavi. Rec. Vini Hispanici libr. un. Opii drachm. duas, Croci unc. un. Pulv. Cinnamoni, et Caryophyllorum aa. drachm. un. infundantur simul in B. M. per duos vel tres dies, donec liquor debitam consistentiam adquirat: Colatum servetur pro usu. Hanc nostram praeparationem Laudano officinarum solido anteferendam virtutibus quidem non censeo, sed ob formam saltem commodiorem, et majorem dosis certitudinem eidem antepono; cum scilicet vino, aquae destillatae, aut liquori alii cuicumque instillari possit. Et profecto non hic mihi tempero, quin gratulabundus animadvertam, Deum omnipotentem *πάντων δωτῆρα ἐάων* non aliud remedium, quod vel pluribus malis debellandis par sit, vel eadem efficacius exstirpet, humano generi in miseriarum solamen concessisse, quam sunt opiata medicamenta, scilicet ab aliqua papaverum specie desumta. Et quamlibet sint nonnulli, qui credulis persuadere velint, omnem fere narcoticorum, opii praesertim ipsius, virtutem ab artificiosa ac debita, quam soli adhibent, praeparatione pendere: qui tamen, experientia judice, certaverit, et tam simplicem succum a natura oblatum, quam ejus praeparata cum diligenti observatione in usum frequenter revocaverit, nullum fere discrimen intercedere comperiet, et mirandos illos effectus, quos edit, nativae ipsius plantae bonitati atque excellentiae, non vero artificis polydaedali sollertiae deberi certo sciet. Quinimmo ita necessarium est in hominis periti manu organum, jam laudatum medicamentum, ut sine illo manca sit ac claudicet medicina; qui vero eodem instructus fuerit, majora praestabit, quam quis ab uno remedio facile speraverit. Rudis enim sit oportet, et parum compertam habeat hujus medicamenti vim, qui idem sopori conciliando, demulcendis doloribus, et diarrhoeae sistendae adplicare tantum novit, cum ad alia plurima, gladii instar Delphici, adcommodari possit, et praestantissimum sit remedium cardiacum, unicum pene dixerim, quod in rerum natura hactenus est repertum.

Hac methodo erant tractandae dysenteriae in genere. Observandum est autem, quod cum primo quae ingrediebantur anno, indolis magis subtilis, uti dictum, ac spirituosae essent, quam quae sequentibus annis infestabant, idcirco non ita prompte catharticis parebant medicamentis, atque illis, quae tam sanguinem diluebant contemperabantque, quam acres istos humores, qui ex eodem in fistulam intestinalem excernebantur. Quamobrem primo autumno, quo tormina sicca et dysenteriae invadebant, methodum sequentem constanter ad utrumque morbum abigendum adhibui, eventu ubique adstipulante; donec adpetente frigore eamdem, etiam anno eodem, minus efficacem esse sentirem, atque annis sequentibus, cum jam magis a subtilitate recederet morbus, prorsus inutilem.

Ita vero processi: si aeger aetate florens febricitaret, cubiti venam tundendam praecepi, atque elapsa hora una aut altera, eumdem ingesto affatim liquore diluendum, ut in cholera morbo factitaram; non vero, ut illic, jusculo e carnibus pullorum, aut lacte cerevisiato, ac lactis ipsius sero, quod eadem qua illic copia frigide propinandum, tepide vero inferius injiciendum curavi, nec saccharo adjecto, nec alia re quacumque. Tormina, et dejectiones sanguine permixtas, rejecto jam quarto enemate, evanescere animadvertebam. Hoc labore exantlato, et transmisso sero lactis omni (quod duarum triumve horarum spatio fiet, si diligenter operam navaverit aeger) lectulo protinus eum commisi, ubi brevi sponte sua in madorem solvebatur (a sero lactis sanguini immixto), quem ad horas 24 continuari, minime provocari, jubebam; nihil interim concedens praeter lac crudum paulo tepefactum, quo etiam utebatur solo ad dies tres vel quatuor, postquam e lecto surrexerat. Si vel ob lectuli, vel lactis usum nimis praemature intermissum recidivam pateretur aeger, eadem vestigia denuo repetenda erant. Haec methodus, si certa atque expedita fuerit, non ideo a viro quolibet prudente repudiabitur, quod fastoso remediorum adparatu non se venditet.

Hujusmodi febrem symptomatis, qualia supra descripsimus, stipatam in iis locis et temporibus reperiri, quibus dysenteria epidemia regnat, et metho-

dum hanc, quam delineavimus, eidem omnino deberi, testimonio viri probi, atque eruditi, Doctoris Butler amplius confirmabitur, qui nobilissimum D. D. Henricum Howard a S. Maj. Regia Britannica ad Marroccensem in Africa legatum comitabatur; quibus in regionibus, ut mihi ipsus retulit, observavit dysenteriam per ea tempora, uti semper, epidemie grassari, et febrem, quae cum illa jungebatur, omnino illi similem quam depinximus; quibus ille medebatur tam in urbe Tingitana, quam aliis locis, sive nostrates essent aegri, sive Mauri, dicta methodo felici semper exitu, quam quidem neuter alteri debemus, sed pari fortuna in eamdem dissitissimi incidimus. Profitebatur autem, optime istic sibi cessisse in illius morbi curatione methodum illam, qua liquoris diluvio submerguntur dysenteriae. Atque existimo ego, omnino par esse, ut in calidiori isto climate longe rarius successu careat haec methodus, quam in nostra Britannia.

Primo illo autumno, quo vigebat haec constitutio, Daniel Coxe M. D. vir ingenio et eruditione ornatissimus, dysenteria acutissima laborans, me quem consuluit suadente, ope methodi jam laudatae cito, tuto, et jucunde sanatus est; post tertium scilicet quartumve enema, dum lecto adsiderem, et tormina et dejectiones sanguineae evanuere; nec qualibet re alia, praeter lecti ad dictum spatium patientiam, et lacteam diaetam ad sanitatem redintegrandam opus habuit. Eodem plane modo et idem postea alios quamplurimos hoc malo adfectos restituit, exeunte eo autumno. Anno autem proximo, illum etiam idem molientem spes fefellit.

Jam olim diximus, quod saepenumero hic morbus si diutius excurrat, intestina seriatim omnia deorsum versus adficiat, donec omnis ejus vis in rectum decumbat cum adsidua desidendi cupiditate, qua nihil praeter mucosum quiddam et subcruentum excernitur. Hoc si fiat, frustra erit, me judice, qui medicari sataget vel quavis methodo praedicta, vel clysteribus abstergentibus, glutinantibus, atque adstringentibus, quae pro variis ulceris, quod supponitur, temporibus injici solent; vel etiam fotu, insessu, suffumigiis, ac suppositoriis dictos scopos respicientibus. Liquet enim, hoc ab ulcere recti non

procedere, sed ex illo potius, quod intestina, quibus gradibus vires resumserint, iisdem etiam materiae morbificae reliquias in rectum deturbaverint; quod quidem indesinenter proritatum singulis sedibus mucosam illam materiam, qua ex naturae providentia intestina duplicantur, elidit. Corroboranda est itaque pars adfecta, quo possit, aliorum intestinorum exemplo, jam fatiscentes mali reliquias funditus eliminare. Hoc autem ea sola praestabunt, quae corpori in genere vires adjicere apta nata sunt. Topicum enim, qualecumque id demum fuerit, parti dolenti applicatum, cum alienum quid sit, contractu molesto debilitatem magis adferet, quam robur subministrabit. Tolerandum itaque est aegro, donec diaeta analeptica et liquore aliquo cardiaco, qui palato adridet maxime, pro libitu ingesto, revocari possint vires; quibus redeuntibus, pari passu suaque sponte proripiet se hoc tenesmi symptoma.

Accidit etiam nonnumquam, licet raro admodum, ut dysenteria sub initio non rite curata, particulare subjectum ad annos aliquot discruciet, integra sanguinis massa crasin quasi dysentericam jam adepta; unde acres calidique humores intestinis continuo suppeditantur, aegro interim singula vitae munia mediocriter bene obeunte. Hujus specimen se mihi obtulit non ita pridem in muliere quadam meis aedibus vicina, quae per tres annos, hujus constitutionis postremos, hoc malo continenter exercebatur. Cum remedia quamplurima esset experta, antequam ad me accederet, venaesectionem tantum, missis praesidiis quibusque, celebrandam censui; quam ut saepius repeterem, longioribus tamen intervallis, tum sanguinis color, pleuriticorum sanguinis aemulus, tum insigne illud, quod post singulas vices magis ac magis auctum sentiebat levamen, mihi addebant animos; cujus ope tandem pristinam sanitatem consecuta est.

Antequam finiam, hoc est notandum, quod tametsi in his annis, quibus dysenteriae adeo epidemie grassarentur, evacuationes prius memoratae prorsus necessariae erant, antequam ad usum Laudani deventum fuisset; attamen in constitutione quavis huic morbo minus faventi istae tuto omitti possint, ac cu-

ratio compendiosiori via, solo nempe usu Laudani, absolvi eo quem descripsimus modo. Atque haec de dysenteria dicta sunto.

CAP. IV.

Febris continua partis anni 1669, *atque integrorum* 1670, 1671, 1672.

Eo ipso tempore, quo saeviebat dysenteria, et febris quaedam illi simillima, quae dysentericis accidere saepe solebat: una exorta est, quae quidem non eos tantum, quos jam sauciaverit dysenteria, sed ab illa prorsus immunes (nisi quod subinde, at raro, tormina haud quidem atrocia, nunc cum dejectionibus, nunc sine illis paterentur aegri), pariter incessit. Easdem enim ubique προφάσεις seu caussas manifestas et adparentes habuit, quas dysenteria; eadem etiam per omnia symptomata, quae dysentericorum febrem comitabantur, ita ut, si evacuationes per alvum dysenteria laborantium excipias, et quae ab istis necessario pendebant symptomata, dicta febris ejusdem prorsus naturae cum ipsis dysenteriis videretur: et deinceps per hujus constitutionis decursum omnem parem cum illis subiit symptomatum quorumlibet alterationem, eisdem scilicet differentiis, quoad augmentum, statum et declinationem adfecta, quibus adficiebantur in genere dysenteriae. Haec itaque febris dysenterica mihi audiebat.

Memorata febris nonnumquam, uti dictum, cum alvi torminibus, sed mitioribus, ingrediebatur (prioribus annis maxime, quibus invasit), vel ista ad eam post accedebant, saepius vero nulla erant. Sudores, qui in febre constitutionis praegressae copiosissimi erant, ut supra notavimus, in hac rari ac parci, sed capitis dolor in hac quam in illa specie immanior: linguae aegrorum, licet humidae atque albae, ut in altera specie, crassa insuper pellicula obliniebantur. Rarius haec per ptyalismum sibi fugam quaerebat, quod in alia non erat infrequens. Ad aphthas, cum jam discessum meditaretur, erat propensior, quam vel prior ista, vel alia quaevis

febris species, quam mihi hactenus contigit videre; huic etenim perquam familiare fuit (uti febri etiam illi, quae dysenteriis supervenit) cum jam fere desineret, materiam foedam atque acrem e sanguine in os atque gulam deponere, unde nascebatur dictum symptoma; in iis praesertim, quos contumacior morbus diutius maceraverat, et regimen justo calidius amplius infirmarat.

Eodem etiam morbo generabantur aphthae istae, quae dysenteriis pervicacioribus, cum febre conjunctis, nullo non die accidebant; praesertim si, praeter regimen calidius, evacuationes etiam per alvum medicamentis adstringentibus prius fuerint coërcitae, quam morbi fomes e venis phlebotomia et catharsi exigeretur.

Haec erant certissima hujusce febris *κριτήρια*; reliqua symptomata variabant quotannis, et pro manifestis aëris qualitatibus, certis quibusdam temporibus, et pro dysenteriae in genere progressu, tum etiam vario ejusdem statu. Sed ut haec clarius intelligantur, cum hoc praesertim artificio in epidemiorum productione triumphet natura, rem paulo altius repetam. Notandum est itaque, quod, licet aëris qualitates manifestae non eam vim cuilibet constitutioni imprimant, ut caussae sint epidemiorum, qui ad illam proprie referuntur, productivae (cum a recondita atque inexplicabili ejusdem conditione fluant isti), pro tempore tamen in eos habent potestatem, et proinde intromittuntur epidemii, aut etiam excluduntur, prout illis favent qualitates manifestae, vel adversantur; universalis autem constitutio eadem prorsus manet, sive eam promoverint istae, sive quadamtenus retardarint. Unde etiam est, quod, cum varii epidemii in eamdem incidant constitutionem, hic aut ille morbus particularis ea potissimum tempestate se exserat, ad quam sensibiles aëris qualitates eumdem destinaverint, atque alteri demum epidemio locum cedat, quem scilicet diversae subsequentis temporis qualitates advocaverint. Ex quo fit, ut febris stationaria, quaecumque demum illa sit, quae ad epidemium eo anno regnantem attinet, Julio mense potissimum saeviat, cujus initio plures hominum catervas simul adgreditur; autumno vero adpropinquante, magno illi epidemio, a quo annus in-

signitur, rursus invalescenti decedit, et parcius infestat, ut quilibet semper annus satis docet. Excalefacta enim a praegressa aestate hominum corpora febres, constitutioni generali propriae quae sunt, promptissime eo tempore invadunt; adpetente vero autumno, quo qui praedominatur epidemius fasces resumit, istis omnino recedendum est.

Sicuti vero nominatae febres sensibili aëris qualitati acceptum referre debent, quod jam hoc mense exoriantur; ita etiam symptomata varia, a sua natura, quatenus ab ejusmodi constitutione generali pendent, prorsus aliena, a manifestarum qualitatum, quae in illum incidunt mensem, peculio sumunt mutuo. Hinc est, quod quibus annis dictae febres hoc mense turmatim ingrediuntur, variis symptomatis novis stipantur, praeter illa, quae eis sunt propria, quatenus ab ejusmodi constitutione generali procreantur; eaedem tamen ipsae maneant, licet apud vulgus ob *φαινομένων* diversitatem novae quotannis febres audiant. Ad paucos vero tantum septimanas perseverant symptomata haec magis peculiaria, quibus elapsis propria solummodo symptomata, quae eis accidunt, quatenus febres sunt stationariae talis constitutionis, reperiuntur per reliquum annum.

Hoc tum in aliis liquebat febribus, tum magis peculiariter in dysentericis mensis Julii 71 et 72, in quarum priore vehemens aegritudo et bilis aeruginosa cum magna in diarrhoeam propensitate sub morbi finem continuo observabantur: in posteriore, doloris sensus in partibus corporis musculosis, artubus maxime, ad rheumaticorum fere dolores accedens. Faucium insuper inflammatio, mitior tamen quam in angina laborantibus. Utraque tamen haec in eadem febre specifica coibant, et eadem plane medendi ratione utraque profligabantur; differebant autem respectu tantum qualitatum sensibilium, quibus donabantur tempora illa, in quae incidebant. Improvisa vero subitaneaque harum febrium circa dicti mensis initium eruptio, et nova ad tempus aliquod peculiarium symptomatum facies (licet neque specie distarent, neque methodo medendi, quam postulabant, a febre illa, quae integrum percurrebat annum:) haec, inquam, plus satis evincunt, quam sit difficile certam febris speciem omni tempore e phaenomenis eli-

cere; licet eam satis recte possit dignoscere, qui ad alios morbos eodem anno ingruentes diligenter attenderit, et propria insuper febris symptomata, quae ad hunc vel illum evacuationis modum spectant, rite observaverit. Nec parum facit ad investigandam febris speciem consideratio sive methodi, sive medicamenti, a quibus eadem minimo cum negotio expugnatur.

Quod ad reliquas symptomatum, febres stationarias comitantium, differentias spectat, varia constitutionis tempora eae tantum respiciunt, atque eo nomine vel sunt intensiora, vel remissiora illa, prout intenduntur, vel etiam remittuntur symptomata aliorum epidemiorum, ad quos ipsa pertinent.

Sed ut ad rem revertamur. Febris haec, quae cum dysenteriis, ut supra dictum, est ingressa, parem cum iis passum tenuit; nisi quod se paululum subduceret, dum alii horum annorum epidemii praevalerent; persistebat tamen illa, nunc plures, nunc pauciores petens, durante hac constitutione.

Curatio.

Pro hujusce febris curatione; cum observassem, uti prius dictum, phaenomena febris dysentericorum quamplurium eadem plane esse cum illis, quae hujus anni febres solitarias comitabantur, consentaneum mihi videbatur sanatos iri aegros meos, si evacuationem illam quadamtenus imitarer, qua natura materiam illam corrosivam atque acrem, quae et ipsius dysenteriae, et supervenientis febris caussa continens est, solet ablegare. Ac proinde eadem ipsa methodo, tum quoad venaesectionem, tum repetitas purgationes febrem hanc adgressus sum, quam in dysenteriae curatione supra fusius deduximus, nisi quod paregorica purgationibus interjecta non tantum non hic juvare, sed et obesse deprehenderim (secus atque in dysenteria), cum ab his detineretur materia illa, quae catharsi eliminari debuerat. Pulticula avenacea, hordeacea, panatella, et similibus sub primis morbi diebus victitabat aeger; potus erat cerevisia tenuis parum tepefata. Post celebratam vero semel iterumve catharsin, nulla suadebat necessitas pullorum carnibus, aut similibus eupeptis aegro interdicere; cum haec per purgationem medicatio ea indul-

geat, quae non poterant concedi, si alii viae insisteretur. Tertia utplurimum purgatio, interposito semper die, morbum absolvit; neque tamen perpetuum id fuit, sed aliae insuper nonnumquam instituendae erant. Si febre jam pulsa, fractiores adhuc essent, ac magis effoetae aegri vires, atque is tardius convalesceret, (quod hystericis frequentissime accidebat,) Laudano in parva dosi exhibito easdem restaurare, et spiritus transfugos ac dissipatos in desertas stationes revocare conabar; raro autem remedium illud repetebam, neque umquam praescripsi, nisi biduo triduove a postrema catharsi. Nihil vero aeque ad renovandas vires, refocillandosque spiritus faciebat, atque aurae liberior usus, mox ut febris recesserit.

Ansam autem ad praxin hanc instituendam hinc primum adripui; quod nempe, nascente ferme constitutione hac, (dum irrequieto sollicitoque animo novae hujus febris naturam volutarem,) ad juvenculam, mihi vicinam, advocabar, febricitantem quidem illam, atque acerbissimo sincipitis dolore fere enectam, aliisque symptomatis, quibus febrem dysentericam onerari jam diximus: haec, cum a me interrogaretur, et de modo, quo febris primum invadebat, et de ejusdem duratione, fassa est se a dysenteria, quae tum ubique fere grassabatur, a quatuordecim retro diebus fuisse liberatam; cui sive sua sponte discedenti, sive medicamenti ope depulsae, protinus successit dicta febris cum dolore capitis. Quibus ego me rectissime occurrere posse conjectabam, si dysenteriae loco aliam evacuationem substituerem, ejus simillimam, qua praeclusa febris oborta est; ac proinde methodo supra laudata eamdem restitui. Atque huic quidem se promptissime dedebant hujus constitutionis febres. Semper enim rebar, non sufficere ad comprobandam in acutis medendi rationem, ut feliciter ea cederet, (cum ab imperitissimarum mulierculorum temeritate sanentur nonnulli,) sed requiri adhuc, ut morbus, nullo negotio victus, quasi suopte genio cedat atque abitum adfectet, quantum ejus fert natura. Sed haec obiter.

Ineunte Junio 1672 vir nobilissimus, ac prudentissimus dominus comes Salisburiensis hac febre laborans cum torminibus, alvo tamen non soluta, ac-

cersiri me jussit, et methodo proposita sanitati redditus est. Neque alia mihi ulla fuit opus, dum haec staret febris.

In adolescentibus, aliquando et in paulo provectioribus, febris haec caput nonnumquam petebat, unde delirabant, non quidem ut in aliis febribus phreneticorum more, sed quasi stupore, ad carum proxime accedente, perculsi. Hoc illis prae ceteris accidebat, qui sub morbi principio in sudoribus quoquo modo extorquendis operam inauspicato collocarant. Non id mihi contingebat felicitatis, ut his sublevandis par tunc temporis essem, licet nullum non moverem lapidem, nullumque non e remediis hactenus notis in suppetias advocarem. Atque haec de febre hujus constitutionis possunt sufficere.

CAPUT V.

Morbilli anni 1670.

Sub initio Januarii 1670 (ita ut solent praemature) morbilli sunt ingressi, atque indies magis invalescebant, donec instante verno aequinoctio ἀκμὴν adepti, exinde iisdem gradibus imminuti, tandem Julio sequenti penitus exstinguerentur. Horum jam ego historiam (cum omnium, quos hactenus vidi, in suo genere perfectissimi illi mihi videantur,) certam atque exquisitam, quatenus mihi tum observare licuit, literis consignabo.

Ortum habet hic morbus, atque occasum temporibus supra notatis. Infantes plerumque adgreditur, omnesque adeo ex illis iisdem moeniis conclusos. A rigore atque horrore, calorisque et frigoris, quae se mutuo primo die expellunt, inaequalitate tragoediam ordiar; tandem effulgente secundo die in febrem consummatam desinit, vehementi aegritudine, siti, inadpetentia, lingua alba (non vero sicca), tussicula, capitis atque oculorum gravedine, et somnolentia perpetua stipatam. Plerumque etiam e naribus atque oculis stillat humor; atque hujusmodi lacrymarum in oculos effusio certissimum est signum morbillorum ingruentium. Cui et hoc addendum haud minus cer-

tum, quod etsi in faciei, exanthematum specie, hic adfectus utplurimum se prodit, in pectore tamen non tam exanthemata, quam maculae latae et rubrae, superficiem cutis non superantes, conspiciuntur; sternutat aeger tamquam a suscepto frigore; intumescunt palpebrae (paulo scilicet ante eruptionem), vomit, saepius tamen laborat diarrhoea cum dejectionibus coloris subviridis; dentientibus autem maxime id convenit. Infantes etiam per hunc morbum solito sunt morosiores. Ingravescunt ut plurimum symptomata ad quartum usque diem, quo tempore plerumque (licet ad diem quintum aliquando differantur) circa frontem et reliquam faciem maculae parvae rubrae, pulicum morsibus persimiles, prodire incipiunt: quae tam numero quam magnitudine auctae racematim coalescunt, et faciem maculis rubris majusculis variae figurae interstinguunt. Quae quidem maculae rubrae, e parvulis quibusdam papulis rubris haud longe ab invicem dissitis, supra cutis superficiem paulum elevatis, conflantur, quarum protuberantia digito leviter admoto tactu potest deprehendi, licet oculorum longius remotorum aciem fere effugiat. A facie, quam primo solam occupant, sensim ad pectus ventremque, crura deinde ac tibias se diffundunt hae maculae: licet truncum atque artus rubore inficiant tantum, nulla eminentia sensibili cutis aequabilitatem transgressae.

Eruptione morbillorum non perinde deliniuntur symptomata, atque variolarum; vomitum tamen post eruptionem numquam observavi. Tussicula nihilominus febrisque intenduntur, cum spirandi difficultate, oculorum debilitate, defluxioneque in eosdem decumbente, somnolentia perpetua, atque inadpetentia, uti prius adhuc perseverantibus. Die sexto aut circiter frons et facies asperescunt, emorientibus pustulis, ruptaque cuticula, et per id temporis maculae per reliquum corpus et latissimae sunt, et maxime rubescunt. Octavo circiter die maculae in facie evanescunt, et vix in reliquo corpore cernuntur. Nono vero nullae sunt prorsus, facie atque artubus, quandoque et toto corpore quasi farina conspersis, particulis scilicet disruptae cuticulae paulum elevatis et vix cohaerentibus, quae, morbo jam abituriente, in frusta distrahitur, et postea a toto

corpore squamularum forma decidit. Evanescunt itaque morbilli die fere octavo, quo tempore vulgus (a spatio, quo perdurare solent variolae, deceptum) eosdem introverti adfirmat, licet revera illi cursum a natura destinatum absolverint; et symptomata, quae iisdem recedentibus superveniunt, ex eo nata autumat, quod justo citius se intro morbilli receperint. Observare enim est, febrem atque spirandi difficultatem tunc temporis augeri, importunius urgere tussiculam, ita ut nec interdiu, nec etiam noctu fere somnus possit obrepere. Infantes praesertim sub regimine calidiori, aut qui calidioribus usi sunt medicamentis ad promovendam morbillorum eruptionem, huic malo sunt obnoxii, quod morbillis jam facessentibus se ostendit; unde in peripneumoniam conjiciuntur, quae plures jugulat, quam aut variolae ipsae, aut symptoma quodcumque ad eum spectans morbum, licet omni prorsus periculo vacent morbilli, si modo perite tractentur. His etiam non raro accidit diarrhoea, quae vel morbum statim excipit, vel etiam ad plures septimanas excurrit post morbi omniumque ejus symptomatum fugam, haud sine magno aegri discrimine, in quo abhinc orta spirituum profusione continua versatur. Aliquando etiam post regimen intense calidum exanthemata livescunt primo, mox nigrescunt; id vero adultis tantum contingit, de quibus conclamatum est, ubi primum nigredo ista conspicitur, nisi phlebotomia et temperatioris regiminis refrigerio iis actutum subveniatur.

Curatio.

Morbillis ut natura, ita et medendi, quam sibi poscit hic morbus, ratione cum variolis satis convenit: medicamenta et regimen calidiora periculi plenissima sunt, utut frequenter in usum revocentur ab ignaris aegrorum curatricibus eo animo, ut morbus a corde procul submoveatur. Feliciter prae aliis mihi cessit methodus illa, qua aeger ad dies binos solum, ternosve ab eruptione lecto adstringebatur, quo sanguis leniter pro morbi genio particulas inflammatas facile separabiles, a quibus offendebatur, per cutis spiracula difflaret, nec lodicibus, nec igne praeter modum, quem sanus tenebat, adjectis. A carnibus quibuscumque arcebam, juscula avenacea,

hordeacea, et similia: nonnumquam et pomum coctum concedebam. Potus vel erat cerevisia tenuis, vel lac cum aquae triplo coctum. Tussim, quae huic morbo fere adsidua est, decocto aliquo pectorali subinde hausto delinitam volui, uti etiam eclegmate aliquo eumdem scopum attingente. At prae reliquis diacodium omni nocte ab ipso morbi insultu per totum ejus decursum exhibendum curavi: ex. gr. Rec. Decoct. pectoral. libr. un. sem., Syr. Violar. et Capill. Veneris aa. unc. un. sem. M. F. Apozema: Capiat unc. tres vel IV., ter vel quater in die. Rec. Ol. Amygdal. dulc. unc. duas, Syr. Violar. et Capill. Ven. aa. unc. un., Sacchari cand. albi q. s. M. F. Eclegma, de quo saepius lambat, praecipue quando tussis urget. Rec. Aq. Cerasor. nigr. unc. tres, Syr. de Meconio unc. un. M. F. Haustus, sumendus sing. noctibus. Si vero infans fuerat aeger, minuenda erat tam pectoralium, quam narcotici dosis pro ratione scilicet aetatis.

Rarissime perit, qui hoc utitur regimine; nec praeter necessaria atque inevitabilia morbi symptomata novis insuper malis atteritur. Tussis prae reliquis fatigat; a qua tamen nihil est periculi, nisi morbo jam praetergresso, cumque adhuc per septimanam unam aut alteram persistat, aurae liberioris usu, ac remediis pectori dicatis haud difficulter fugatur; quinimmo sponte sua et paulatim decrescit, et tandem fatiscit.

Si autem aeger a cardiacorum, vel regiminis justo calidiorum usu post eorum discessum (quod valde est familiare) febre vehementi atque dyspnoea aliisque accidentibus, qualia peripneumonicos solent adfligere, in vitae discrimen adducatur, felicissimo semper eventu, vel tenerrimorum infantum venas in brachio secui, educta ea sanguinis quantitate, quam aetas viresque indicarent. Quandoque etiam urgente morbo phlebotomiam iterare haud sum veritus. Profecto haud paucos infantes, hoc statim symptomate enecandos, benedicente summo numine, misso sanguine morti eripui. Infantibus autem accidit illud post morbillorum recessum, quibus ita est exitiale, ut inter praecipuos Parcarum ministros jure habeatur, plures jugulans, quam vel ipsae variolae; nec dum mihi visus est, qui certa alia methodo eidem potue-

rit occurrere. Quin et diarrhoea, quam morbillos excipere diximus, venaesectione pariter sanatur; cum enim halitibus inflammati sanguinis in intestina ruentibus ortum suum debeat (quod etiam in pleuritide, peripneumonia aliisque, qui ab inflammatione creantur, morbis usu venit), a quibus illa ad excretionem stimulantur; sola venaesectio levamen adferet, a qua tum revelluntur acres isti humores, tum etiam sanguis ad debitam redigitur temperiem.

Neque est, cur quis miretur me in teneris infantibus venaesectionem instituendam suadere, cum sanguis, quantum ego hactenus potuerim observare, haud minus tuto ex eorum venis, quam ex adultorum extrahatur. Et profecto ita est illa necessaria, ut nec symptomati memorato, nec aliis quibusdam, quae infantibus accidere solent, omissa phlebotomia certo mederi valeamus. Exempli gratia, quo pacto puerorum dentientium convulsionibus, quae nono, decimoque mense superveniunt (cum gingivarum intumescentia doloreque, a quibus comprimuntur nervi atque irritantur, unde etiam paroxysmi isti nascuntur), sine venaesectione opem feremus? Quae sola in dicto adfectu specificis quibuscumque vel decantatissimis, quae hactenus innotuere, longe est anteferenda; quorum nonnulla adventitio calore nocent etiam, et dum occulta aliqua proprietate morbo adversari creduntur, manifesto calore eidem militant, atque aegrum ad plures deducunt. Praetereo in praesentiarum ingens illud solatium, quod adfert venaesectio infantum pertussi (quam nostrates vocant *Hooping Couhg*), in qua remedia quaelibet pectori dicata longo post se linquit intervallo.

Quod de horum symptomatum morbillis decedentibus supervenientium curatione jam diximus, nonnumquam etiam eisdem florentibus potest competere; si nimirum artificiali, si fas est dicere, atque adscitio calori ea debeantur. Hoc anno 1670 famulam Dominae Annae Barington hoc morbo laborantem, una cum febre, dyspnoea, maculisque purpureis corpus omne deturpantibus, aliisque symptomatis quamplurimis periculosissimis medicus invisebam; cum regimini et medicamentis, quae satis multa usurpaverat, calidioribus ista omnia tribuerem, sanguinem e brachio extrahendum curavi, et ptisanam pectoralem

atque refrigerantem saepe adsumendam praescripsi, quorum ope et regiminis simul temperatioris et maculae atque alia omnia symptomata pedetentim evanescebant.

Hicce morbus, mense Januario, ut dictum est, natus, ad aequinoctium usque vernum crescebat indies; a quo tempore, imminuta paulatim vi, sequenti Julio plane desiit; nec est reversus per omnes annos, quibus haec constitutio dominabatur, nisi quod insequenti vere nonnullibi, licet rarius, se ostenderet. De morbillis haec dicta sunto.

CAPUT VI.

Variolae anomalae annorum 1670, 1671, 1672.

Morbilli praedicti (quod jam supra innuimus), variolarum speciem ab illa, quam propagaverat constitutio praecedens, diversam introducebant, eodem fere cum illis tempore ingredientem, initio scilicet Januarii 1670; quae licet non usque adeo epidemia atque ipsi morbilli, eosdem tamen comitabatur per omne illud tempus, quo dominabantur; atque iis etiam fatiscentibus per residuos hujus constitutionis annos perseverabat. Dysenteriis nihilominus primas concedebat; sub auspiciis autumni iisdem faventis atque amicissimi grassantibus; hyeme vero, dysenteriis aliena tempestate pressis, denuo recrudescebat haec de qua agimus species. Atque hunc servabant ordinem per singulos hujus constitutionis annos, nisi quod postremo, quo illa vigebat, autumno, anno scilicet 1672 (languescente jam ista constitutione, et dysenterias jam exolescentes segnius promovente), variolae praeter solitum hoc quoque tempore grassabantur, atque ita pares dysenteriis concurrebant, ut haud facile esset dictu, quis morbus plures occuparet; licet quantum ego conjectando valui, praevalere dysenteria adhuc videretur. Quin hae etiam variolae ad exemplum epidemiorum aliorum quorumlibet primo statim insultu atrociores erant, atque indies increbrescebant, donec ad statum pervenissent, quem semel transgressae tum quoad symptomatum vehe-

mentiam, tum aegrorum numerum sensim imminuebantur.

Sed ut particularia earum phaenomena referamus: haud parum praeter opinionem mihi primum comparebat hoc variolarum genus, cum animadverterem, istud quam plurimis phaenomenis insignioribus ab eo differre, quod produxerat constitutio praecedens, et in quibus observandis me operam satis sedulam olim collocasse rebar. Haec tantum earum phaenomena, ab alterius generis phaenomenis dissidentia, in praesentiarum tractabo, praetermissis iis, quae cum variolis ita prolixe supra descriptis habebant communia.

Discretum variolarum genus his tantum a genere discreto communi alterius constitutionis disterminabatur: primo, quod cum in iis, quoties erant interstinctae, eruptio diem quartum praevertere non soleret, hic in tertium plerumque incidebat; quod confluentibus solemne quidem est. Deinde non ad eam magnitudinem procedente morbo hic adsurgebant pustulae atque in alio genere; magis autem exasperabantur in minori mole, et sub diebus ultimis, ubi jam maturuerant, nigrae frequentius visebantur. Illud etiam addam, quod nonnumquam, licet rarius, aegrum etiam paucissimis notatum pustulis ptyalismus haud secus atque in confluentibus exerceret. Ex quibus conficitur, distinctas hujus constitutionis variolas ad confluentium naturam propius accedere, atque inflammationis magis intensae esse participes, quam quae in distincto genere usu venire solet.

Confluentes vero ab aliis, quas per alios annos ego observaveram, confluentibus in multis, quae jam recensebo, discrepabant. Nunc secundo, nunc tertio die se primum monstrabant, specie tumoris subrubri atque uniformis, vultum omnem contegentis, erysipelate quidem densioris, nullo fere visibili pustularum discrimine; reliquum corpus congeries quaedam (ceu panni latiores) ex infinitis propemodum pustulis rubris efferatis in unam conflatae variegabant, inter quas sparsae, in femoribus praecipue, vesiculae quaedam satis conspicuae, ambustorum adinstar, sero limpidiore distentae eminebant; quod quidem disrupta subinde pellicula copiose effluebat, subjecta carne nigredine et sphacelo quasi adfecta. Rarius

autem occurrebat hoc tam dirum symptoma, idque primo tantum mense, quo haec species regnabat: quo tempore inter alios ita male multatos, ineunte Januario 1670 accersiri me curavit vir probus, nomine Collins, zythepsa in parochia S. Aegidii, cujus filius adhuc infans vesiculas habuit in femoribus juglandem nucem exaequantes, sero limpidiore repletas; quibus disruptis, substrata caro quasi mortificata omnino comparebat, atque non ita diu post aeger fatis concessit; quae et eorum omnium sors fuit, quos hoc tam funesto symptomate correptos vidi umquam. Die undecimo circiter, pellicula alba resplendens tumori subrubro, variis faciei partibus, et paulatim vultui omni, obducta est. Pellicula haec alba brevi post materiam quamdam crustosam splendescentem eructabat, colore quidem neque flavo, neque fusco (qui duo in aliis variolarum speciebus reperiuntur), sed rubro saturato, concretum sanguinem imitante; qui, maturescente pustula, ad nigrorem indies magis accedebat, donec tandem facies integra nigredine fuliginis omnino aemula tingeretur: cumque in alia variolarum confluentium specie dies undecimus in maximum vitae discrimen aegros adduceret, et plerisque emorientium supremus esset; in hac specie aeger, nisi regimine immoderate calido oppressus mortis refrigerium maturius praeoccupasset, decimum quartum ut plurimum diem, aliquando etiam decimum septimum exspectabat; quo demum elapso salva res erat. Notandum est tamen, quod qui lethalibus istis vesiculis ac mortificatione, quae nonnullis primo mense, quo haec species invadebat, accidisse memoravimus, Libitinae destinabantur, intra paucos dies ab eruptione interibant.

Et febris, symptomata alia omnia, quae vel praecedebant, vel comitabantur hoc variolarum genus, graviora erant, quam in praecedente, et inflammationis adhuc majoris manifesta dabant indicia. Aegri ad salivationem erant procliviores: pustulae et efferatiores, et longe mole minores; ita ut non facile, ubi primum adparebant, ab erysipelate quis eas discreverit, vel etiam a morbillis; nisi quod hi ex die eruptionis, et aliis signis in historia morbillorum supra recensitis certo innotescant. Pustulis

decidentibus furfures diutius haerebant, foedioraque stigmata inurebant cuti.

Operae pretium est et illud adjungere, quod durante hac omni constitutione, qua tam epidemie saeviebant dysenteriae, variolae, regimine justo calidiore provocatae, per dysenteriam nonnumquam viam sibi facerent, quod ne semel accidisse hactenus quidem animadverteram.

Observare autem convenit, variolas hasce non ita diris symptomatis per omnia sua tempora fuisse stipatas; postquam enim binos exegerant annos, tertio, scilicet 1672, mitescere coeperunt, et exuto nigro colore, paulatim ad flavum illum et favorum similem accedebant, qui variolis legitimis maturescentibus est proprius; ita ut postremo hujus constitutionis anno benignae plane essent et boni moris, habita generis ratione. Quo non obstante satis liquebat, illas ad aliam prorsus classem relegandas esse, ex pustularum nimirum exiguitate tam eximia, ad salivationem dispositione, atque aliis.

Curatio.

Quamlibet ob caussarum differentiae cujuslibet specificae, qua immergimur, ignorantiam impossibile fuerit rationem harum variolarum formalem comprehendere, quatenus ab illis, quas alia promit constitutio, contradistinguuntur: mihi tamen liquido constabat ex singulis phaenomenis, inflammationem in his, quam in illis, longe immaniorem fuisse, ac proinde omnem medendi rationem in eo stare, ut pluribus adhuc repagulis sisteretur effraenata sanguinis ebullitio. Id autem maxime efficiebatur (post hypnotica dicto modo exhibita) regimine temperato, indulgendo scilicet aegro usum liberaliorem liquoris alicujus, qui non eum excalefaceret, sed potius fervidissimum illum aestum (quo hic morbus, pustulis maxime ad maturitatem jam pervenientibus, miseros prae caeteris quibusque morbis fatigat atque exurit) illico commitigaret. Decoctum album dictum, ex pane sc. et C. C., exigua quantitate in multa aqua factum, et saccharo dulcoratum hic juvabat; at hydrogala e tribus aquae partibus et lactis una simul coctis, et aegri palato et votis magis utplurimum refrigerando respondit; nec eo tantum profecit ingesti

liquoris copia, quo insignem calorem, cum maturationis febre praecipue vigentem, restingueret, sed quatenus ptyalismum etiam promoveret, atque eumdem diutius protraheret, quam poterat fieri, si aeger nimio aestuaret calore. Praeter haec omnia saepenumero ita bene cessisse liquores hosce affatim haustos observavi, ut eorum usu variolae, quae cum pessimis confluentiae signis exibant, progrediente morbo distinctae sint factae; pustulae, quae maturescentes rubram primo, mox nigram materiam aliter evomuissent, flavissimae comparerent; pro efferatis insuper atque minutulis benignae atque optimi moris haberentur.

Neque etiam fluxus mensium, qui feminis hoc morbo laborantibus haud infrequens accidit, liberalem horum liquorum usum quidquam prohibet; immo vero et suadet, si nempe tempore non solito isti fluant. Etenim non jam alia de caussa periclitantur feminae, nisi quod sanguis ab immodico morbi calore plus justo attenuatus, qua data porta ruat, naturae ductus sequens; praesertim ubi noxia curatricum temeritas regimine calidiori et decocto C. C. cum floribus Calendulae etc. adhibitis, oleum igni adfuderit. Quidquid autem sanguinem potenter diluit contemperatque, licet non immediate, in quantum tamen ejusdem fluxum cohibet, tum pustulis, tum faciei manuumque tumori in statu conservandis necessario conferet; cum ex adverso remedia calidiora, licet ad hunc scopum rectius videantur collimare, cum tamen jugem hunc sanguinis fluxum promoveant, longissime aberrent. Quinimmo nec dubium mihi est, quamplurimas mulieres hoc errore periisse, dum sc. adsistentes, ne pustulae ob sanguinis fluxum concidérent, veriti, malo huic cardiacis medicamentis, et regimine adhuc calidiori adhibitis, occurrere niterentur, quo facto misellas certius pessumdederunt; quantumlibet adstringentia varia cardiacis admiscentes haemorrhagiam sistere, atque pustularum una tumorisque debitam elevationem tueri sategerint.

Haud ita pridem dominam tam virtutibus quam stirpe praenobilem variolis nigris et mali moris laborantem tractavi. Quamvis autem ab initio iis omnibus illi interdixeram, a quibus sanguis exagitari poterat; cum tamen temperamento esset admodum

sanguineo, viridi juventa vegetaque, fervida etiam anni tempestas accederet, derepente, tertio scilicet die ab eruptione, ita largo mensium profluvio, tempore illis non debito, correpta est, ut adstantes mulieres eam jam abortivisse suspicarentur. Licet hoc symptoma ad dies multos importune urgeret, non tamen idcirco existimavi lactis et aquae usum, a me praescriptorum, intermitti deberi: quid, quod magis jam necessarium illum esse, et liberalius adhuc indulgendum censuerim? quod etiam per omnem morbi decursum factitavimus, praesertim cum adpeteret febris maturationis. Quo quidem tempore medicus doctissimus candidissimusque, Dominus D. Millington, ejusdem mecum olim collegii socius, jam amicissimus, ad sociam operam invitabatur; qui cum omnia satis bene respondere pro hujus morbi genio animadverteret, mihi lubens adsensit, ut pergeret aegra dictos liquores affatim haurire, quos ipsa sibi gratissimos, et tam ad salivam facere, quam ad refrigerium et refectionem, saepe adfirmabat. Cum vero jam indurari facies coeperit, et crusta obduci, ab halitibus putridis a materia purulenta, quae in hoc pessimo variolarum genere male olebat, intromittendis aegrae nostrae metuentes, vini canarini semicocti cochlearia paucula, semel in die adsumenda, vel quoties in ventriculo aegritudinem aliquam persentisceret, concessimus. Pauculis hisce, nisi quod haustulum etiam paregoricum hora somni quotidie imperavimus, convaluit; neque delirio, neque alio quovis symptomate, praeter dictam haemorrhagiam, grave aliquod periculum minitante. Facies manusque satis intumescebant; pustulae, quantum tulit morbi species, satis magnae erant; salivatio copiosa et facilis ad metas usque; postremo, quantumlibet pustulae, quae faciem obsidebant, cum maturescerent, nigredinem adfectare viderentur, in plerisque tamen ejus partibus flavescebant.

Quibuscumque vero caloris atque inflammationis gradibus variolarum species, huic constitutioni peculiaris, alias aliarum constitutionum species superaverit, cum tamen discretae essent pustulae vel saltem paucae, docuit experientia, non opus esse tanta praedictorum liquorum quantitate ingerenda; satis autem fuit, ut aeger pro sitis modo atque imperio,

cerevisiam tenuem potaret, jusculis avenaceis, panatella, et pomo cocto subinde vesceretur; et si ex ephebis excesserat, paregoricum ex Syrupo de Meconio, cum vel aegrotaret, vel ob nimias vigilias delirare inciperet, adsumeret. Neque aliud quidquam tentabam (nisi quod aegros lecto addicerem), ubi pustulae rarae comparebant. Atque hac sola methodo carissimus mihi filius, WILLIAM SYDENHAM, distincto hujuscemodi variolarum genere laborans, mense Decembri 1670, favente numine, restitutus est.

De variolis hujus constitutionis nihil superaddam, cum jam aliam speciem fusius tractaverim, a quibus hae in eo tantum discrepant, quod naturae scilicet calidioris fuerint, et magis inflammatoriae; unde sequitur, diligentiorem adhuc operam fuisse navandam, ut restingueretur intensior ille calor, qui tam iis naturalis erat, et aegro ita certum minitabatur incendium.

CAPUT VII.

Colica biliosa annorum 1670, 1671, 1672.

Per omnes hujus constitutionis annos, cum sanguis ad humores cholericos, fervidosque, in viscera deponendos propensior esset, colica biliosa praeter solitum plures invasit; qui morbus licet chronicis adnumerari debeat, ac proinde extra oleas mihi sit, cum tamen ab eadem sanguinis indispositione penderet hoc tempore, a qua et epidemii plerique, qui tum grassabantur, vel eo nomine hic mihi veniet tractandus; praecipue vero, quia animadverti, morbum huncce eadem plane praecessisse symptomata febrilia, quae dysenteriam per illa tempora regnantem praecedere solebant; atque eumdem etiam aliquando (quod supra notavi) dysenteriam, quae post diuturnos cruciatus aegro tandem valedixisse videretur, fuisse insecutum. Ubi vero dysenteriam diutinam non excipiebat, plerumque a febre ordiebatur, quae per horas aliquot tantum adfligens in hunc morbum solebat desinere. Juvenes utplurimum temperamento calido ac bilioso praeditos, aestate praesertim, adoritur.

Intestinorum dolor atrocissimus est, et prae ceteris omnibus, quibuscum mortalium calamitosissimi committuntur, maxime intolerabilis. Intestina nonnumquam quasi injecta fascia constringit, nunc in punctum contractus quasi terebello perforat: subinde remittitur dolor, mox recrudescit paroxysmus, quem aeger praesentiens, vultu miserabili atque ejulatu ceu praesentem exhorret et aversatur. Sed initio hujus morbi non ita certo ad unum aliquod punctum determinatur dolor atque in ejusdem progressu; neque tam crebra est vomituritio, neque alvus ita pertinaciter catharticorum vim eludit; quo autem magis augetur dolor, eo obstinatius in puncto figitur, vomituritio succedit frequentior, et major alvi adstrictio, donec tandem ab ineluctabili horum symptomatum vi totalis peristaltici intestinorum motus inversio (nisi maturius quis tulerit suppetias) atque iliaca passio procurantur; in quo morbo cathartica medicamenta omnia in emetica statim transeunt: enemata etiam injecta una cum alvi fecibus per omnem intestinorum ductum sursum lata vomitu ejiciuntur. Quae hoc modo excernitur materia, sincera si fuerit atque ἀμιγὴς, viridis aliquando, aliquando etiam flava aut insoliti cujusdam coloris spectatur.

Cum singula hujus adfectus phaenomena eum ab acri aliquo sive humore, sive halitu e massa sanguinea in intestina excusso nasci aperte doceant; indicatio curativa primaria mihi haec est, ut scilicet evacuetur dictus humor, tam antecedens in venis, quam continens in visceribus conclusus: altera vero ab hac, ut anodynorum usu et compescatur humorum eo tendentium impetus, et mitigetur immitissimus dolor.

Curatio.

Sanguinem itaque e brachii venis paulo liberalius educi (si nempe id fuerit hactenus intentatum) et post horas 3 vel 4 anodynum exhiberi curo. Postero die catharticum aliquod lenitivum praescribo, interposito die uno repetendum, ad tertiam etiam nonnumquam vicem, prout humoris reliquiae plures mihi videntur aut pauciores. Observandum est autem, quod si malum hoc sive fructibus horariis nimis avide ingestis, sive alii cibo cuicumque δυσπέπτῳ originem suam debeat, unde scilicet succi pravi corrupti-

que primum in sanguinem transmittebantur, atque ex eodem postliminio in viscera; rebus, inquam, sic stantibus, ventriculus ante omnia eluendus est lacte cerevisiato affatim hausto et per vomitum rejecto; quo exantlato, anodynum propinandum est: sequenti autem die primum vena secanda, et in caeteris eo, quem jam docuimus, ordine procedendum.

At vero cum et doloris vehementia et vomituritio, ob quam intestina ad inversionem quasi feruntur, catharticorum operationi obsistant, intendendae sunt eorumdem vires, neque leo subere excipiendus; frustra enim mitius catharticum exhibueris, nisi forte aeger alvo sit facile solubili; quod diligenter inquirendum est. Cum enim hujusmodi medicamen viam sibi facere per intestinorum canales non valeat; aeger ab eo laeditur magis, dum scilicet ab ejusdem inefficaci agitatione et vomitus, et dolor augentur. Potio cathartica lenitiva ex infusione Tamarind., fol. Senn. et Rhei, in qua dissolvi possunt Manna et Syr. rosaceus, catharticis aliis anteferenda, cum humores minus exagitet et commoveat. Cum tamen sive ob aegri aversationem medicamenti formae liquidioris, sive vomituritionem in ventriculo retineri vix queat, pilulae necessario in subsidium vocandae: inter quas Cochiae mihi prae caeteris semper placuere, utpote certissimo pede quam coeperunt viam insistentes tum in hoc casu, tum in aliis plerisque. Ubi vero tanta est sive ventriculi debilitas, sive etiam vomituritio, ut nec pilulae possint detineri, ibi remedium primo anodynum impero, et paucis horis elapsis catharticum; eo temporis spatio interjecto, ut catharticum a narcotico tanto distet intervallo, ut ab eo non vincatur et pereat, eas autem in ventriculo moras trahat, quae ad virtutem purgativam eidem communicandam sufficiant, ut suam demum exserat operationem, cessante altero. Licet catharticum, modo id possit fieri, diu post anodynum rectissime propinatur, cum etiam ad horas duodecim ab hoc adsumto alvus isti aegrius respondeat, atque non nisi operosius solvatur.

Cum autem hic, uti in aliis plerisque morbis, in quibus indicantur narcotica, catharticum semper dolorem intendat (saltem finita jam operatione, qua quidem vigente mitius nonnumquam cum aegro agitur), idcirco solemne mihi est anodynum ingerere,

ubi primum exspiravit cathartici *ἐνέργεια*. Quale quidem mane etiam et sero quotidie hauriendum impero, spatio scilicet omni inter purgationes medio, quo certius dolorem consopiam, donec catharsis debite fuerit celebrata.

Peracta catharsi, humorum *ὀργασμὸν* compescere (quod jam solum restat agendum) anodyno mane et vesperi jugiter exhibito contendo; quod etiam saepius aliquando est repetendum; nec umquam mihi contigit, dolores vehementiores sedare posse, nisi dosi largiori et reiterata; quae enim alteri malo debellando par esset, ab hoc vincitur, violentia doloris remedii vires frangente. Tutissime autem repetuntur narcotica urgente hujusmodi dolore, non item ubi ille desierit. Quam ob rem doloris indicium secutus, narcoticum repeto, donec vel cessaverit ille, vel admodum fuerit mitigatus; eo nihilominus interjecto temporis spatio, ut compertum mihi sit, quid a dosi praecedente sperari debeat, antequam alteram superaddam. Plerumque vero, nisi ubi summe viget dolor, paregoricum mane et sero exhibitum sufficiet. Anodynum mihi familiare Laudanum istud liquidum, supra descriptum, est, cujus guttae xvj. in aqua cardiaca stillatitia solvuntur; vel augetur dosis pro doloris magnitudine.

Simplicissima haec methodus, qua primum humor peccans venaesectione et purgatione evacuatur, deinde narcoticorum ope conciliatur quies, semper mihi felicissime cessit prae aliis, quae mihi hactenus innotuere, omnibus: cum enemata carminantia, eo fine injecta, ut humores acres exterminent, crabrones irritent tantum, et concitato humorum tumultu diuturniorem reddant morbum. Hic autem inprimis animadverti volo, quod licet tam phlebotomiam quam catharsin huic sedandi methodo necessario esse praemittendam adfirmavero, nonnumquam tamen, re ita postulante, ea utraque omissa a paregoricis ordienda tela est. Exempli gratia, ubi ob praegressam aegritudinem aliquam evacuationes copiosiores non ita diu ante colicae adventum institutae fuerint; (non raro enim ob viscerum debilitatem, maxime si accedat major caloris gradus a vino vel spirituoso liquore alio, immodice hausto, qui nuper ab alio convaluere morbo in hunc praecipitantur) hoc, inquam, in casu

non modo non necessarium, sed et noxium esse censeo, alia insuper adjiciendo cathartica novos excitare tumultus, atque omnia denuo perturbare. Illud jam taceo, quod in hoc adfectu aeger utplurimum, prius quam consulatur medicus, repetito enematum usu intestina satis proluit; ita ut partim hac de caussa, partim ob diuturniorem morbi moram, narcotica fere sola in usum videantur revocanda.

Mense Augusto 1671 nobilissimus Dominus Baro Annesly, colica biliosa laborans cum cruciatu intolerabili et frequenti vomituritione, jam ab aliquot diebus ad castellum de Belvoir accersiri me jussit; nullum non enematum genus atque alia insuper remedia, a medicis doctissimis experientissimisque, eo locorum degentibus praescripta, jam tentaverat. Ego nullis usus ambagibus, repetitum narcoticorum usum ad normam jam traditam suasi, quorum ope propediem convaluit, et mecum ad urbem sanus rediit.

Quandoquidem autem dolor hic prae caeteris quibusque ex sua natura recidivus sit, omnis ei revertendi ansa, anodyno bis quotidie ad aliquot dies exhibito, praescindenda est. Quod si, quoties intermittitur narcoticum, dolor subinde recrudescat (ut nonnumquam fit), nihil a me hactenus excogitari potuit, quod ad persanandum aegrum ita certo faceret atque equitatio, vel in curru vectio, quo longiora itinera confici debuere; anodyno interim mane et sero indesinenter propinato. Hujusmodi enim exercitiis materia morbum committens in corporis habitum deducitur, et sanguis, perpetua agitatione comminutus, de novo quasi depuratur; ipsaque demum intestina caloris nativi excitatione haud parum corroborantur ac refocillantur. Nec pudet fateri, me dicto exercitio in partes adscito morbum hunc, cui alio quovis modo devincendo par non fui, plus semel penitus expulisse. Neque vero illud tentandum est, nisi post evacuationes debitas sufficienter celebratas, neque ab eo nisi post dies aliquam multos desistendum.

Pauper quidam mihi vicinus, qui et adhuc est superstes, colica biliosa vehementissima per hos annos laboravit, quam catharticis, clysteribus, globulisque plumbeis devoratis expugnare diu, sed frustra, erat conatus. Hic ego ad frequentem narcoticorum usum confugi, neque poenitenda opera; quamdiu

enim ista repeterentur, satis recte habuit; sed cum his palliaretur tantum malum, non exstirparetur (revertebatur enim, ut primum erat exhausta narcoticorum vis), ego hominis misertus, et gravi morbo, et re angusta adflictissimi, equum ex meis commodabam, quo iter dicto jam modo peragendum adgrederetur, eoque ad dies pauculos continuato, viscera eas vires recepere, ut morbi reliquiis excutiendis paria jam essent, et sine anodynorum praesidio omnino convalesceret.

Et ut, quod res est, loquar, non in hoc tantum casu, sed in morbis aliis chronicis quam pluribus hoc exercitii genus numquam non cum uberrimo fructu usurpatum memini, modo quis in illo improbius perseveraret. Si enim nobiscum reputemus ventrem inferiorem, in quo disponuntur organa secretoria, hoc maxime exercitio vibrari, eaque succussationibus aliquot mille uno in die exagitari solere, facile credemus, eadem succum quemlibet recrementitium ibi impactum ope dicti exercitii posse excutere, et (quod majoris adhuc est momenti) validiori ista caloris nativi excitatione ita corroborari, ut munere, quod iis mandavit natura, in sanguine depurando recte defungantur.

Diaetam, si junior fuerit aeger et calidioris temperamenti, refrigerantem atque incrassantem impero, puta hordei cremorem, panatellam, etc. et tertio quoque die, si latret adhuc stomachus, pullum teneriorem, merulamve piscem coctum. Potum non alium concedo, quam cerevisiam tenuem mitemque, vel lac cum aqua coctum; neque ulterius quidquam indulgeo, nisi equitatio ad redintegrandum sanitatem necessaria pleniorem victum et generosiorem postulet liquorem, quibus rependantur spirituum exercitio exhauriendorum damna.

Quinimmo observatione constat, quod ubi hic morbus minus perite tractatus diutissime fatigaverit, ita ut viscera elanguescerent, atque aeger extrema jam macie atque debilitate, tantum non esset confectus, in hoc, inquam, casu liberalior sive aquae epidemiae, sive mirabilis, sive alius demum cujuscumque, qua sanus maxime delectabatur, usus hoc tempore eumdem ultra spem omnem juverit; hujus enim ope paucissimae ista caloris nativi spirituumque reli-

quiae excitabantur, et fermentum praeternaturale visceribus adhaerens, et novis paroxysmis fomitem subinde ministrans, a liquoribus magis spirituosis exstinguebatur.

Porro ut in morbi curatione, ita etiam et eodem jam depulso diaeta illa tenuis, de qua diximus, adhuc aliquamdiu est observanda. Cum enim morbus hic recidivam prae aliis omnibus adfectet, atque insuper sedem sibi delegerit praecipua coctionis instrumenta (viscera intelligo jam ab eodem infirmata), vel levissimus hujus generis error malum haud leve confestim adportabit. Quocirca tam in hoc, quam in caeteris omnibus viscerum adfectibus, cibi δύσπεπτοι cane pejus et angue sunt vitandi; et qui conceduntur εὔπεπτοι, ea tantum quantitate sumendi, quae ad vitam sustinendam possit sufficere.

Colica hysterica.

Feminarum nonnullas vexat adfectus hysterici species quaedam, colicam biliosam ita ad unguem referens, tam doloris acerbitate, quam situ: tum etiam humoribus coloris flavi viridisque vomitu rejectis, ut mihi obiter tractanda veniat, ne a quopiam pro jam dicto morbo haec habeatur.

Quae habitu corporis laxo crudoque sunt mulieres, cum hoc malo prae caeteris conflictantur, quaeque alio aliquo adfectu hysterico jam pridem laboravere, aut (quod saepenumero fieri solet) quae a partu difficili ac laborioso ob natum infantem grandiusculum, qui vires et naturam maternas nimis exhausit, vix evasere. Regionem ventriculi, nonnumquam et paulo inferiorem, dolor haud mitior quam in passione colica iliacave primum obsidet; quem vomitiones sequuntur enormes nunc viridis materiae, nunc vero flavae. His accedit (quod saepe observavi) major animi dejectio desperatioque, quam in morbo alio quocumque. Post diem unum alterumve facessit dolor, qui post paucas septimanas revertitur, nihilo lenius saeviens, quam antequam solveretur paroxysmus. Icterus quandoque satis spectabilem comitem sibi adsciscit, intra dies pauculos sponte evanescentem. Cessantibus jam symptomatis omnibus, ubi aegra sibi satis valere videatur, levissima animi commotio, sive ab ira, sive a dolore ea fuerit excitata

(quibus hoc in casu promptissime adficiuntur feminae), dolorem fere revocat; quod etiam de ambulatione, et de alio exercitio quolibet, praemature nimis suscepto, dicendum est; cum ab hujusmodi caussis eleventur vapores in habitu corporis laxo atque imbecilliori. Vapores cum vulgo dico, cum sive istiusmodi sint, sive convulsiones particularum partium, utrovis pariter modo solventur *φαινόμενα*. Hi vapores sive convulsiones hae, ubi hanc illamve corporis regionem invaserint, pariunt symptomata, ei, quam invasere, parti adcommoda; ac proinde licet unum atque eumdem ubique morbum faciant, plerosque tamen, quibus miseri cruciantur, affabre simulant; quod vel ex hoc liquet adfectu, qui cum partes colo adjacentes insederit, colicam biliosam ad amussim imitatur. Neque minus id patet in multis aliis corporis partibus, eodem morbo tactis; e. gr. nonnumquam renum alterum vehementissimo dolore adficit, unde vomitus immanis; atque etiam per ureteris ductum persaepe delatus calculum simulat, et cum ab enematis, aliisque medicamentis lithontripticis et calculo exturbando dicatis exasperatur, uno eodemque tenore diutissime adfligit, subinde etiam (praeter morem suum, cum per se omni vacet periculo) aegrum ad plures deducit. Vidi insuper et symptomata ab eodem prognata, quae vesicae calculum omnino referebant. Non ita diu est, a quo noctu excitabar, ut comitissae mihi vicinae dolore in vesicae regione admodum violento et urinae suppressione derepente correptae consulerem: cum ego illam adfectibus hystericis variis obnoxiam certo scirem, atque ex eo augurarer non isto eam, quem putabat, laborare morbo, enemata, quae parabat ancilla, injici non patiebar, ne ab iis cresceret morbus; at horum loco atque emollientium, v. gr. Syr. de Althaea, etc. quae adferebat pharmacopola, narcoticum exhibui, quod symptoma illud subito compescuit. Neque sane vel una aliqua pars corporis ab hujus mali iusultibus penitus eximitur, sive interna ea fuerit, sive externa, ut sunt fauces, coxae, crura, in quibus omnibus dolorem excitat intolerabilem, atque ubi discesserit, teneritudinem quamdam, quae tangi recuset, relinquit: perinde ac si carnes multo verbere fuerint emollitae.

Quemadmodum autem quaedam ad colicae hystericae historiam pertinentia obiter tradidi, ne scilicet illa pro biliosa falso haberetur; ita et quaedam etiam alia ἐν παροδῳ attingam, ad symptomatis doloris, qui eam comitatur, curationem facientia: curatio enim radicalis, quae morbum sublata caussa tollit, alterius omnino est et speculationis, et loci.

Venaesectio et repetitae purgationes, quae in colica biliosa incipiente apertissime indicantur, hic locum non habent, nisi in casu infra dicendo. Docet enim experientia, et exasperari dolorem, et invalescere symptomata alia omnia, a tumultu, quem ista cient, adjuta; atque adeo plus semel animadverti, enematum, vel lenissimorum, repetitionem continuam symptomatum seriem invexisse. Experientiae ratio etiam adstipulabitur, quae morbum hunc a spirituum potius ἀταξίᾳ atque inordinato motu, quam humorum vitio alio produci dictabit; si expendamus nempe circumstantias illas, quibus utplurimum originem suam debet: hujusmodi sunt, magnae atque indebitae sanguinis profusiones, motus animi uti etiam et corporis violentiores, et alia id genus. Quae omnia, remedia illa suadent proscribenda, a quibus major spirituum perturbatio possit excitari, atque eorum loco anodyna esse usurpanda, licet viridis ac pravus materiae vomitu rejectae color contrarium indicare videatur. Subtilior enim est atque minutior colorum speculatio, quam ut evacuationibus, quas ipso facto nocentes deprehendimus, auctoritatem conciliare valeat. Nullusque dubito, morbum hunc (qui licet acerbissimum dolorem, nullum tamen vitae discrimen adportat) ob errores hoc nomine commissos, lethalem saepenumero evadere. Adde quod, si quis emeticum vel fortissimum hodie propinaverit, ut scilicet eam, quam putat, morbi mineram exhauriat, aegra postero die materiam aeque viridem aut pravi alterius coloris, atque erat prior illa, evomet.

Observandum est tamen, eam quandoque sanguinis atque humorum copiam reperiri, quae narcotici operationi eo usque obsistat, ut, quamlibet saepissime repetatur, orgasmum tamen cohibere nequeat, nisi secta prius aegrae vena, aut alvo subducta; quod in feminis temperamenti magis sanguinei atque viraginibus mihi subiit notare. Si ita se res habeat,

vel phlebotomia, vel catharsi, forte etiam utraque, anodyno via aperienda est. Celebrata enim harum utravis, narcoticum, quod prius summa licet dosi exhibitum nihil quidquam profecit, jam etiam in mediocri dosi, effectum obtinebit, cui destinabatur. Raro autem hoc contingit, neque tum reiteranda sunt haec remedia. Quibus praemissis, ubi opus iis fuerit, in anodynis ea methodo, quam in colica biliosa proposuimus, exhibendis progrediendum est, quae crebrius parciusve sunt ingerenda pro doloris recedentis ratione. Quae quidem methodus praesens atque instans vehementissimi doloris symptoma tantum respicit; cum non hic loci illam, qua morbi caussae occurritur, tractandam in me receperim.

Cum vero hic morbus tam in hypochondriacis, quam hystericis (nam utrobique, ut alio loco dicetur, par est ratio) saepissime in ictero desinere soleat, atque iisdem passibus quibus hic ingreditur, iste proripiat; observandum occurrit, quod in hac icteri specie curanda cathartica omnia, vel omnino omittenda, vel si adhibenda fuerint, Rhabarbaro solum, vel leni quovis medicamento utendum. Etenim metuendum, ne a catharsi novi tumultus cieantur, ac proinde symptomata omnia postliminio recurrant. In hoc itaque casu nihil omnino agendum, cum icterus huic occasioni originem debens, sensim sponte sua facessat, ac tandem brevi temporis spatio penitus evanescat. Sin autem icterus longas moras nectat, atque non nisi aegre discedere videatur, ad remedia confugiendum. Hoc uti soleo, Rec. Rad. Rub. Tinctor. et Curcumae aa. unc. un. Chelidon. maj. cum toto, et summitat. Centaur. min. aa. M. j. coq. in aequalibus partibus Vini Rhenani et aquae font. ad libr. duas, Colatura dissolve Syrup. de quinque radicibus unc. duas M. F. Apozema; capiat libr. sem. calide, mane et sero usque dum convaluerit. At ubi icterus per se invadit, colica neutiquam praegressa, omnino oportet, ut praeter alterantia jam dicta etiam cholagoga, i. e. quae per alvum bilem subducunt, aegro exhibeantur, nempe semel vel bis, antequam adgrediatur usum praescripti apozematis, et postea semel singulis septimanis durante ejusdem usu: ut Rec. Electuar. e succo Rosar. drachm. duas, Rhabarb. subtiliss. pulv. drachm. sem. Cremor Tar-

tari scrup. un. cum s. q. Syr. Cichor. cum Rheo; F. Bolus. Sumat summo mane, superbibendo vini rhenani haustulum. At si vel his diu continuatis morbus adhuc obstiterit, ad aquas ferreas, quales sunt istae Tunbrigenses, adeundum, quae ex ipso fonte bibendae sunt, singulis matutinis, dum convaluerit.

Atque haec de morbis hujus constitutionis.

SECTIO QUINTA.

CAPUT I.

Constitutio epidemia partis anni 1673, *atque integrorum* 1674, 1675.

1673.

Circa initium mensis Julii 1673, alia quaedam febris species est ingressa, constitutione vero necdum ita ad eam unice disposita, ut penitus excluderentur constitutionis praecedentis morbi; non admodum fuit epidemia. Nondum enim desierat ista variolarum species, quae anno 1670 primum coepit invadere, licet jam et rarius occurreret, et mitiora essent symptomata: ita ut bini hi morbi pari fere passu procederent, neuter vero multum grassaretur: priori constitutione nondum ita prorsus evanescente, ut nullos proferret morbos veteris prosapiae (dysenteriae enim perpaucae adhuc reperiebantur), neque nova ita adhuc confirmata, ut eos produceret, qui alios exterminarent omnes.

Et per autumnum hunc et hyemem omnem variolae pari cum hac febre incedebant passu, neutro tamen morbo admodum grassante, atque interim tantum non exstinguebantur dysenteriae. Novembri autem tum currente, post acerrimum gelu ad dies aliquot perdurans succedente insperato tempestate calidiori, quam ego me per istud anni tempus umquam observasse memini, pauculae dysenteriae et paulo ante, et circiter festum Nativitatis Domini hic illic spargebantur. Hae autem extremum morientis lu-

cernae conatum referebant, mox enim morbus hicce (ista saltem ejus species) omnino intercidit.

1674.

Praemature admodum sequente anno, mense scilicet Januario, invadebant morbilli, haud minus epidemii atque erant isti, qui eodem ferme tempore anni 1670 fuerant ingressi. Etenim in nullam non fere familiam se insinuabant, infantes prae caeteris omnes adorti. Non autem perinde regulares erant, neque typum ita ad amussim servabant, atque isti, qui praedicto anno infestabant. De hac autem illorum ab invicem discrepantia plura dicam, ubi de illis agam particularius. Hi magis indies magisque grassabantur ad aequinoctium usque vernale, a quo tempore iisdem gradibus decrescebant, donec paulo post elapsum solstitium aestivum tandem evanescerent.

Sicut autem morbilli epidemii, qui invadebant initio anni 1670, variolas nigras ibidem descriptas introducebant, hi pariter haud minus epidemii, qui initio hujus anni comparebant, variolarum speciem introduxere isti persimilem. Cum enim (quod prius est notatum) variolae praecedentis constitutionis post priores annos duos pustulas emitterent, minus ac minus nigricantes, majores insuper sensim et majores, donec sub finem anni 1673 pro speciei ratione mites essent et benignae, jam recepta pristina feritate, et pessimis symptomatis stipatae revertebantur. Invaluit haec variolarum species autumno proximo, longius etiam in hyemem excurrens, quae, cum solitis calidior multo esset, morbo favebat; adpetente vero tempestate frigidiore imminuta est, febri jam grassanti mox locum cedens.

1675.

Febris haec, quae per annum perseverarat omnem, initio Julii 1675, longe lateque depopulata est; sed autumno jam adpropinquante in viscera coepit converti; nunc dysenteriae symptomatis, nunc diarrhoeae se prodens, licet quandoque neque hanc haberet comitem, neque illam, sed caput magis tentabat, stupidiores reddens aegros. Variolae interea, quae jam pauculos hinc inde adfecerant, sub aequi-

noctium autumnale penitus disparebant, vix unum alterumve jugulantes. Jam enim febris alios vincens epidemios anni praedominio potiebatur. Observandum est nihilominus, quod cum proclivior esset febris haec materiam morbificam in viscera deponere, quae dysenteriam quandoque, saepius autem diarrhoeam excitabat, ex hac occasione ventris tormina eam edidisse stragem vulgo putabantur, quae febri huic revera fuerat imputanda; licet nemo, qui aegrotos hoc autumno tractaverit, nescius sit, quantum invaluerit haec febris; ut nec etiam dysenteriam dictam et diarrhoeam pro symptomatis magis quam morbis essentialibus ac primariis haberi debuisse.

Hunc febris ista cursum tenuit per omnem autumnum, nunc caput petens, nunc viscera; ubique saeviens sub persona symptomatum iis partibus accidentium, ad finem usque Octobris: quo tempore quae eousque tepida, atque adinstar aestatis placida fuerat tempestas, derepente in frigidam humidamque est mutata; unde etiam catarrhi et tusses increbuere magis, quam alio ullo, quod memini, tempore. Quod autem maximi erat momenti, tussibus hisce supervenire solebat febris hujus constitutionis stationaria, quae, ansa hinc adrepta, et magis grassabatur, et quaedam etiam symptomata variabat. Cum enim paulo ante, insultus, ut jam dictum, in praefatas partes plerumque fieret, nunc in pulmones et pleuram prae caeteris detorquebatur, unde symptomata nascebantur peripneumonica et pleuritica: licet eadem omnino febris esset, quae Julio 1673 ingressa sine quavis symptomatum alteratione progrediebatur, donec catarrhi isti accederent.

Hi catarrhi et tusses usque ad exitum Novembris perseverabant, quo elapso derepente minuebantur. Febris autem eadem plane mansit, atque erat, antequam catarrhi se ostenderent; licet nec ita prorsus epidemia, neque iisdem symptomatis stipata, cum horum utrumque per accidens a catarrhis penderet. Quin etiam, recedentibus catarrhis, variolae hinc inde spargi coeperunt, ejusdem plane generis cum variolis anni praecedentis; sed cum jam secundum ferme annum explevissent, non ita atrocia erant symptomata, ac ubi primum invaderent. Quamdiu adhuc stabit haec constitutio, dicere non habeo; id certo

scio, illam perquam anomalam atque irregularem hactenus fuisse, atque morbos omnes per eam natos ejusdem omnino indolis.

De hujus constitutionis epidemiis eo, quo se invicem ordine excipiebant, jam agam.

CAPUT II.

Febris continua annorum 1673, 1674, 1675.

Haec, perinde atque alii epidemii, mox ab ingressu socia habebat symptomata; quae indicia haud obscura dabant, majorem et spirituosam magis tunc esse inflammationem, quam ubi morbus magis adoleverat. Etenim primo, quo invadebat, anno uti et vere insequente symptomata pleuritica febri superveniebant, et sanguis e venis extractus (saltem prima et secunda vice) pleuriticorum referebat sanguinem; at morbo jam provectiori cessabant ea signa inflammationis intensioris.

Praeter symptomata febribus universis communia, hanc febrem ista sequebantur. Utplurimum adficiebatur aeger dolore capitis et dorsi satis atroci stupore item, et dolore articulorum, artuumque tensivo, immo et totius corporis, at mitiori aliquanto, quam rheumatismo laborantes. Primis diebus calor et frigus sibi invicem succedebant; quandoque etiam ineunte morbo aeger in sudatiunculas erat propensior. Lingua, ubi febris suo genio erat permissa, nec sicca, nec a colore naturali multum recedens, nisi quod magis alberet, neque sitis multum urgebat. Quod si excalefieret aeger ultra ordinariam febris sortem, lingua aridissima erat cum flavedine subfusca; sitis etiam intendebatur, urinaque, quae aliter colorem fere naturalem servare solebat, intense rubebat.

Febris his tantum gravata symptomatis, si perite tractaretur, die decimo quarto aegro valedicebat; pertinacissima, primo post vicesimum.

Inter hujusce febris symptomata eminebat adfectus quidam comati haud dissimilis; quo correptus aeger obstupebat, delirabatque, immo ad septimanas aliquot dormitabat nonnumquam, nec nisi valido

clamore expergiscebatur, a quo aegre excitatus oculos aperiebat tantum, et post ingestum sive medicamentum, sive potum, cui adsueverat, mox in stuporem dilabebatur, ita quandoque profundum, ut in aphonia desineret absolutissima.

Qui sic fuerat adfectus aeger, ubi ad se rediit, die vicesimo octavo vel trigesimo coepit convalescere; cujus primum signum erat, quod cibi aut potus genus aliquod insuetum, aut absurdum deperiret. Convalescentis caput ad dies aliquot debile, atque infirmum, nunc versus hanc partem, nunc illam nutabat; aliaque aderant signa, quae caput plurima fuisse passum ostenderent. At quo passu vires restituebantur, eo ipso discessit dictum symptoma.

Quandoque non tam dormitabat aeger, quam tranquille delirabat, incongrua tamen subinde effutiens, ceu iratus, ac mente motus; at non eo excandescentiae et furoris adscendebat, quo solent ii, qui a variolis atque aliis febribus phrenitici fiunt; a quibus hic in eo etiam discriminabatur, quod per intervalla abrupte dormiebat, stertebat etiam profundius. Ad haec non ita erat acutum hoc symptoma atque illud, sed erat diuturnius. Pueris etiam hoc plerumque accidebat, aut iis, qui nondum adoleverunt, illud adultis maxime. In utrisque vero si ingererentur calidiora remedia et solicitarentur sudores, malum in caput facile transferebatur, et dictis symptomatis ansam praebebat.

Ubi vero symptoma hoc nec sponte sua decessit, nec medicamentorum vi coactum, morbus intra diem decimum quartum terminabatur utplurimum, nonnumquam etiam intra tertium quartumve, quod factum vidi.

Autumno 1675, ut supra innuimus, febris haec per dysenteriam sibi fugam quaerere, nonnumquam et per diarrhoeam adfectabat: harum posterior praecipue saepe excurrebat, stupore adhuc manente. Utraque vero, quantum diligenti observatione adsequi poteram, nihil erat aliud, quam febris symptoma.

Curatio.

Curationem hujus febris quod attinet; sub primum introitum, nempe Julio 1673, tum ex variis phaenomenis ab istis longe diversis, quae praece-

dentem comitabantur, tum ex eo quod catharticis minus pareret, quibus felicissime febres omnes constitutionis praegressae deviceram, statim didici, febrem hanc esse alterius plane familiae; et diutius, quam solebam alias, in ejus specie investiganda haerebam, et ex consequenti anxius dubitabam, quem mihi curationis scopum proponerem. Quo enim tempore primum erupit haec febris, nullum habuit alium epidemium sibi *σύγχρονον*, cujus perspecto genio de hujus natura verisimile aliquid conjectare possem; cum variolae, uti dixi, quae illam comitabantur, nigrarum istarum, quae anno 1670 invaserant, reliquias omnino referrent, jamque et mitissimae essent et tantum non exolerent. Nihil mihi itaque aliud jam restabat, nisi ut in hunc morbum nudum, et ab aliis sepositum, adcuratissimo examine inquirerem, atque oculo ad juvantia et laedentia quam diligenter maxime potui semper intento, viam pro virili exploratoris instar praetentarem. Atrox capitis dolor, propensioque quam habebat hic morbus ad dolores lateribus infigendos, tum etiam sanguis pleuriticorum similis, me statim edocebant, inflammationem haud mediocrem huic febri subesse, nec tamen eam posse ferre largiorem istam evacuationem, quae pleuritidi convenit: sanguis enim post primam, aut secundam saltem vicem detractus glutinis colorem, quo tegebatur superficies, protinus amisit; nec repetita adhuc venaesectione levabatur aeger, nisi forte morbus in pleuritidem veram transiret; quod nonnumquam accidebat post regimen justo calidius, praesertim primo vere, quo invadebat, scilicet anno 1674; quo tempore a solis accessu occasionem nactus (cum etiam nondum adolesceret morbus et principio magis spirituoso inniteretur quam postea) ad genus peripneumonicum videbatur accedere. Cum vero et experientia, et exemplo a repetita phlebotomia deterrerer, licet luce clarius esset, febrem hanc, praecipue sub primum ingressum, haud parum inflammatoriam fuisse, nihil jam restabat, quo ejus calor restingui posset praeter enemata saepius repetenda, et medicamenta refrigerantia. At praeter hos adfectus inflammationem aperte prodentes, illud stuporis phaenomenon, febri huic quam alii cuilibet familiarius, omnino indicabat, continuo repetenda

esse enemata, quibus materia febrilis, quae ita prompte caput petebat, ab eo diverteretur; quin et venaesectioni repetitae, quam aegre tulit propria hujus morbi natura, substituebantur illa, atque ejus pensabant defectum, sanguinis fervorem placide ac sensim contemperantia, et caussam eliminantia morbificam. Porro judicabam emplastra epispastica satis ampla, cervici posteriori adplicita, in hac febre potius ex usu fore quam in aliis, quibus materia febrilis haud ex aequo caput tentabat. Etenim a cruciatu et fervore vehementibus, quos dicta epispastica parti, cui imponuntur, solent imprimere, materia, quae secus in caput adscenderet, in locum adfectum corrivatur. His, et regimini ad eumdem refrigerandi sanguinis scopum facienti tandem morbus quasi naturaliter sponteque sua cedebat, quantumlibet saeviret, si methodo ab hac diversa eum quis adgrederetur; quod mihi ab experimentis plus satis frequentibus abunde liquebat.

Hunc itaque cursum institui: sanguinem e brachii venis mittendum ea quantitate, quae aegri viribus, aetati, aliisque circumstantiis convenire mihi visa est, ante omnia curabam; atque eodem fere tempore emplastrum epispasticum bene largum nuchae adplicandum. Die proximo clysterem lenitivum in tempore injiciendum praecepi, ut ante noctem sedari posset tumultus, qui ab eo inter operandum excitaretur, hora scilicet secunda tertiave post meridiem. Repetebatur enema illud singulis diebus, donec imminueretur morbi vis. Quo quidem tempore ab eo cessandum esse duxi, immo et maturius, si nempe febris diem quartum et decimum excessisset, jamque inveterasceret; quo in casu, licet ab enematis praecedentibus debellata non fuerit, eadem tamen post elapsos hos dies supervacanea esse comperi. Morbi enim acie per ebullitionem praegressam jam retusa, atque aegro ἔξω βέλους constituto, et a symptomatis violentioribus, quae ab eo pendebant, securo, nihil prius erat, quam ut morbum suo uti genio, et quasi sensim deflagrare, ac suis viribus ruere sineremus. Quod mihi semper cessit melius, quam evacuationem qualemcumque violentiorem hoc tempore moliri. Aegro interim carnibus interdixi, cerevisiam vero tenuem ad arbitrium concessi.

Restat et aliud, quod, quia multiplici experientia adstipulante aegris optime solebat vertere, in describendo hujusce morbi regimine mihi minime praetereundum fuit; nempe, ut aeger quotidie lecto abstineret, saltem ad horas aliquot; vel si id vetaret major ejus debilitas, vestes saltem indueret, et supra lectum cubaret, capite paulo elatiori. Etenim cum magnum illum impetum, quo febris in caput ferebatur, et inflammatoriam simul sanguinis diathesin contemplarer, subiit mihi in mentem, aegrum a corporis positura nonnihil emolumenti capere posse, si nempe ea talis fuerit, ut a circumambiente nullatenus augesceret calor (quod omnino fieri necesse est, si in lecto se jugiter contineat) neque sanguinis in capitis arcem tendentis impetus promoveretur; cum illinc cerebri fervor intendatur, proindeque spiritus animales calefiant, atque exagitentur; a quibus et vehementior cordis vibratio, et febris augmentum.

Quantumlibet autem aegris conducat in febribus omnibus, quae inflammationis intensioris sunt participes, ut non semper lecto incarcerentur, animadvertendum est tamen, eosdem, si diutius, quam par erat, pro una vice a lecto abfuerint, declinante praesertim morbo, in dolores vagos, qui in rheumatismo desinere possint, nonnumquam de facili incidere; nonnumquam etiam superficiem corporis ictero deturpari; quae si cui contingant, lecto addicendus est, quo, apertis cutis spiraculis, commode difflari possint istiusmodi particulae, quae malorum alterutri fomitem praebent; hoc vero ad diem unum aut alterum tantum, sudore non provocato. Hujusmodi autem accidentia oppido rara sunt, nec nisi in febris declinatione comparent umquam; quo tempore cum jam morbus mitior est, longe tutius aegro permittes, ut in lecto adsidue decumbat, quam vel initio, vel in statu; quinimmo per hoc tempus id magis confert ad materiam febrilem digerendam, quae, si aeger maturius lecto adfigatur, efferatur magis atque incenditur.

Hic si quis objecerit, dictam methodum, licet ad sanguinis impetum a capite amoliendum, reficiendumque aegrum satis commodam, minus tamen expedire, eo quod evacuationi per sudores, qua materia febrilis jam concocta eliminanda omnino erat,

officiat: respondeo, nihil agere contrasentientem, nisi prius argumentis confecerit, hujusmodi evacuationem omni febri deberi, quod haud ita in proclivi atque facile est. Docet enim experientia, non autem ratio, quaenam febrium species per diaphoresin, et quae per catharsin sit exterminanda, etc. Quinimmo est, cur arbitremur, dari quasdam febrium species, quas natura methodo sibi peculiari, sine visibili aliqua evacuatione ablegat, reducendo scilicet in sanguinis massam eique adsimilando materiam illam morbificam, quae cum eodem minus quadrabat. Qua ego nixus ratione, saepenumero tam in hac febrium specie, quam aliis, modo intermittentes non essent, mox a primo insultu, totoque sanguine nondum inquinato, easdem in ordinem redegi, imperato tantum cerevisiae tenuissimae, quoties ac quantum desiderarent, potu, esuque tam jusculorum, quam aliorum, cujuscumque generis sint, aegris interdicto; permissis interim et exercitii consueti usu, et aura liberiore, nullaque prorsus evacuatione vel semel instituta. Sane omnimoda solum hujusmodi per biduum triduumve abstinentia liberos meos, ac amicitia mihi conjunctissimos curavi. Verum hoc remedio non nisi in junioribus, ac temperamento sanguineo praeditis est utendum.

Quodsi demus, naturam non alia methodo, quam per diaphoresin morbum vincere posse, an non eos volumus sudores, qui morbo jam fatiscente prorumpunt et a praevia digestione fluunt; non vero istos, qui primis morbi diebus protrusi, ab interrupta furentis naturae oeconomia nascuntur? Hujusmodi, opinor, sudores non erunt promovendi, at compescendus potius tumultus ille, cui ortum suum debent. Istiusmodi autem sudores multas febrium species, licet non omnes, solent comitari. Neque enim sum nescius, quasdam febrium species ejus esse indolis, ut in παραχμῇ sudorem hunc criticum sibi postulent. Tales sunt particulares intermittentium paroxysmi; magna item et frequentissima natura febris ab illa pendens constitutione, quae ad intermittentes epidemie producendas unice facit. In his enim, si cui methodo insistatur, quae non eo tendit, ut materia morbifica digeratur primum, dein per sudores eliminetur, augebitur morbus. Quocirca nullae hic

evacuationes locum habere debent, nisi quatenus morbi impetum primis diebus, quibus adgreditur, sufflaminare valent, ne inter medentium operas aeger fato succumbat. Quin et febris pestilentialis caussa, cum tenuissima sit et perquam subtilis, vel primis morbi diebus sudoribus difflari potest, suffragante ubique experientia.

Istis autem in febribus, in quibus ordinario symptomatum ductu, et si suo genio uti permittantur, nusquam videmus naturam materiam morbificam, jam praeparatam, tempore praefinito evacuare, nescio an non plus satis temerarius is fuerit, qui sudore provocando vim morbo inferre cogitat, atque aegrum ea sola methodo restituere (cum, ut docet divinus senex, *τῆς φύσεως ἀντιπραττούσης κενεὰ πάντα*). Atque illud quidem usu venire autumno in febre hac particulari, de qua hic agimus, quam, multiplici experientia edoctus, satis scio sine sudoribus fugari posse; aegrum etiam, dum eosdem importunius solicitamus, saepenumero nulla cogente necessitate in manifestum vitae discrimen conjici, a materia morbifica in caput sursum lata. Attamen neque in hac febre, neque in alia qualibet, vel ex eis, quae sudore critico solvi non solent, si forte hujuscemodi sudor morbo jam imminuto sponte supervenerit, quem ex symptomatum omnium remissione debitae concoctionis sobolem esse arbitremur, medicorum prudentissimus quisque eum contemnet; ubi vero non ita sponte exit, qui certo scire possumus, an non hominem e medio tollamus, dum humores regimine et cardiacis calidioribus ad ejusmodi sudores disponere nitimur? Si quis forte in thesaurum inciderit, nisi desipiat, humo tollet; stultus autem sit oportet, qui hac fretus fortuna omnem adhibet operam, ut alium ejusmodi cum vitae periculo adipiscatur. Quo vero cumque modo haec se res habeat, mihi abunde constat, solam febrem calorem cum secum adferre, qui materiae febrili ad coctionem praeparandae possit sufficere, neque eo intensiorem a regimine fervido forinsecus accersendum.

Praefatam methodum per venaesectionem atque enemata in hujusce febris curatione quam felicissime succedere comperiebam; eam vero, quoties a diaphoreticis lacesseretur, non solum anomala malique

moris symptomata, sed etiam dubium semper exitum habuisse. Inter symptomata eminebat tacitum illud delirium, quod non tam insana loquacitate se prodebat, quam stupore coma aemulante, quod, uti diximus, huic febri frequens solebat accidere. Hoc symptoma, licet nonnumquam sponte sua ortum illud viderim, a nimia tamen curatricum diligentia, in provocandis sudoribus male posita, utplurimum invitabatur. Hoc enim pacto materia morbifica, quae in hac febris specie sudoribus morem gerere recusabat, vehementer exagitata in caput tandem elevabatur cum ingenti aegrorum discrimine.

Jampridem animadverti in curatione febris constitutionis alterius, quod per ultimos annos hujusmodi stupor pueros maxime, atque eos, qui ex ephebis vix excesserant, subinde invadebat, sed nec ita profundus, nec perinde epidemius, atque erat is, qui hanc febrem comitabatur. Neque tamen illum, licet huic inferiorem, multo minus hunc, ubi primum ingrederetur morbus, edomare potui; licet nullum non lapidem moverem, repetitis venaesectionibus, non in brachiis tantum, sed cervice etiam et pedibus, emplastris vesicatoriis, cucurbitulis, enematis, diaphoreticis omnis generis, etc. in partes adscitis. Tandem statui, post sanguinem e brachio eductum, epispasticum cervici adplicatum, atque enemata duo vel tria e lacte et saccharo injecta primis morbi diebus, nihil quidquam amplius moliri, nisi quod aegrum et a carnibus, et a liquoribus spirituosis quibuscumque arcerem. Ad naturae methodum interim attendebam, cujus ego vestigiis inhaerens symptoma hoc superare tandem discerem. Morbus interim, cui invigilabam, tuto, licet tarde recedens, tandem evanuit. Huic itaque methodo insistendum mihi esse duxi in febribus, quas deinceps tractavi, universis; quod quidem, si et symptomatis magnitudinem et eventum ubique votis respondentem spectamus, haud parvi momenti mihi videtur.

Et sane mihi nonnumquam subiit cogitare, nos in morbis depellendis haud satis lente festinare, tardius vero nobis esse procedendum, et plus naturae saepenumero committendum, quam mos hodie obtinuit. Errat enim, sed neque errore erudito, qui naturam artis adminiculo ubique indigere existimat.

Namque id si fieret, parcius humano generi ea prospexisset, quam postulat speciei conservatio; cum ne minima sit proportio inter morborum ingruentium frequentiam, et facultates, quibus pollent homines ad eosdem fugandos, vel iis seculis, quibus medendi ars maxime caput extulit, et a quampluribus exculta est. Aliis in morbis quid hoc profecerit nescio. Illud satis scio ex diligenti observatione mihi adstipulante, quod in febre, de qua jam agimus, dictum symptoma post usurpatas evacuationes generales, venaesectionem dico, et enemata, solo tempore feliciter solebat vinci.

Ante diximus, convalescentiae praenuncia signa utplurimum ad diem usque tricesimum differri solere (in stupore scilicet paulo confirmatiori), aegro nonnumquam etiam aphonia correpto: quibus elapsis, incongruum aliquod atque absurdum sive cibi, sive potus genus importune flagitabat, ventriculi fermento a morbo diuturniore impense vitiato. Hoc in casu, quandoquidem jam exhaustae corporis vires refectione omnino indigerent, lubens ea etiam concessi, quae minus aegro convenire viderentur, modo palato magis arriderent.

Mense Septembri 1674 filium novennem librarii cujusdam aedibus meis vicini, nomine Not, hac febre una cum symptomate jam saepe memorato laborantem, tractabam. Extracto e brachio sanguine, et clysteribus per primos aliquot morbi dies continuos injectis, importunissimae matri obstabam, quae rem ocyus expedire acriter urgebat, quam ego cum salute filii stare posse arbitrabar. Datis itaque induciis, nulloque medicamento alio propinato praeter julapium aliquod e vulgaribus, quod pacandae quidem matri potius destinabatur, quam filio restituendo, trigesimum circiter diem melius habere coepit; edulia varia etiam absurda misere discupiens, quorum pars aliqua concedebatur; licet nullo alio nomine concedi debuisset; atque ita tandem prorsus convaluit.

Quamvis autem stupor hic ad comatis accedens naturam, huic febri aliis symptomatis frequentius superveniebat, quandoque tamen, at rarius phrenesis absque stupore nonnullos invadebat, in qua aeger insomnes dies noctesque agebat, nulla ratione poterat

regi, aliaque patiebatur symptomata, iis similia, quae vel ab aliis febribus, vel a variolis in phrenesin actos infestabant. Inducias non tulit symptoma hoc, ut solebat adfectus comatosus jam memoratus, donec fieret digestio; aegrum vero intra paucos dies tollebat, nisi inflammatio cohiberetur. Atque hic mihi suppetias prae ceteris tulit vitrioli spiritus, quem, post venaesectionem atque enematis unius alteriusve injectionem, cerevisiae tenui instillatum pro potu ordinario concessi, qui intra dies paucos et somnum conciliabat, et sanitatem, superatis symptomatis, aegro reddebat: quod quidem nulla alia methodo efficere valebam. Atque hoc reiterata saepe experientia mihi abunde constabat.

Febri huic, autumni 1675, et dejectiones dysentericae superveniebant, quandoque et diarrhoea. Istas ego statim perspexi symptomaticas fuisse huic febri, non vero, ut in constitutione praecedenti, originales et primo ortas. Quo non obstante, cum morbi caussa in sanguinis massa clauderetur, venaesectionem ea indicabat; quae quidem, propinato etiam post narcotico ad duas vices, symptomati huic debellando par erat.

Septembri 1675 domina Conysby juxta equilia regia habitans me accersivit; laboraverat ea hac febre, ventris torminibus derepente jam correpta, quae deinceps excipiebant dejectiones sanguineae ac mucosae. Licet protritae jam ab aliquot diebus ob morbum diutinum vires essent, maxime vero a dejectionum frequentia, quae nocte praegressa multum fatigaverant, sanguinem tamen a brachio statim educendum curavi, et paulo post narcoticum exhibendum; quibus peractis, ea ipsa nocte dejectiones stercorosae conspiciebantur. Mane et vesperi sequentibus narcoticum repetebam praedictum, imperato etiam medicamento cardiaco moderatiori, quo spiritus refocillarentur: atque ab his statim convaluit.

Diarrhoeam quod attinet, quae eodem fere anni tempore huic febri haud raro accidebat, minus adhuc ista facessebat negotii; cumque ea neque aegro prodesset, neque etiam officeret, quantum mihi observare licuit (sive adesset stupor, sive etiam abesset), nullam ab illa indicationem curativam elicere valebam, modo intra eos staret limites, ut aeger ab ea

de vita non periclitaretur: quo in casu narcoticum sine dubio indicabatur, atque in eo solo probandus anodynorum usus per omnem morbi hujus decursum: ingens enim illa propensio, qua hac febre laborantes in stuporem ferebantur, ab his intendebatur, ac proinde nisi urgente necessitate in usum numquam erant revocanda.

Notandum est, haud raro accidere tam ab hac febre, quam febribus aliis convalescentibus, iis maxime, quos illae diutius maceraverant, nec nisi post longas magnasque evacuationes tandem demiserant (praesertim si invalidiori essent corporis habitu), ut noctu in lecto cubantes incalescerent primum, mox sudore diffluerent, a quibus vehementer infirmabantur, et vires tardius recipiebant, nonnulli etiam praecipitabantur in tabem. Cum symptoma hoc non aliunde nasci existimarem, quam a sanguine ob morbum contumaciorem eo usque depauperato debilitatoque, ut succos, quos recenter advectos nequiret adsimilare, per sudores ejicere moliretur; ita adfectis auctor semper fui, ut singulis auroris noctibusque cochlearia quinque vel sex vini Malacensis annosioris haurirent, cujus usu aegris vires crescebant jugiter, et evanescebant sudores. Atque haec de febre hujus constitutionis continua, quam, ob insignem stuporem, eam fere semper comitantem, lubet comatosam adpellare.

CAPUT III.

Morbilli anni 1674.

Oriente anno, mense scilicet Januario 1674 ingressa est morbillorum species quaedam ab ea diversa, quae eodem mense, anno 1670 invaserat, neque tamen minus epidemie saeviebant hi atque isti, sed non perinde erant regulares, neque ita constanter typum observabant. Nunc enim citius, nunc serius, erumpebant, cum in alia specie eruptio in diem ab invasione quartum semper incideret. Ad haec humeros, et caeteras trunci partes primum occupabant: cum isti alteri faciem primum peterent, et in reliquum cor-

pus paulatim spargerentur. Nec hac in specie observare licuit, nisi rarissime, eas cuticulae desquamationes adinstar farinae inspersae, quoties recederent morbilli; quae in alia specie haud minus certo conspiciebantur, quam post febris scarlatinae decessum conspici solent. Plures insuper e medio tollebant, quoties imperite tractarentur, quam priores illi. Febris enim et dyspnoea, quae morbillis abiturientibus solebant accidere, vehementiores erant, et peripneumoniam hic propius referebant, quam in altero genere. Quantumlibet autem fuerint anomali atque irregulares hi morbilli, quoad jam memorata symptomata, in praecipuis tamen satis iis competebat historia, quam de morbillis tradidi, cum morbos ann. 1670 epidemios describerem, quae idcirco in praesentiarum repetenda non erit. Hi, uti etiam priores isti, ad vernum usque aequinoctium invalescebant, a quo tempore decrescentes, adpetente solstitio aestivo, aut non diu post evanuere.

Curatio.

Curatio, cum nulla ferme re ab illa differat, quam in morbillorum historia jam fuse tradidi, exinde petenda est. Unicam tantum hic, pro meo more, instantiam adferam methodi, qua illas adgrediebar.

Februario 1674, domina virtutibus ornatissima, atque in exemplum nata, comitissa Sarisburiensis me accersivit: infantium unus tantum tum temporis aegrotabat, mox reliqui (5 autem vel 6 erant), quos omnes eadem methodo tractavi. Lectulo eos addixi, ad dies binos ternosve ante eruptionem, ut sanguis pro suo genio particulas facile separabiles morbum committentes, per cutis poros eliminaret. Neque autem vel stragulis, vel igni, quibus sani adsueverant, quidquid adjici patiebar; ab esu carnium arcebam, juscula avenacea, hordeacea, ac subinde pomum coctum concedens, cerevisiam tenuem insuper, vel lac cum aquae triplo coctum pro potu. Urgenteque pro more tussi, ptisanam pectoralem saepe adsumendam praescripsi. His peractis omnino convaluere brevi illo spatio, quod hic morbus solet percurrere; neque vel per ejus decursum, vel eodem fatiscente symptomate quovis morbo huic non familiari tentabantur.

Duobus primis mensibus, quibus haec morbillorum species se prodebat, intercurrebat et febris quaedam morbillosa hic illic sparsa, in qua ἐκθύματα nonnulla per truncum corporis, colli praesertim posteriora, atque humeros erumpebant, ecthymata morbillorum imitantia; a quibus in illo saltem disterminabantur, quod non universum corpus pariter occuparent, quas diximus partibus contenta: febris etiam (licet ejusdem plane generis) immanior erat, et ad dies 14, nonnumquam etiam plures, protrahebatur. Nec venaesectionem tulit haec febris, nec enemata, ab utrisque irrita; at methodo, quae morbillis superius dicata est, lubens concessit. Atque haec de morbillis fuerunt dicenda.

CAPUT IV.

Variolae anomalae ann. 1674, 1675.

Quemadmodum morbilli epidemii initio anni 1670 incursantes, variolas nigras ibidem delineatas introduxere, ita etiam hi, qui haud minus epidemie grassabantur initio anni 1674, variolarum speciem introducebant tam earum similem, ut eaedem istae revixisse omnino viderentur, non aliae subnasci: cum enim (ut jam diximus) in priore illa variolarum specie post elapsos priores annos duos, pustulae minus indies nigrae comparerent, et grandiores etiam pedetentim conspicerentur, donec exeunte anno 1672 morbus jam mitis habita generis ratione ac benignus esset; jam pristina ferocia, et infausto malorum symptomatum agmine stipatus denuo revertebatur. Etenim pustulae fuliginem nigredine aequabant, ubi nempe confluxerint, et aeger non prius exstingueretur, quam ad maturitatem istae pervenerint; immaturae enim fuscae tantum erant colore. Pustulae quin etiam perpusillae erant, si numerosae (paucae enim ubi fuerant tantum, haud erant minores, quam in aliis variolarum generibus, nigrae vero rarissime); verbo dicam, istas, quas anno 1670 descripsimus, satis referebant, licet non in omnibus cum iis quadrarent, distarent autem pauculis quibusdam,

quae quidem majorem sub his quam illis aliis putredinem latere, naturaeque eas esse magis crassae et inconcoctilis ostendebant. Maturae enim pejus olebant, ita ut eisdem graviter laborantes prae foetore vix quirem accedere. Tardius etiam periodum absolvebant haerebantque diutius, quam ulla species alia, quam mihi adhuc videre contigit.

Notatu interim est perdignum, quod quanto mitior est morbi species, tanto citius pustulae ad maturitatem, atque morbus ad finem perducitur. Ita in specie illa regulari variolarum confluentium, quae anno 1667 ingressa est, dies undecimus maximum adferebat vitae discrimen, quo semel elapso non amplius utplurimum aegro metuendum erat. In proxime sequenti specie anomala confluentium, quae initio anni 1670 coeperunt invadere, aeger die decimo quarto vel ad extremum decimo septimo maxime periclitabatur, quos si aeger superaverit, salvus omnino erat, nec quemquam post hunc diem ab hoc morbo interemptum hactenus observavi. At vero in hac specie confluentium aeger etiam post diem vicesimum contrucidabatur; nonnumquam et si convalesceret, quae paucorum sors erat, non tantum tibiae intumescebant (quod quidem in variolis confluentibus quibusque familiare est), sed brachia insuper, humeri, crura, partesque aliae; qui quidem tumores ab intolerabili dolore, rheumaticorum per omnia aemulo, tragoediam ordiebantur; postea haud raro suppurabantur, et in sinus ingentes et partium musculosarum apostemata desinebant, aegro in vitae periculo etiam ad multos dies a discessu variolarum adhuc versante. Adeo ut mihi luculenter constaret de gradibus, quibus hic se epidemius promoveret per tres hasce constitutiones, quarum posterior priorem semper exsuperavit tum quoad majorem putredinem, tum quoad morbi materiam minus coctilem.

Videntur autem mihi hae, quas jam tracto, variolae nova quaedam variolarum species e priore jam inveterascente suborta. Quamvis pro aëris diathesi cum producente epidemium, variolae nigrae, quae initio anni 1670 primum se ostendebant, ad παροξυσμὸν suam usque progrederentur, tamen ad instar recidivae alicujus morbi a materia pristina denuo fermentescente, aër rursus ad variolarum productionem

faciens, ex veteri penu easdem deprompsit; qui quidem morbus redintegratus, sumtisque de novo viribus reviviscere plane et quasi rejuvenescere videbatur. Tanto autem magis anomalae hae erant, tantoque magis intensam redolebant putrefactionem, quanto materia, e qua generabantur, ista crassior erat atque feculentior, ad quam praecedentes primum ortum referebant. Quod ut magis elucescat, existimandum omnino est, nullam ejusmodi diathesin in ipso aëre supponi debere, quae hunc hoc in loco epidemium propaget, alium vero longe diversum in alio non ita multum distante; hoc enim si fieret (fit autem subinde), quilibet ventorum motus constitutionem diffiare valeret; vero autem similius mihi videtur hunc vel illum particularem aëris tractum effluviis repleri a minerali aliqua fermentatione, quae aërem, per quem feruntur, particulis nunc huic animalium generi, nunc alteri exitialibus contaminantia, morbos variis terrae adfectibus adpropriatos eo usque propagant, donec exspiraverit subterranea illa halituum minera, quae pariter in novam denuo fermentationem agi possit, ex reliquiis nempe materiae exolescentis, uti in casu jam memorato. Mihi vero, qui non ultra quam res ipsa loquitur sapere audeo, perinde est, an haec, an alia aliqua hypothesis phaenomena rectius solvat. Id saltem pro comperto habeo, quas jam tractavi variolas, praecedentis constitutionis variolis fuisse simillimas, nisi quod et crassiorem naturam et putredinem longe intensiorem redolere viderentur. Quibus etiam de caussis duabus, ubi admodum confluerent, plures orco dabant, quam species alia quaelibet, quam mihi hactenus videre contigit; et, si quid meo judicio tribuendum sit, pestem ipsam pro numero scilicet aegrorum pernicie aequabant; licet, ubi discretae invaderent, haud certius intentarent periculum, quam alia quaevis species, et tam pustularum magnitudine, quam colore, aliisque circumstantiis boni se moris esse faterentur.

Curatio.

Curationem quod attinet, jam a multis annis miratus sum indicationes plane contrarias, quas hic mihi morbus subinnuere videbatur. Hinc enim luce

clarius fuit, a calidiori regimine symptomata, quae a nimia inflammatione pendent, statim produci, febrim scilicet, phrenesin, maculas purpureas, et similia, quibus hic morbus prae caeteris quibusque est obnoxius; inde vero regimen justo frigidius faciei manuumque intumescentiae, quae hic adprime est necessaria, officere, et pustulas flaccidiores reddere. Postquam haec diu multumque apud me satis anxie revolveram, intellexi tandem, utrique huic incommodo eodem simul tempore posse occurri. Usum enim aquae cum lacte coctae, cerevisiae tenuis, aut liquoris alterius similis liberaliorem concedendo, penes me erat internum sanguinis ὀργασμὸν fraenare; atque ex adverso aegrum in lectulo jugiter detinendo, ne brachio quidem exserto, blando ejus calore pustularum elevationem et faciei manuumque intumescentiam valebam promovere. Neque haec secum methodus pugnare videtur; sanguis enim, eruptione jam finita, particulas inflammatas in corporis habitum eructasse putandus est, neque jam stimulis ad ulteriorem materiae secretionem indigere, ita ut, cum jam in habitu corporis maturandisque abscessulis rei cardo versetur, id tantum sit agendum sanguinis nomine, ut scilicet sanguis ab halitibus calidis, a carne pustulis obsessa retro agendis, fartus tectus conservetur, pustularum vero, ut blando partium externarum calore ad maturitatem illae perducantur. Jam vero, utut feliciter mihi cesserit haec methodus, uti prius docui, in variolis aliis confluentibus, in istis tamen hujusce constitutionis illa me fefellit, ita ut eorum plerique, qui vehementius laborabant, interirent, sive methodo jam a me laudata, sive regimine et cardiacis calidioribus uterentur. Omnino itaque intellexi, desiderari adhuc aliquid praeter ista, quae vel ad compescendam sanguinis ebullitionem, vel ad pustularum elevationem manuumque atque faciei intumescentiam facerent; desiderari scilicet aliquid, quod putrefactioni magis intensae, quam in his variolis prae caeteris quibusque observaram, vincendae par esset. In mentem mihi tandem venit vitrioli spiritus, quem existimabam utrique intentioni tum putredinis oppugnandae, tum perdomandae caloris ferociae satisfacere posse. Quamobrem aegro sibi relicto, donec et dolor et vomituritio,

quae eruptionem praecedere solent, jam desinerent, et variolae conferto agmine prodirent omnes, tandem die quinto sextove dictum spiritum cerevisiae tenui ad levem aciditatem instillatum, pro potu ordinario concessi ad libitum sumendum, liberalius vero, cum adpeteret febris maturationis; quem potum, donec perfecte convalesceret, imperavi usurpandum quotidie.

Hic spiritus, ceu morbo revera specificus, symptomata omnia ad miraculum fere compescebat: facies et maturius, et longe altius intumescebat: variolarum interstitia ad colorem magis rubrum, et rosae Damascenae aemulum magis accedebant: pustulae quoque minutissime grandescebant, saltem quantum ea species pateretur: pustulae etiam, quae aliter nigrae comparuissent, hic materiam quamdam flavam et colore favum referentem eructabant. Facies deinceps pro nigro colore flavo saturato ubique tincta conspiciebatur; celerius maturescebant, atque tempora alia omnia diei unius aut alterius spatio citius percurrebant. Haec autem accidebant omnia, si liquorem nempe laudatum liberalius haurirent. Quapropter, quoties aegrum copiam subjugandis symptomatis debitam respuere animadverterem, spiritum istum, vel syrupo aliquo in cochleari permistum, vel aquae destillatae cum syrupo junctae additum, subinde ingessi, quo pensaretur scilicet liquoris parcior usus.

Varia hujus medicamenti commoda recensui, incommodi ne minimum quidem ex eo natum hactenus potui deprehendere. Licet enim salivatio die undecimo decimove fere ab eo sistatur, cujus vicem per id temporis dejectiones aliquot subire solent; tamen ab his minus aegro erit periculi, quam ab ista fuit, quandoquidem, quod plus semel diximus, qui variolis confluentibus laborant, eo praecipue urgentur discrimine, quod saliva his diebus viscidior reddita fauces praecludat, cui quidem symptomati hoc in casu diarrhoea succurrit, quae vel sponte sua desinet, vel saltem, ubi nullum amplius a variolis periculum est, lacte et aqua mistis, et narcotico adsumtis facile compescetur.

Aegro interim in lecto jacenti, inclusis quoque brachiis, stragula praeter solita adjici non patiebar;

concessi etiam, ut ab hac in illam lecti partem se pro arbitrio transferret ad sudores arcendos, in quos proclivissimus erat, hoc non obstante remedio. Jusculis interim avenaceis atque hordeaceis victitabat, nonnumquam et pomo cocto. Ultimis diebus, si vel langueret aeger, vel aegrotaret stomacho, vini Canarini cochlearia tria quatuorve indulsi. Haustum vero paregoricum jam a quinto sextove die singulis vesperis temporius propinandum adulto (infantibus enim eo non erat opus), praescripsi; Laudani liquidi scilicet guttas 14 in Aq. fl. Paralyseos.

Die decimo quarto aegrum e lecto surgere permisi; vicesimo primo sanguinem e brachio educendum curavi; catharticum deinde ad duas vel tres vices exhibui; quibus peractis aegri facies coloratior ac magis vivida conspiciebatur, quam solebat eorum, quos hic morbus ita male mulctaverat. Adde, quod methodus laudata vix patitur faciem cicatricibus deturpari, quae ab humoribus calidis efferatisque proveniunt, cuticulam rodentibus.

Die Julii 26 anni 1675 vir nobilis mihique amicus Dominus Elliot, regi a cubiculo, domesticum e suis meae curae commisit, fera hac variolarum confluentium nigrarum specie propediem laboraturum. Habebat is annos octodecim circiter, temperamento erat admodum sanguineo, et in hunc morbum a nimia compotatione recens inciderat. Confluebant pustulae densiore agmine, quam alias vidi umquam, ita ut nulla fere inter eas intercapedo linqueretur, qua distingui possent. Remedii hujus δραστικωτάτου confisus viribus venam nullam secui, licet tempus, quo accersebar, id mihi liberum faceret, atque etiam secare debuissem, cum a nimia vini ingurgitatione invitaretur morbus. Post eruptionem finitam, die videlicet quinto vel sexto, spiritum vitrioli in lagenas aliquot, cerevisia tenui repletas, jussi instillari, atque hunc potum ordinarium concessi pro arbitrio sumendum. Die octavo ea sanguinis quantitas e naribus fluxit, ut nosocoma hoc symptomate territa me ocyus accersendum putaret. Adveniens ego, cum ab immodico sanguinis calore et impetu inusitato illud oriri animadverterem, cerevisiam tenuem dicto spiritu impraegnatam uberius adhuc hauriendam imperavi; quo facto haemorrhagia dicto citius est coër-

cita. Salivatione satis copiosa, faciei et manuum intumescentia, pustularumque augmento rite procedentibus, morbus se satis feliciter expedivit; nisi quod ultimis diebus dejectiones aliquot mucosae sanguineaeque interpellarent, quae forte nullum facessissent negotium, si venam eo, quo diximus nomine, mox accersitus aperuissem. Nihilominus nullo alio praesidio dysenteriam adoriebar, quam narcotico illo, quod alias etiam, si hoc symptoma non ursisset, singulis noctibus fuisset adsumendum, quo vis ejus retusa erat, donec evanescerent pustulae; posteaque extracta e brachio sanguinis quantitate satis larga, lacteque atque aqua adfatim haustis subito convaluit.

Eodem fere tempore quidam e meis vicinis Dominus Clench duos mihi liberos sanandos tradidit; quatuor annos habebat alter, alter adhuc lactebat, nec dum sextum mensem attigerat. Pustulae utrisque perpusillae erant, confluxiles admodum, et ad erysipelatis modum prodibant, generisque nigri dicti. Vitrioli spiritum utrisque in potu omni instillandum curavi, quem, non obstante aetate junioris praesertim tenellula, ne hilum aversabantur; quin et nullo symptomate graviori adfecti convaluere illico. Amicissimus mihi vir Dominus Doctor Mapletoft utrosque mecum invisens, aetate majorem jam convalescentem reperit, minorem vero in cunis adhuc laborantem.

Animadvertendum est autem, quod, sicuti variolae hujus constitutionis, quae non confluebant, satis erant benignae, ita neque remedio jam praescripto opus habebant: satis vero erat ista eas methodo tractare, quam generi distincto jam supra deberi docuimus.

Habes jam, lector, quae de variolis mihi erant dicenda omnia; quae licet non nemo fortasse parvi penderit pro seculi genio, scio tamen ego, haud parvo mihi labore, cura atque industria per multos annos continuos ea stetisse; neque jam a me fuisse evulganda, nisi vicisset caritas in proximum, et studium aliis benefaciendi, vel pretio existimationis propriae, quam satis intelligo a subjecti novitate gravandam fore. Neque tamen video, cur aliquem male habeat nova methodus ei morbo medendi, cujus nec apud Hippocratem vestigium ullum, nec apud Ga-

LENUM invenitur (nisi quis forte locus difficillima ratiocinatione torqueatur), cum quae a modernis adaptantur curationes, a magnis illis rei medicae luminibus non institutae, aequo jure ab his negliguntur, atque ab illis magni fiunt.

Quin e pari ratione nemini mirum debet videri, si quid immutavero in ea methodo, qua expugnandae sunt istae febres, quae ab iis pendent constitutionibus, quae variolis epidemiae sunt. Etenim, si in prioribus illis mundi seculis variolae nusquam gentium comparuerint, sequitur, neque istiusmodi febres uspiam locorum exstitisse umquam. Vero autem simillimum est, ne quid dicam audacius, variolas nondum tunc temporis in rerum natura fuisse repertas. Si enim per antiquiora tempora, perinde atque nunc dierum, hic morbus invaluisset, sagacissimum HIPPOCRATEM, opinor, is numquam latuisset, qui cum morborum historias et clarius intellexerit, et descripserit accuratius, quam postnatorum quispiam, et hujus etiam descriptionem genuinam, atque simplicem, pro suo more nobis reliquisset. Quocirca opinari mihi fas sit, morbos certas habere periodos pro occultis illis atque adhuc incompertis alterationibus, quae ipsius terrae accidunt visceribus, pro varia scilicet ejusdem aetate ac duratione; quodque, sicut alii morbi jam olim exstitere, qui vel jam occiderunt penitus, vel aetatem saltem pene confecti exolevere, et rarissime comparent (cujusmodi sunt lepra atque alii fortasse nonnulli); ita, qui nunc regnant, morbi aliquando demum intercident, novis cedentes speciebus, de quibus nos ne minimum quidem hariolari valemus. Haec se ita res habere potest, quidquid de ea videatur nobis βραχυβίοις, qui heri tantum nati sumus, cras forte interituri; neque quas de morbis auctores vel antiquissimi congesserunt rationes aevi multo productioris, si cum antiquissima mundi epocha eae conferantur.

CAPUT V.

Tusses epidemiae anni 1675, *cum pleuritide et peripneumonia supervenientibus.*

Cum tempestas placida ac tepens, immo vero aestatis simillima, praeter solitum ad postremos usque Octobris dies perseveraret, anno 1675, eam vero mox exciperet alia multum diversa, frigida scilicet atque humida subito ingruens, tusses ubique numerosiores grassabantur, quam alio quovis, quod memini, tempore, nemini fere parcentes, cujuscumque is fuerit sive aetatis, sive temperamenti, integras vero simul familias pervadentes. Neque numero tantum erant spectabiles (cum quaelibet hyems haud paucas nobis generet), sed etiam ob anceps illud periculum, in quod eos, quos adfecerant, per accidens conjiciebant. Cum enim constitutio, et jam et per autumnum omnem modo elapsum in producenda febre epidemia supra descripta omnes nervos intenderet, cumque jam nullus existeret morbus alius epidemius, cujus contranisu hujus vires aliquantisper possint refringi, tusses istae febri sternebant viam, atque in eam quam libentissime commigrabant. Interea, quemadmodum tussis constitutioni opitulabatur in febre producenda, ita etiam febris occasionem ex tussi natam arripiens, jam pleuram ac pulmones haud aliter invadebat, ac caput invaserat vel septimana illa, quae harum tussium exortum fuerat praegressa. Quae tam improvisa symptomatum mutatio nonnullis, qui minus diligenter adverterant animum, ansam praebuit, febrem hanc pro pleuritide essentiali, aut essentiali peripneumonia habendi, licet eadem omnino illa maneret, atque fuerat per integram hanc constitutionem. Nunc enim, uti prius semper, cum dolore capitis, dorsi, atque artuum quoslibet adgrediebatur; quae symptomata omni ubique hujusce constitutionis febri conveniebant. Materia tantum febrilis, cum stimulante tussi in pleuram ac pulmones uberius deponeretur, symptomata dictas partes attinentia excitabat; attamen febris, quantum mihi licuit observare, eadem prorsus cum illa fuit, quae ad eum usque diem fuerat depopulata, quo hae tusses primum comparebant; quin et re-

media, quibus promptissime parebat, idem plane demonstrabant. Et quantumlibet lateris dolor punctorius, spirandi difficultas, color detracti sanguinis, et reliqua signa pleuritidi familiaria, essentialem pleuresin subesse innuerent, non aliam tamen medendi methodum postulavit hic morbus, quam quae febri hujus constitutionis quadrabat, ab illa vero, quae verae pleuritidi conveniebat, abhorrebat admodum, ut ex infra dicendis liquebit. Addo, quod cum pleuritis, quoties est morbus primarius, eo plerumque anni tempore soleat invadere, quod inter ver atque aestatem ambigens utriusque quasi fibula est; hic morbus alieno prorsus sidere natus, pro symptomate tantum febris, quae isti anno propria fuit, dicendus est atque accidentalis tussis soboles.

Curatio.

Ut ad eam methodum rite procedam, quam hujus anni tussibus (tum etiam istis, quae aliis annis contingunt, modo ab iisdem caussis nascantur), deberi monuit experientia; animadvertendum est, effluvia ista, quae a sanguinis massa per insensilem transspirationem ablegari solent, a frigore cutis spiracula subito contrahente intro verti, et in pulmones deponi, quos irritando, tussim mox excitant. Cumque hoc pacto detineantur calidae istae et recrementitiae sanguinis exhalationes, quo minus per cutis poros exeant, febris in sanguinis massa facile accenditur; ubi scilicet vel tanta est halituum copia, ut pulmones iis eliminandis haud sufficiant, vel calore adventitio sive remediorum, sive regiminis justo calidiorum quasi adjecto oleo ignis augetur, et qui in febrim jam plus satis erat proclivis, in eamdem praeceps agitur. Verumenimvero, qualiscumque fuerit febris stationaria, quae illum annum funestat, atque per id temporis dominatur, nova haec febris statim in ejus nomen ac familiam adoptatur, ejusdem ubique genio obsequens, licet symptomata quaedam adhuc retineat, a tussi, quam habuit parentem, pendentia. Ac proinde satis constat, in tussi qualibet ex hac προφάσει nata, non tantum ipsi morbo, sed et febri, quae tussi huic paratissima accedit, occurrendum esse.

Hac innixus basi iis, qui meam implorabant

opem, hoc modo succurrere conabar. Si tussis nondum febrim, atque alia symptomata, quae utplurimum se adjungere solere diximus, accersiverat, satis esse arbitrabar, aegrum a carnibus et liquoribus spirituosis quibuscumque arcere; hortabar item, ut exercitiis uteretur moderatis, et frueretur aura liberiore, ptisanam pectoralem refrigerantem subinde hauriens. Sufficiebant nimirum paucula haec et ad tussim perdomandam, et febrim, aliaque symptomata, quae illam comitari solebant, praevenienda. Sicut enim abstinentia a carnibus, et liquoribus spirituosis, tum etiam refrigerantium usu ita contemperabatur sanguis, ut impressioni febrili ineptior esset; ita etiam exercitii ope fervida illa sanguinis effluvia, quae, quoties corporis pori a repentino frigore occluderentur, introacta tussim excitabant, via sibi naturali ac genuina exhalabant opportunius, et cum bonis aegri rebus difflabantur.

Tussim quod spectabat sedandam, haud vacabat periculo narcoticis atque anodynis illam adgredi; nec minus periclitabatur, si quis liquoribus spirituosis calidisque medicamentis idem moliretur, cum utroque modo inviscata atque indurata tussis materia, halitus isti, qui a sanguine placide ac sensim discedentes tussiendo in auras evanescerent, jam exitu negato, in cruoris massa praeclusi febrim ibidem ciebant. Atque hoc saepenumero non paucis e vulgo inconsultioribus pessime cessit, qui cum spiritu vini ustulato, aliisque calidis liquoribus tussi obicem ponere niterentur, adfectus pleuriticos et peripneumonicos invitabant, atque insana hac sapientia morbum sua natura levissimum et facile sanabilem in periculosum ac saepe lethalem transformabant. Nec minus hallucinabantur (licet magis cum ratione insanire viderentur), qui provocatis sudoribus morbi caussam exterminare volebant. Quamvis enim non diffiteamur, sudores sponte prorumpentes haud raro prae caeteris quibuscumque praesidiis caussam morbificam expellere, liquet tamen, nos, dum in iis extorquendis sumus, sanguinem incendere, et quem servare volumus aegrum, letho dare posse.

Quandoque vero non tantum, ubi minus rite tractaretur morbus, quo scilicet supra descripsimus modo, sed etiam nonnumquam sua sponte (maxime in

delicatioribus ac tenellulis) nunc statim ab initio, nunc post diem unum aut alterum, tussi superveniebat caloris ac frigoris vicissitudo quaedam, capitis, dorsi, atque artuum dolor, ad sudores nonnumquam propensio, noctu maxime (quae omnia pariter symptomata febrim hujus constitutionis plerumque sequebantur); quibus saepe adjungebatur lateris dolor, nonnumquam etiam pulmonum quasi constrictio, coarctatioque, unde difficulter spirabat aeger, inhibebatur tussis, excitabatur febris vehementior.

Febri, et pessimis ejus symptomatis rectissime (quantum accurate facta observatione mihi constitit), occurrebatur venaesectione in brachio, et epispastico nuchae adplicato, clystere item quotidie injiciendo. Aegrum interim monebam, ut singulis diebus ad horas aliquot lecto absisteret, abstineret a carnibus, nunc cerevisiam tenuem, nunc lac aquae permistum, nunc ptisanam aliquam refrigerantem ac lenientem, sorberet. Elapso jam biduo triduove, si nondum minueretur dolor lateris, sed adhuc vehementer urgeret, sanguinem secundo detraxi, et ut in usu enematum persisteret adhuc, suasi. Enemata autem quod attinet, diligenter advertendum est (tam in hac, quam in aliis febribus), ea jam fractis morbi viribus et retusa acie non diu et continuo repetenda esse, maxime in feminis passioni hystericae obnoxiis, aut viris hypochondriacis; cum talium sanguis atque humores ἐυμετάβλητοι sint, ac nullo fere negotio exagitentur atque aestuent, unde perturbatur corporis oeconomia, et symptomata febrilia etiam ultra solitam periodum aegros discruciant.

Sed ut ad rem revertamur, dum hoc pacto spatium morbo concederemus, quo sanguis calidas illas particulas, quae in pleuram ac pulmones impegerant, sensim excuteret, symptomata universa placide solebant evanescere; cum qui morbum ferocius atque hostili manu adgrediebantur, ingenti remediorum molimine bellum inferentes, vel suos aegros amitterent, vel saltem phlebotomia saepius repetita, quam vel postulabat morbi genius, vel etiam tuto ferebat, eorumdem vitam redimere cogerentur. Cum enim in vera pleuritide venaesectio repetita omnem numerum absolvat, solaque ad curationem sufficiat (modo non obstiterint medicamenta et regimen ca-

lidiora, quae contra militant), ex adverso in hoc symptomate satis erat semel vel utplurimum bis venam secasse, modo aegro concederetur, ut e lecto exsurgeret et potu refrigeranti uteretur. Nulla autem cogebat necessitas, si bene observaverim, sanguinem saepius educere, nisi ubi a calore foris accedente admodum intenderetur dictum symptoma; neque etiam in hoc casu periculo id omnino vacabat.

Hanc jam nactus ansam, paucula de eo dicam, quod omnium ore tritissimum est, pleuresin scilicet quandoque ita malignam reperiri, ut per eos annos phlebotomiam ferre nesciat, saltem toties repetitam, quoties hic morbus communiter deposcit. Censeo quidem pleuresin veram atque essentialem, quae, ut posthac dicetur, omnibus annorum omnium constitutionibus indifferenter infestat, omnibus indifferenter annis venaesectionem pariter repetitam indicare; aliquando tamen accidere, ut febris ejus anni proprie epidemia, a repentina aliqua manifestarum aëris qualitatum alteratione, materiam morbificam in pleuram aut pulmones libenter deponat, ipsaque febris nihilominus eadem prorsus maneat. In hoc casu, etsi venaesectio possit concedi, ut huic symptomati, si multum saeviat, occurratur; generaliter tamen si loquamur, non multo plus sanguinis symptomatis ratione educendus est, quam febris nomine debuerat educi, a qua pendet istud symptoma. Namque si haec ejus sit indolis, ut a repetita venaesectione non abhorreat, potest ea repeti in pleuritide, quae ejusdem symptoma est; at vero si febris repetitam venaesectionem respuat, neque juvabit ista, immo et nocebit in pleuritide, quae cum febre stabit cadetve. Hoc autem modo se res habuit, me saltem judice, in pleuritide symptomatica, quae febrem comitabatur hoc in loco grassantem, quo tempore subingrediebantur tusses, hac nimirum hyeme 1675. Atque hoc quidem mihi ideo reticendum non erat, quod existimem, dubio illum tramite errare, atque incerto duci filo, qui in febrium curatione non continenter ob oculos habet anni constitutionem, quatenus huic aut alteri morbo epidemie producendo favet, caeterisque morbis omnibus una concurrentibus in ejus similitudinem ac formam detorquendis.

Novembri anni praefati Dominum Thomam Wind-

HAM, Domini FRANCISCI WINDHAM equitis filium natu maximum, hac febre laborantem tractabam. Querebatur is de lateris dolore, aliisque symptomatis, de quibus caeteri hoc morbo adfecti. Venam haud plus semel tundendam curavi, epispasticum nuchae adponi, enemata quotidie injici; nunc ptisanas atque emulsiones refrigerantes, nunc lac aquae inmistum, nunc cerevisiam tenuem propinavi; suasi, ut lecto absisteret quotidie ad horas pauculas; qua methodo intra paucos dies restitutus est, et celebrata catharsi omnino convaluit.

Notandum autem est, quod tametsi symptomata haec, quae tussi supervenire solerent, ea prope essent, quae hanc hyemem funestabant; attamen tussis ipsa sine illis sola invadens, ea tempestate magis dominabatur. Hujus autem medela neque venaesectionem, neque clysteres sibi vendicabat, modo febris a regimine vel medicamentis calidioribus non excitaretur; cum satis erat ad eam compescendam aegro liberioris aëris foras usum concedere, et carnis esum, ut et vinum ac id genus liquores spirituosos, qui febri ansam praebeant, omnino interdicere. Porro tabellas sequentes saepiuscule devorandas imperavi; quae quidem ad tusses a frigore susceptas coërcendas omnibus aliis, quae mihi adhuc innotescunt, longe praecellunt. Rec. Sacchar. Cand. libr. duas sem. Coq. s. q. Aq. communis, usque dum adhaerescat extremis digitorum; tum adde pulv. Liquirit. Enul. Campan. sem. Anisi et sem. Angelic. aa. unc. semis pulv. Irid. et flor. Sulphur. aa. drachm. duas ol. chemic. sem. Anisi scrup. duos F. l. a. Tabellae, quas secum continuo portet, ac earum unam frequenter adsumat.

At priusquam his, quae de morbis epidemiis disserui, ultimam imponam manum, objectioni, quam contra eorum nonnulla adferendam praevideo, occurrendum mihi est; quod nempe non satis cum malignitate ista pugnare videantur, quae pluribus horum morborum adhaeret. Non is sum, qui receptam a viris doctissimis sive hujus seculi, sive antiquioribus de malignitate opinionem convellere aut possim, aut etiam velim, cum ista indiciis plus satis se prodat manifestis in epidemiis plerisque. Liceat mihi tantum quae de ejus natura sentio in medium

proferre, quo haec nostra praxis minus a ratione abhorrere videatur. Ipse enim cum eruditissimo SCALIGERO,

Non mihi, sed rationi, aut quae ratio esse videtur, Milito, securus quid mordicus hic tenet, aut hic.

Censeo itaque ego malignitatem eam omnem, quae epidemiis competit (qualiscumque tandem fuerit specifica ejus natura), particulis calidissimis, ac spirituosissimis, humorum in humano corpore contentorum naturae plus minusve adversantibus, consistere ac terminari; quia solae istiusmodi particulae humores ita subito alterare valent, atque in morbis malignis fieri videmus. Censeo item, calidas illas et spirituosas particulas adsimilando maxime agere; cum ex naturae lege quodlibet principium activum sui simile procreare satagat, et quae ei cumque obsistunt, ad propriam indolem inflectere atque adcommodare. Ita ignis ignem generat, et maligno infectus morbo socium inficit, spirituum scilicet emissione, qui humores mox inficiendos sibi adsimilant, et in naturam suam perducunt trahuntve.

His praemissis, omnino sequitur, nihil esse prius, quam ut dictae particulae sudore eliminentur; hoc enim modo morbus confestim funditus exstirparetur. At hic reclamat experientia, docetque hoc in omni malignitatis specie fieri non posse. Quamvis enim in ipsa peste particulae pestilentiales, tum quod admodum fuerint subtiles, tum etiam quod sanguinis partibus maxime spirituosis insideant, dissipabiles sint, atque excitato sudore non interrumpendo ejici queant; in aliis tamen febribus, ubi particulae adsimilantes non in eam subtilitatem sunt evectae, atque etiam humoribus magis crassis incorporantur, minera illa maligna non tantum sudoribus difflari non potest, sed saepenumero etiam augetur, quibus isti sollicitantur, diaphoreticis. Quanto enim magis usu calefacientium actuantur particulae hae calidae ac spirituosae, tanto magis intenditur ea, quam habent, adsimilandi facultas; quantoque etiam magis excalefiunt humores isti, in quos agunt, tanto libentius in adsimilantium castra migrant, earumdem impressionibus cedentes. Cum ex adverso ratio dictare videatur, medicamenta illa, quae contrariae sunt naturae,

non tantum particularum calidarum, atque acrium, vim inhibere, sed etiam humores condensare confirmareque, quo spirituum morbificorum fortius sustineant impetum, vel etiam frangant. Atque adpellanda hic mihi venit experientia, qua magistra edoctus sum, et purpureas febrium maculas, et variolarum pustulas nigras eo promptius sumsisse incrementum, quo magis calefieret aeger, easdem vero pro ratione moderatioris regiminis, quod iis omnino debetur, decrescere solere ac minui.

Jam si quis me roget, qui fiat, ut, cum malignitas in ejusmodi particulis calidis, ac spirituosis, consistat, haud raro ita parca febris signa conspiciantur, etiam in morbis summe malignis; responderem percontanti, primo in praecipua illa et maxime insigni malignitatis instantia, ipsa peste, abunde constat, particulas *νοσηροὺς* ita supra modum subtiles esse atque aculeatas (praesertim ubi primum incipit grassari), ut aurae adinstar sanguinem pervadant, ac sideratis quasi ejus spiritibus, ne in ebullitionem quidem illum attollant, unde aeger sine febre perit.

At vero in minori isto malignitatis gradu, qui in aliis epidemiis morbis reperitur, symptomata febrilia ita parum conspicua redduntur nonnumquam a confusione in sanguine atque humoribus excitata a particulis inimicis, eorum in gremio conclusis; unde natura quasi oppressa non potis est symptomata illa magis regularia exserere, quae morbo competunt, at anomala sunt *φαινόμενα* fere omnia ob *οἰκονομίαν* penitus eversam dirutamque; quo in casu deprimitur saepe febris, quae, obtinente genuino naturae ductu, omnino vigeret. Quandoque etiam pauciora se ostendunt febris indicia, quam pro morbi genio, ob metastasin minerae malignae vel in genus nervosum factam, vel in alias partes corporis, vel etiam humores extra sanguinis pomoeria, dum turgeret adhuc materia morbum committens.

Quidquid vero id fuerit, ne hariolari quidem possum, quaenam alia medendi methodus malignitati qualicumque adhibenda sit, praeter eam, quae epidemio, cui inhaeret, debetur, ita, ut sive epidemius de eorum numero sit, qui primo concoctionem materiae febrilis, mox ejusdem rite dispositae eliminationem per sudores sibi vendicant; vel eorum, qui per

eruptionem aliquam fugam sibi quaerunt; vel etiam eorum, qui ab artis praesidio viam sibi aperiendam praestolantur; in singulis his, inquam, generibus malignitas, morbi comes, cum ipso morbo stabit cadetque, pari usa fortuna, et pari etiam passu recedens; atque ex consequenti, quaecumque evacuatio febri in genere competit, eadem et malignitati debetur: quantumlibet evacuationes istae sibi invicem fuerint contrariae. Malignitati itaque isti, quae febres autumnales intermittentes comitatur, uti et febrem continuam, quae ejusdem est indolis, medebitur diaphoresis, quae concoctionem subsequitur ceu ejus effectum. Variolarum malignitati subveniet tempestiva abscessulorum maturatio, atque ita de reliquis; in quibus omnibus peculiaris malignitatis species istis praesertim modis, ac methodo illa optime superatur, quibus libentissime cedunt peculiares isti morbi, ad quos illa spectat, sive hac methodo procedendum fuerit, sive altera. Hoc mihi dictat ratio, nisi pro Junone nubes, atque huic etiam experientia jugiter suffragatur.

CAPUT VI.

Anacephalaeosis.

Atque ita demum animadvertimus, spatium illud annorum, quo finiuntur praegressae observationes, genera constitutionum omnino quinque peperisse; quinque nimirum peculiares aëris diatheses, totidem epidemiorum species peculiares, febrium nominatim, producentes. Febrium autem harum prima, quae iis annis infestabat, quibus intermittentes autumnales maxime grassabantur, unica mihi videtur (quantum observatione diligenti fidaque hactenus adsequi potuero), in qua natura ita omnia symptomata moderabatur, ut materiam febrilem debita coctione praeparatam certo suo tempore ad exitum disponeret, vel per justam *διαφόρησιν*, vel *διαπνοὴν* paulo liberaliorem (quae idcirco febris depuratoria mihi audit). Et profecto facile adducor, ut credam, praecipuam hanc esse atque primariam naturae febrem, tum ob regu-

larem illam methodum, qua utitur in promovenda materia morbifica, eademque praefinito tempore digerenda; tum etiam quia haec febribus aliis quibuslibet frequentior occurrit; cum credibile sit febres intermittentes epidemie saepius grassari, quam alios morbos quoscumque, si illis nempe habenda sit fides, qui de earum frequentia in seculis jam elapsis tot et tanta scripserunt; quidquid demum in caussa fuerit, quod ita rarae comparuerint, a quo pestis hanc urbem est depopulata. Enimvero febris haec pestilentialis inflammatoriis iis omnibus, quae post invasere, se ducem praebebat ac *πρόδρομον*. Febri autem isti primariae, de qua supra, adaptantur, ni fallor, illustria illa atque necessaria axiomata, quae tradiderunt Hippocrates aliique medici antiqui; quorum ope ita illa est regenda, ut praeparetur materia febrilis ad crisin per sudores rite faciendam. Neque enim satis video, qui possint adcommodari dicti aphorismi subsequentibus istis febrium speciebus, quae diversam longe habent indolem, et raro ejusmodi methodo aliqua solvi solent, qua nos adjuti, si ad eam accedamus scilicet, eamque perficiamus, morbos hosce subjugare possimus. Utut vero haec se res habeat, notatu dignum esse autumo, quod cum febris haec, quae ab illa constitutione pendebat, qua intermittentes caeteris praedominabantur (si vel diutius persisteret, vel aeger nimis evacuationibus fuerit exhaustus), subinde in intermittentium castra de facili transiret, istae febres, quae sequentes funestabant annos, etiamsi diutissime cruciarent, rarissime tamen intermittentes fierent; indicio satis manifesto, eam febrem continuam atque intermittentes istas vel natura quadamtenus convenire, vel non multum ab invicem abhorrere.

Jam si quis a me percontetur, quo demum pacto febris continuae speciem ex notis in febrium descriptionibus a me traditis queat expiscari, cum plerumque singulae iis implicentur symptomatis, quae omnibus in genere competunt febribus (cujusmodi sunt calor, sitis, inquietudo, etc.); huic ego responderem, difficile id quidem esse, at non plane impossibile, modo quis serio atque ad amussim exegerit circumstantias eas omnes, quas in historia praecedenti indigitavimus; maxime si in urbe aliqua, aut loco alio

hominibus referto examen instituat. Ponamus enim medicum ad febre continua laborantem accersiri; id primo habet adminiculi ad judicium rite formandum, quod vel ex observatione propria, vel aliis indicantibus facile resciscat, quinam alii morbi praeter hanc febrem, et cujus demum generis, eo locorum epidemie grassantur; quo cognito non amplius dubitabit, cujus generis esse debeat febris ista, quae huic alteri epidemio regnanti famulatur. Quamvis enim fieri possit, ut febris iis tantum se prodat symptomatis, quae omnibus omnino febribus sunt communia (praesertim si in ἀταξίαν et confusionem agatur a methodo, quae ab eius curatione prorsus aliena est), alii tamen epidemii characteres naturae atque indoli suae proprios ac peculiares apertissime adgnoscent. Verbi gratia, qui variolas inspexerit, facile conjectabit (modo ejus morbi historiam probe calleat), vel a die, quo primum erumpunt pustulae, vel ab earum magnitudine atque colore, etc. ad quodnam variolarum genus species illa particularis fuerit referenda: atque ubi semel cognoverit, quaenam sit illa variolarum species, quae eo anno atque per loca ista increbrescit, satis illi constabit de specie febris cujusvis per id temporis atque eo locorum grassantis. Et sane si morborum historias ad unguem perdidicissem (quam ego mihi laudem minime sumo) sicuti epidemio quovis conspecto non dubitarem de febris tum regnantis genere pronunciare, licet ne unam viderem quidem; ita febris quaelibet conspecta, quisnam ei jungeretur morbus epidemius, me satis doceret, an variolae scilicet, vel morbilli, vel dysenteria, etc. cum tam peculiare aliquod horum genus, quam febris peculiaris, particularem quamlibet constitutionem jugiter comitetur.

Secundo autem praeter indicia illa, quae epidemiorum una invadentium consideratio nobis suggeret, et ipsa cujuslibet febris symptomata ad ejusdem speciem dignoscendam haud obscuram lucem foenerantur. Quamlibet enim, ut supra innuimus, febres in universum omnes quaedam habent symptomata omnibus communia, sunt tamen et certae aliquae distinctionis notae, quas singulis speciebus sigillatim impressit natura; quae cum subtiliores sint ac magis reconditae, non nisi a cautissimis, et minutissima quae-

que pensiculatim trutinantibus erui solent aut investigari. Inter haec signa distinguentia semper existimavi ego, aegri sive sudationem, sive siccitatem in hoc vel illo morbi tempore febris speciem praecipue et prae caeteris demonstrare, modo illa a statu naturali ac suo methodo minus congrua non fuerit dejecta. Atque hoc ipsum liquido mihi constabat in febribus omnibus epidemiis, quotquot observationes hae nostrae hactenus complectuntur. Exempli gratia, iis in febribus, quae vigebant exolescente intermittentium autumnalium praedominio, aegri externa arescebant, nec vel minima sudoris praesignatio ante materiae febrilis concoctionem, quae die decimo quarto plerumque perficiebatur, in conspectum se dabat. Neque etiam cieri hic poterat sudor sine ingenti aegrorum discrimine, qui in phrenesin, aliaque symptomata periculosissima mox a coacto sudore praecipitabantur. In febri pestilentiali, quae hanc quidem subsecuta est (inflammatoriarum autem omnium, quae ab illo tempore invasere, chorum duxit), nulli sudores sponte sua prorumpebant, at a sudorificis excitari poterant vel primis morbi diebus, atque iis semel obortis aeger nullo non symptomate levabatur. Febre proxime succedente, quae variolas iis annis comitabatur, quibus illae regulares erant, aeger sua sponte effusissimis sudoribus totus dimanavit, vel a morbi initio; at qui istis indulgebat aeger, intendebat illico symptomata omnia, haud mitigabat. In binis illis febribus, quae duabus variolarum anomalarum speciebus, atque dysenteriis se comites adjungebant, et sudores anomali etiam fuere, ut plerumque solis primis diebus exeuntes. Licet qui primam febrem comitabatur sudor, quam qui posteriorem, aliquantisper esset copiosior; sed in neutra emolumento fuit aegro, cum non a praevia concoctione, sed a confuso particularum noxiarum motu is eliceretur.

Arduum vero id mihi in primis videtur, novae febris speciem, vertente primum anni constitutione, indagare, cum necdum specimen ejus aliquod quis oculis usurpaverit, necdum resciverit, qualesnam demum sint futuri morbi epidemii, quos ut plurimum febris praevertit. Molestum esset singula enumerare, quae iis annis, de quibus egi, occurrebant, quo liqueret ansas haud obscuras a natura nobis suggeri,

quibus adjuti hoc praestare valemus; ac proinde cognitio haec a perdiligenti atque accuratissima circumstantiarum omnium observatione necessario pendebit. Quantumlibet autem difficile id fuerit, immo si et impossibile plane supponamus, novae febris, ubi primum ingreditur, speciem certo distinguere; tamen ad curationem quod attinet, indicatio a juvantibus et laedentibus sumenda nobis saltem relinquitur, cujus ope viam paulatim praetentantes, aegrum in tuto possimus collocare, modo ne plus satis properemus; qua quidem festinatione nihil ego quidquam exitialius esse autumo, nec re ulla alia febricitantium plures vita spoliari. Neque pudet fateri, me non semel in curandis febribus, ubi nondum constaret, quid mihi agendum esset, nihil prorsus agendo et mihi et aegro consuluisse optime; dum enim morbo invigilarem, quo eum opportunius confodere valerem, febris vel sponte sua sensim evanuit, vel in eum se typum redegit, ut jam mihi innotesceret, quibus armis esset debellanda. Sed, quod dolendum omnino est, aegrorum quamplurimi, haud satis gnari, quod perinde sit medici periti, quandoque nihil agere, atque alio tempore efficacissima adhibere remedia, probitatis atque fidei fructum hunc capere nolunt, sed vel negligentiae vel ignorantiae id imputant; cum empiricorum insulsissimus quilibet medicamenta medicamentis adjicere aeque novit, ac solet magis, quam medicorum prudentissimus.

Haec sunt fere, quae hactenus observavi, saltem quae ad normam aliquam reduci potuerint, de morborum epidemiorum speciebus, atque ordine illo, quo invasere ab anno 1661 ad finem usque anni 1675. Quo quidem tempore variolae, et febres continuae earum comites, quae ferme a biennio dominatae sunt, mitiores jam factae, videntur exsolescere. Qui post sequentur morbi, solus novit, qui novit omnia.

SECTIO SEXTA.

CAPUT I.

Febres intercurrentes.

Observationes annorum, quos jam descripsi, satis arguunt febrium alias stationarias merito audire; ejusmodi febres intelligo, quae, cum a particulari quadam, at nondum satis cognita hujus aut alterius anni constitutione pendeant, singulae suo ordine invalescunt, grassantur admodum et quasi caeteris dominantur per continuam illam annorum seriem. An dentur etiam aliae species praeter jam dictas, an etiam exacto quodam annorum curriculo, aliae alias certo ac constanti ordine excipiant, an secus se res habeat, nondum mihi licuit deprehendere. Sunt vero et aliae febres continuae, quae licet jam parcius, jam inclementius saeviant et depopulentur, tamen cum stationariarum quibuslibet, ut etiam et secum invicem eodem anno indifferenter commiscentur, quas idcirco intercurrentes adpellandas censeo. Quid tam de illarum ingenio, quam de methodo medendi eisdem adhibenda hactenus observando didici, in sequentibus tradam. Sunt vero febris scarlatina, pleuritis, peripneumonia notha, rheumatismus, febris erysipelatosa, angina, et forte aliae quaedam.

Jam vero cum universos hosce morbos vel adhuc comitetur febris, vel saltem fuerit comitata, donec exonerata in partes sive has sive illas, pro morbi ratione, materia febrili, sibi exitum invenerit; nullus dubito, febrem ipsam pro morbo primario habendam, reliquosque adfectus, a quibus ut plurimum morbi isti nomen mutuantur, symptomata esse, quae vel peculiarem χρίσεως modum, vel partem, in quam ruit morbi vis, praecipue spectant. Verum modo de re conveniat, nullam de nominibus movebo litem; mihi integrum fuerit morbum hoc vel illo nomine designare pro arbitrio meo.

Animadvertendum est, quod sicuti febres stationariae, de quibus supra egimus, magis minusve epidemie infestant, quod jam diximus, prout annorum constitutio in secreta atque inexplicabili aëris tem-

perie fundata eisdem favet, ita etiam intercurrentes hae nonnumquam, licet non ita frequenter atque istae, epidemie grassantur. Quamvis enim plerumque oriantur ab hac vel illa particulari corporum particularium ἀνωμαλίᾳ, qua sanguis atque humores quoquomodo vitiantur, aliquando tamen originem debent suam mediate quidem caussae alicui generali in aëre, manifestis qualitatibus hominum corpora ita disponente, ut exinde tales talesve sanguinis atque humorum dyscrasiae generentur, quae intercurrentium ejusmodi epidemiarum caussae fuerint immediatae. Uti cum gelu acrius diu perseveraverit, se in veris usque pomoeria longius extendens, derepente autem calidior tempestas succedat, pleuritides, anginae similesque morbi alii solent invadere, qualiscumque demum fuerit constitutio annorum generalis. Et quoniam hi nonnumquam epidemie grassantur perinde atque alii isti, idcirco ut hos ab illis febribus dispescam, quae ad certam annorum seriem determinantur, omnibus indifferenter annis communes intercurrentes adpellare libet.

Quanto autem a se invicem intervallo dissideant duo haec febrium genera, quantum ad caussas ab aëre subministratas, quoad alias tamen caussas externas ac procatarcticas spectat, saepenumero conveniunt. Ut enim jam mittamus contagium, quod quidem nonnumquam febrium stationariarum aliquibus ansam exporrigit, et crapulam taceamus, qua matre proseminantur tum istae febres, tum hae etiam, de quibus jam ago; caussa evidens externa febrium quamplurimarum inde petenda est, quod quis scilicet vel praematurius vestes abjecerit, vel ab exercitio incalescens se frigori incautius exposuerit, unde poris subito occlusis, retentisque iis halitibus, quibus alias per cutis spiracula patebat exitus, haec vel illa febris species in sanguine succenditur, prout vel generalis constitutio, quae tum temporis obtinet, vel particulares humorum dyscrasiae in hanc vel illam febris speciem potentius determinaverint. Et sane existimo plures modo jam designato, quam peste, gladio, atque fame, simul omnibus, perire. Etenim si quis aegrum medicus de prima morbi occasione paulo minutius interrogaverit (modo ex acutorum istorum numero sit, quos supra tractavimus), audiet

quasi semper, vel eum vestem aliquam temere deposuisse, cui pridem adsueverat, vel corpus motu excalefactum subito frigori permisisse, atque ex alterutra harum προφάσει incidisse in morbum. Quam ob caussam familiares meos semper moneo, ut nullo alio anni tempore quidquam vestium, quibus adsuevere, sibi detrahant, nisi mense uno ante solstitium aestivum. Nec minori cum studio eosdem hortor, ut ab exercitio calescentes frigus sedulo evitent.

At vero diligenter hic loci notandum est, quod licet morbi isti, qui sub intercurrentium titulo jam mihi tractandi veniunt, plerique, si non omnes, essentiales fuerint morbi, saepenumero tamen adfectus quidam, tum eos quoad phaenomena referentes, tum eodem etiam insigniti nomine, istis febribus supervenium, quas stationarias adpello, et sunt nuda earum symptomata. Quo in casu non jam illa methodus adhibenda est, quae iis debetur, quoties morbi sunt essentiales, at ista potius, quam sibi postulat febris, cujus nunc sunt symptomata, ad quorum quidem curationem ea leviter tantum inflectenda est. In genere autem ad anni febrim serio attendendum est, investigandumque, quo illa pacto facillime expugnari possit, venaesectione, an sudoribus, vel alia methodo qualibet. Hoc si susque deque habeatur, cum ingenti aegrorum discrimine persaepe errabimus. Si quis objecerit hos ipsos adfectus, quos ego essentiales voco, et de quibus jam ago, revera symptomata tantum esse; respondeo, symptomata ea forte esse respectu febris, ad quam proprie spectant, at symptomata sunt saltem febrium, quae illa semper ac necessario producunt. V. gr. in pleuritide essentiali, febris ejus est indolis, ut semper materiam morbificam in pleuram deponat; in angina essentiali ejus indolis est, ut eamdem ad fauces semper amandet, atque ita se res habet in caeteris: cum ubi adfectuum memoratorum utervis febri superveniat; quae ad hanc illamve annorum constitutionem spectat, atque ab ea pendet, idem per accidens tantum, neutiquam vero necessario producitur. Quo nomine haud parum a se invicem disterminantur.

Jam autem, ut adfectus essentiales mihi dictos ab iis, qui symptomatici tantum sunt, rite distinguamus, multum conferet nobiscum perpendisse,

quod qualia sint symptomata, quae invasionem febris hujus alteriusve stationariae comitantur, talia omnino erunt symptomata, quae insultum sive pleuritidis, sive anginae sequuntur, quoties ejusmodi febris accidentia sunt tantum. Quod quidem cernere erat in pleuritide symptomatica praedicta, quae febri per hyemem grassanti anno 1675 superveniebat. Quotquot enim hac laborabant pleuritide, ubi primum corripiebantur, capitis, dorsi, et artuum patiebantur dolorem; quae certissima erant et maxime vulgaria febrium earum omnium symptomata, quae et antequam ingrederentur pleuritides, invadebant, atque illis exspirantibus adhuc durabant. Cum quoties uterlibet horum intercurrentium morbus essentialis est, omnibus indifferenter annis pari modo adgreditur, nihil prorsus habens commune cum febre stationaria per id tempus regnante. Adhaec, symptomata omnia, quae post emergunt, magis perspicua sunt, cum non obscurentur ac confundantur ab aliorum *φαινομένων*, quae naturae sunt diversae, et ad aliam spectant febrem, admixtione. Praeter haec anni tempus, quo essentiales intercurrentes plerique, non tamen omnes, solent infestare, haud raro subinnuit ad quam classem hujusmodi adfectus referendi sint. At vero ad morborum tum horum, tum aliorum etiam omnium diagnosin, is demum instructissimus accedet, qui observatione adsidua ac diligenti ita intime eorum phaenomena rimando perscrutatus fuerit, ut ubi eos inspexerit, genus statim norit distinguere; licet differentiarum characteristicarum aliae ita sint fortasse subtiles ac delicatae, ut easdem alteri verbis nequeat exprimere.

Quandoquidem autem variae hae febrium species (quantum quidem adsequi possum ex phaenomenis, quae tum morbos ipsos, tum medendi rationes attinent, sedulo pensitatis), peculiari, ac cuilibet morbo propriae sanguinis inflammationi ortum debent suum; in eodem refrigerando contemperandoque omnis mihi fere curationis vertitur cardo, methodo interim pro morbi genio variata, et cui, experientia jugiter suffragante, ea species libentissime concedit, materiae morbificae eliminandae ubique satago. Et profecto in febrium quarumlibet curatione omne punctum tulerit, qua porta excludenda veniat materia febrilis,

qui certo norit, venaesectione v. gr., sudoribus, catharsi, aut si qua est alia magis adposita.

CAPUT II.

Febris scarlatina.

Scarlatina febris, licet nullo non tempore possit incidere, utplurimum tamen exeunte aestivo se prodit, quo quidem integras familias, infantes vero prae caeteris infestat. Rigent, horrentque sub initio, ut in aliis febribus, qui hac adficiuntur, neque vehementer admodum aegrotant: postea cutis universa maculis parvis rubris interstinguitur, crebrioribus certe et multo latioribus magisque rubentibus, at non perinde uniformibus, ac sunt illae, quae morbillos constituunt. Ad duos tresve dies persistunt hae maculae, quibus demum evanescentibus decedenteque subjecta cuticula, restant furfuraceae quaedam squamulae adinstar farinae corpori inspersae, quae ad secundam aut tertiam vicem se promunt conduntque vicissim.

Curatio.

Cum hic morbus nihil aliud mihi videatur, quam mediocris sanguinis effervescentia a praegressae aestatis calore aut alio aliquo modo excitata, nihil quidquam molior, quo minus sanguis sibi despumando vacet, et materiae peccanti, quae satis prompte adjungitur, per cutis poros ablegandae. Quamobrem tum hinc et a venaesectione et ab enematum usu mihi temperans (quibus remediorum formis, facta revulsione, particulas sanguini infestas cum eodem intimius permisceri, et motum naturae magis congruum sufflaminari autumo), tum ex altera parte ab exhibendis cardiacis, quorum aestu impetuosius forte exagitabitur sanguis, quam pro pacata et leni illa separatione, in qua jam totus est; (quid quod et vehementior febris hoc fomite possit accendi?) satis habeo, ut aeger a carnibus in solidum abstineat, et a liquoribus spirituosis quibuscumque, tum ut neque usquam foras prodeat, neque se perpetim lecto adfi-

gat. Cute jam penitus desquamata, et cessantibus symptomatis, e re fore existimo, ut purgetur aeger leni aliquo medicamento, aetati atque viribus accommodo. Simplici hac et naturali plane methodo hoc morbi nomen (vix enim altius adsurgit), sine molestia aut periculo quovis facillime abigitur. Cum e contra si plus negotii aegris facessamus, vel lectulis continenter incarcerando, vel cardiacis aliisque remediis supervacaneis nimis docte, et (ut vulgo videtur) secundum artem supra modum ingestis, morbus statim intenditur, et aeger non raro nulla alia de causa, quam nimia medici diligentia, ad plures migrat.

Verumtamen hoc animadvertendum volo. Si convulsiones epilepticae, vel etiam coma huic morbo sub initium eruptionis supervenerint (quod quandoque accidit in pueris ac junioribus hoc morbo laborantibus), omnino oportet, ut epispasticum amplum ac forte posteriori cervici adplicetur, atque porro ut paregoricum e syrupo de meconio statim exhibeatur, repetendum singulis noctibus usque dum convaluerit; imperando interim, ut aeger bibat pro potu ordinario lac cum triplo aquae coctum, et a carnis esu abstineat.

CAPUT III.

Pleuritis.

Hic morbus, quo nec alius frequentior, nullo non tempore infestat, potissimum vero anno inter ver et aestatem ambigente. Nam per id temporis sanguis a nova solis vicinia excalefactus in effervescentias et inordinatos motus effraenatius ruit. Temperamento sanguineo praeditos prae reliquis adgreditur, saepe etiam rusticos, et duro jam fractos membra labore. A rigore plerumque atque horrore orditur, quos excipiunt calor, sitis, inquietudo, et caetera febrium symptomata plus satis nota. Elapsis pauculis horis (licet aliquando multo serius ingruat symptoma hoc) aeger vehementi dolore, eoque punctorio, in laterum alterutro circa costas corripitur, qui nunc versus omoplatas, nunc spinam, nunc ex adverso versus

anteriora pectoris se propagat. Tussi etiam crebra adfligitur, quae magnum adfert cruciatum a partium inflammatarum contentione ortum, unde spiritum subinde reprimit, ut prima tussiendi molimina coërceat. Quae singulis vicibus anacatharsi rejicitur materia, sub initio morbi pauca et tenuis conspicitur, et saepe sanguinis particulis intermixta; sed procedente morbo copiosior est et magis concocta, sanguine etiamnum permixto. Febris interea pari passu incedit, quin et vires sumit a symptomatis illis, quae ab ipsa nascuntur. Atque dicta febris cum funesto comitatu omni (tussi scilicet, sputo sanguinis, dolore, etc.) pro ratione liberioris materiae morbificae expectorationis sensim minuitur. At vero materia hunc morbum committens non semper, eodem procedente, concoctionem expectorationi debitam attingit: fit enim non raro, ut materia paucula adhuc et tenuis, sicut in principio morbi, tussiendo educatur, et consequenter febris cum reliquis symptomatis ne hilum remittat, donec aegrum jugulaverit. Aeger interea nunc alvo est nimis adstricta, nunc soluta nimis dejectionibus crebris et liquidissimis. Est, ubi morbo admodum invalescente, et venaesectione non celebrata, aeger ne tussire quidem valeat, sed immani dyspnoea laborans tantum non suffocetur inflammtionis vi; quae tanta aliquando reperitur, ut pectus ne ad spatium quidem respirationi debitum sine exquisitissimo dolore queat expandi. Est etiam, ubi post ingentem inflammationem et omissam phlebotomiam, quae nascente morbo fuerat imperanda, mox ad apostema res redit, pure in thoracis cavitatem subinde depleto; quo in casu, quamvis primaria febris vel omnino cessat, vel mitius saltem urget, attamen in vado non est aeger, sed empyemate, atque febre hectica succedentibus, miser tabe exstinguitur.

Jam vero licet pleuritis propriae illi atque specificae sanguinis inflammationi, quae eam, quando effectus primarius existit, producere solet, originem suam debeat; per accidens tamen aliis febribus quandoque supervenit, cujuscumque demum generis eae sint, ex praecipitatione scilicet materiae febrilis in pleuram vel musculos intercostales. Atque illud quidem in ipso fere febris initio accidit, cruda adhuc

existente materia febrili, nondumque per idoneam ebullitionem subacta, adeoque nec ad separationem debitam per loca magis conferentia praeparata. Hoc autem incommodi saepissime ex intempestivo ac praepostero calidorum medicamentorum usu infertur, qualia a nobilibus quibusdam feminis exhiberi solent; quarum interim benevolentia caritasque multo melius in pascendis pauperibus, quam in iisdem medicandis collocaretur. Atque illae quidem eo consilio (si tamen ullo utantur) id faciunt, ut in primo statim febris insultu provocetur sudor; parum cogitantes, quam inconsulto atque infeliciter idem tentent. Natura enim hoc pacto turbata humores adhuc crudos existentes expellere, qua data porta, cogitur; atque adeo nunc in cerebri meninges impetu fertur materia febrilis, indeque phrenitis nascitur; nunc ad membranam costas succingentem idem malum adpellit, ex quo pleuritis oboriri solet; praesertim ubi aegrorum aetas ac temperamentum annique tempestas inter ver atque aestatem ambigens sua etiam symbola ad hanc rem contulerint. Certe enim tempestate illa febres in pleuritidem transire proclives sunt.

Pleuritidem autem ejusmodi quam diximus praecipitationi ortum suum debere, evacuati per venaesectionem cruoris color subindicare videtur. Nimirum sanguis (saltem ille, qui post primam vicem extrahitur) ubi refrixerit, sevi liquati prae se fert speciem ad crassitiem satis conspicuam, ac superficiem habet veri puris aemulam, et tamen ab eo longe diversam, utpote quae fibris, instar reliqui sanguinis, arcte contexitur, nec ad modum puris diffluit, quin a reliquo divulsa discolor illa pars formam cuticulae tenacis et fibris refertae exhibet; et fortasse nihil aliud est, quam fibrae sanguineae, quae rubicundo ac naturali suo integumento per praecipitationem exutae, ambientis aëris frigore in membranam hujusmodi subalbidam concrevere. At vero (ut id obiter attingam) animadvertendum est, quod si sanguis e secta vena non recto flumine versus horizontem prosiliat, sed per cutim repens perpendiculariter dimanet, utut celeri se proripiat gradu, saepe tamen ad dictum colorem non accedit, cujus ego me causam nescire fateor. Neque aeger ab istiusmodi san-

guinis missione perinde levatur, ac si modo primum descripto fluat. Quinimmo cum hoc ipso modo extrahitur, si orificium angustius, sive quid aliud obstiterit, quo minus pleniori exeat gurgite, neque hic sanguis pleuriticorum sanguinem colore aemulatur, neque aeger par exinde commodum capit. Observavi etiam, quod si sanguis recens extractus, quocumque demum modo fluxerit, inmisso digito agitetur, superficie rubenti ac florida, ut in aliis morbis quibuslibet, spectabitur.

Utut vero sanguis se habet, morbus hic tametsi infamis, et plerisque aliis suapte natura periculosior, tamen si perite tractetur, facile vincitur; et quidem non minus certo et constanter, quam alii medicorum conatus ad homines ab orci faucibus liberandos morbosque averruncandos, perduci ad exitum felicem solent.

Variis hujusce morbi phaenomenis diligenter perpensis, nihil aliud illum esse arbitror, quam febrem, a propria et peculiari sanguinis inflammatione ortam, qua natura materiam peccantem in pleuram deponit, nonnumquam et in pulmones, unde peripneumonia suboritur; quam a priore, gradu tantum et pro majore ejusdem caussae intentione extentuque latiori, differre autumo.

Curatio.

Hunc itaque in dicto morbo pellendo mihi scopum propono, ut scilicet sanguinis inflammationem reprimam, et particulas ejusdem accensas, quae in membranam costas succingentem vim fecerunt et incendio collabefactarunt omnia, per evacuationes debitas revellam.

Quamobrem in venaesectione spem ponens maximam, ut primum accersor, sanguinem e brachio lateris adfecti ad uncias decem aut circiter mittendum curo. Potionem deinde sequentem statim a venaesectione primum celebrata sumendam praescribo.

Rec. Aq. Papav. Rhoead. unc. IV. Sal. Prunell. drachm. un. Syr. Violar. unc. un. M. F. Haustus. Eodem tempore sequentem emulsionem praescribo.

Rec. Amygd. dulc. N. vij. Sem. Melon. et Pepon. aa. unc. sem. Sem. Papav. alb. drachm. duas. Contundantur simul in mortario marmoreo, sensim

adfundendo Aq. Hord. libr. un. sem. Aq. Rosar. drachm. duas. Sacchar. Cand. unc. sem. M. F. Emulsio; Cap. unc. IV. quarta quaque hora. Pectoralia etiam impero frequenter usurpanda, e. gr.

Rec. Decoct. pectoral. libr. duas. Syr. Violar. et Capill. Ven. aa. unc. un. sem. M. F. Apozema; Cap. libr. sem. ter in die.

Rec. Olei Amygdal. dulc. unc. duas. Syr. Violar. et Capill. Ven. aa. unc. un. Sacchar. Cand. drachm. sem. M. F. l. a. Eclegma, de quo lambat saepius in die. Oleum etiam Amygd. dulc. per se, vel Oleum Sem. Lini recenter extractum magno saepe cum fructu adsumuntur.

Diaetam quod spectat, carnibus omnino interdico, atque insuper earumdem decocto quamlibet limpidissimo. Consulo, ut jusculis vescatur hordeaceis, avenaceis, et panatella, et pro potu utatur ptisana ex decocto hordei cum rad. Acetosae, Liquirit. etc. ac nonnumquam cerevisia lupulata tenui.

Porro sequens unguentum praescribo. Rec. Ol. Amygd. dulc. unc. duas. Ung. pomati, et dialthaeae aa. unc. un. M. F. Linimentum, quo inungatur latus adfectum mane et sero, superinponendo folium brassicae. Jubeo item, ut in dictorum remediorum usu persistat per omnem morbi decursum.

Eodem ipso die, quo primum accersor, si dolor vehementer urgeat, sanguinis eamdem quantitatem rursus detrahi praecipio, vel nihilominus die sequenti, ut etiam tertio die; atque hoc modo ad quartam usque vicem, continuis quatuor diebus (nisi prius aeger convaluerit), venaesectionem repeto, ubi scilicet dolor atque alia symptomata admodum saeviunt. At vero, si vel morbus remissior et minoris periculi patiatur, ut lentiori pede progrediar, vel etiam dejectae aegri vires non facile ferant venaesectionem post tam brevia intervalla repetitam, phlebotomiam jam bis celebratam non deinceps repeto, nisi interjecto die uno aut altero inter singulas vices. Qua quidem in re normam mihi statuo contraindicantia; hinc nempe morbi violentiam, inde vero imminutas fractasque aegri vires ad invicem trutinatas. Et quamquam in curandis morbis integrum mihi esse volo, ut plus minusve sanguinis pro rei ratione demendum praecipiam, raro tamen observavi pleuresin

confirmatam in adultis minori quam 40 circiter unciarum sanguinis impensa sanatam: licet in pueris semel tantum aut bis secuisse venam ut plurimum suffecerit. Neque, quae nonnumquam supervenit, diarrhoea repetendis jam dictis venaesectionibus obicem ponit; quae quidem ipsa hac methodo brevi sistetur, etiam non adhibitis medicamentis restringentibus.

Enemata vel in solidum omitto, vel maxima, qua fieri potest, inter repetitas venaesectiones intercapedine curo injicienda, eaque non nisi simplicissima illa e saccharo in lacte soluto.

Durante morbo id ago, ne aeger nimis exaestuet, ac proinde liberum illi facio, ut lecto quotidie eximatur, idque ad horas aliquot, prout vires suaserint, quod quidem tanti est in hoc morbi genere, ut si aeger lecto jugiter adfigatur, neque haec tam larga sanguinis evacuatio, neque remedia alia utcumque refrigerantia ad dicta symptomata perdomanda vel minimum aliquando proficiant.

Mox ab ultima venaesectione, nisi forte prius id contingat, symptomata omnia mitescent, et aeger (qui per aliquot adhuc dies et a liquoribus spirituosis quibuscumque, et a crassioribus cibis arcendus est) pristinas vires non ita diu post resumet: quo quidem tempore non abs re erit, ut alvus tenuiori aliquo cathartico sollicitetur.

Jam vero si quem moveat, quod huic viae insistentes expectorationem vix quidem attingamus, nedum quibus illa rationibus per varia morbi tempora sit promovenda, operosius disseramus, sciat ille, haec non per incuriam nobis excidisse, sed dedita opera diuque satis cogitata, neglecta tandem fuisse et praeterita: cum semper existimaverim, in summo discrimine versari illos, qui morbum hunc expectorationi eliminandum committerent. Nam ut taedium hujus methodi, qua natura materiae morbificae ejiciendae satagit, omittamus, nimium periculosae insuper res est aleae; cum non raro eveniat, parte aliqua materiae jam concocta, forte etiam per *ἀναζάθαρσιν* rejecta, reliquam adhuc crudam manere, idque successive, praestantissimis quibusque remediis maturantibus expectorantibusque incassum usurpatis, cum expectoratio nunc quidem satis auspicato proce-

dat, nunc penitus supprimatur; aegro interim usquequaque periclitante, atque pro meo in expectorationem imperio (quod sane nullum prorsus est) sive vivis, sive etiam mortuis adjudicando. Cum e diverso, mediante venaesectione, morbifica materia penes meum sit arbitrium, et orificium a phlebotomo incisum tracheae vices subire cogatur. Quinimmo constanter adsero, huncce morbum, qui, si juxta praecepta a nobis damnata tractetur, inter patentissimas orci januas merito recensetur, aeque certo ac tuto methodo jam a me praescripta (ut de brevissimo, quo profligatur, tempore nihil jam dicam) ac alium quemlibet morbum debellari. Necdum mihi innotuit vel minimum damni a tam larga sanguinis (ut imperitis videri potest) detractione cuiquam fuisse inlatum.

Saepe quidem adgressus sum in tractando hoc adfectu, θεραπείας rationem aliquam stabilire, quae citra ingentem hanc sanguinis jacturam subsisteret, nempe vel humorem resolvendo, vel expectorationis promotione illum evacuando. Sed nondum ea sors mihi contigit, ut huic ipsi, supra memoratae praxi, parem aliquam reperire potuerim; cujus beneficio (non obstante tristi illa apud HIPPOCRATEM de pleuritide sicca prognosi) aegrum etiam non moratus expectorationem ab insultu morbi vindico; per ipsum sectae venae orificium et pleuritidi fugam parans, et sanitati reditum.

Quandoquidem vero hujus morbi curatio in repetita venaesectione fere tota stat, quae tamen ab imperitis chirurgis, et nescio quibus medicastris in locis ab oppidis populosioribus longe dissitis celebrata, miseros a punctura tendinum in artus amittendi, atque adeo in vitae magnum discrimen saepissime conjicit; non e re fore duxi, rationem huic malo succurrendi, si forte fortuna impingatur, hic subnectere. Qui vero punctura hujusmodi plectuntur, dolorem non statim sentiunt, sed duodecim horis post phlebotomiam se eodem adfici conqueruntur, non tam in orificio nuper facto, quam in partibus ad axillam tendentibus, ubi tandem dolor se figit, et tunc maxime percipitur, cum brachium extendatur; attamen laesa pars tumore admodum insigni non adficitur, eodem avellanae magnitudinem vix superanti, sed ex orificio humor aqueus vel ichor quidam jugiter

destillat, quod quidem praecipuum puncturae tendinis diagnosticum est habendum. Ita curatur, ut et propriis oculis ipsus observavi.

Rec. Rad. Lilior. albor. unc. IV. Coq. ad teneritudinem in Lactis Vaccini libr. duabus. Deinde Rec. Farin. Lini et avenac. aa. unc. tres. Coquantur farinae ad Cataplasmatis consistentiam in s. q. Lactis a radicibus praedictis colati, et radicibus contusis misceantur. F. Cataplasma, parti adfectae calide adplicandum mane et vesperi.

CAPUT IV.

Peripneumonia notha.

Hyeme ingruente, at saepius sub ejusdem exitum, vereque adhuc nascente, quotannis emergit febris symptomatis peripneumonicis haud paucis conspicua. Paulo habitiores ac crassos ea prae caeteris adgreditur, virilem aetatem vel adsecutos, vel etiam (quod saepius accidit) praetergressos, liquoribus spirituosis (vini maxime spiritui) plus aequo addictos. Cum enim in hujusmodi hominibus sanguis humoribus pituitosis, brumae tempore congestis, fuerit oneratus atque idem ab ineunte vere in novum motum cieatur, tussis hanc nacta occasionem mox subingreditur, qua ministra dicti humores pituitosi in pulmones irruunt: quo tempore si forte aeger nullo vivens consilio liquores ejusmodi spirituosos adhuc liberalius hauriat, crassescente jam fere, quae tussim excitabat, materia, et ab ea praecluduntur pulmonum aditus, et febris omnem sanguinis massam depascitur. Primo febris insultu nunc incalescit aeger, nunc friget: vertiginosus est, de capitis dolore queritur lancinante, quoties tussis importunius fatigat; potulenta omnia vomitu rejicit, nunc sine tussi, nunc illa vexatus. Urina turbida cernitur, et rubens intense. Sanguis detractus pleuriticorum sanguinem refert; anhelus saepenumero spiritum crebro ac celeriter ducit. Si moneatur, ut tussim provocet, haud aliter dolet caput, ac si in partes mox dissiliret (qua loquendi formula aegri utplurimum utuntur). Dolet

et thorax omnis, vel saltem pulmonum coarctatio adstantium auribus percipitur, quoties tussit aeger, pulmone non se satis dilatante, praeclusis adeo ab intumescentia, ut videtur, meatibus vitalibus; unde intercepta circulatione, sanguineque quasi praefocato, nulla fere praesertim in habitioribus febris indicia sunt; licet hoc accidere etiam possit ob materiae pituitosae copiam, qua horum sanguis gravatus in plenam ebullitionem nequit adsurgere.

Curatio.

In curanda hac febre id mihi negotii dari sentio, ut sanguinem istum qui ad pulmonum et suffocationem et incendium facit, phlebotomia revellam; ipsos pulmones remediis pectoralibus deobstruam atque eventilem; et diaetae refrigerantis ope totius corporis calorem compescam. Cum vero hinc materiae pituitosae saburra in venis contenta pulmonum inflammationi fomitem quotidie subministrans, venaesectionem saepe repetitam videretur indicare; illinc vero observatio, quam facere potui diligentissima, me doceret, phlebotomiam saepe repetitam febricitantium iis, qui crassiore essent corporis habitu (praesertim aetatis florem praetergressis), pessime cessisse, atque adeo ab ejusmodi repetitione haud minus absterreret; catharsin ego crebriorem venaesectioni succenturiabam, quae ei satis recte substituitur in illis, qui a largiori et iterata saepius phlebotomia abhorrent.

Ad hunc itaque modum processi; sanguinem e brachio in lecto jacentis extrahendum praecepi, nec passus sum, ut ex eo surgeret ad duas tresve horas; cum omnis sanguinis eductio, quae universam corporis compagem labefactat quadamtenus concutitque, hoc pacto facilius toleretur; ita ut mitius cum aegro agatur, cum in lecto cubanti unciae decem fuerint detractae, quam si sex septemve tantum amiserit, postquam e cubili surrexerit. Die sequenti potionem sequentem mane sumendam propino.

Rec. Cassiae extract. unc. un. Glycyrrhizae drachm. duas. Ficus pingues N. IV. Fol. Senn. drachm. duas sem. Agarici trochiscat. drachm. un. Coq. s. q. aq. Colat. unc. IV. dissolve Mannae unc. un. Syr. Ros. solut. unc. sem. M. F. Potio.

Postridie sanguinem secunda vice mittere soleo, atque interjecto die uno potionem catharticam modo praescriptam iterum exhibeo, diebus alternis jugiter repetendam, donec omnino convaluerit aeger. Diebus a purgatione vacuis, Decocto pectorali, Oleo Amygdal. dulc. ac id genus aliis ut utatur consulo.

A carnibus et earum jusculo, maxime vero a liquoribus spirituosis quibuscumque, aegrum interim inhibeo; quorum loco ptisanam ex hordeo et Liquiritia (cerevisiam item tenuem, si eam efflagitet), pro potu ordinario concedo.

Atque ista quidem methodo vincenda est peripneumonia haec notha, orta ab exundanti colluvie pituitosa in sanguine adgesta ob hyemis analogiam, et in pulmones explosa; in qua non tantum iterata venaesectio, sed et catharsis etiam indicabatur, secus atque in vera peripneumonia, quam ego ejusdem plane indolis cum pleuritide esse arbitror, atque ab illa in eo tantum differre, quod peripneumonia pulmones universalius adficiat. Quin et utrique morbo pari omnino methodo medemur, venaesectione scilicet prae caeteris, et medicamentis refrigerantibus.

Notha haec peripneumonia, licet ad asthma siccum aliquantulum accedat, tum quoad spirandi difficultatem, tum etiam alia quaedam symptomata, ab illo tamen satis dignoscitur, cum in ista manifesta febris atque inflammationis signa se prodant, quae in hoc nusquam comparent; quamlibet in hac specie minora sint longe ac obscuriora illis, quibus insignitur vera peripneumonia.

Diligenter autem animadvertendum, quod ubi vini spiritui aut aliis id genus liquoribus, cum hoc morbo conflictantes se olim addixerint, minime tutum erit, eos statim ac derepente ab iis depellere; sed sensim id agendum, quo minus hydropi tam repentina mutatio ac abrupta viam sternat. Quod etiam in morbis quibuscumque ab hac *προφάσει* oriundis observari debet. Cum vero de spiritu vini mentio fuerit facta, hic obiter dicam. Optandum sane esset, quod aut idem omnino exulet, aut saltem spiritibus reficiendis, non vero iisdem exstinguendis usurpetur: nisi quis internum ejus usum prorsus abdicandum maluerit, proindeque a chirurgis solum ad ulcera digerenda fotibus inmiscendum, aut ambustis

extus admovendum: quo postremo casu omnibus remediis, quotquot adhuc inventa fuere, hic liquor facile palmam praeripit, cum cutim subjacentem ab omni putrefactione tueatur ac vendicet, atque eo nomine curationem quam cito absolvat, digestionem, quae non nisi admodum tarde sua tempora percurrit, etiam non moratus: nempe si lintea spiritu vini imbuta partibus ab aqua ferventi, pulvere pyrio, vel simili laesis, quam primum hoc infligitur malum, adplicentur, eademque spiritu dicto madefacta subinde repetantur, donec dolor ab igne penitus evanuerit, et postea solum bis in die.

CAPUT V.

Rheumatismus.

Nullo non tempore incessit hic morbus, maxime autumno, et prae caeteris annis florentes et *οἷς γόνυ χλωρὸν*. Hac utplurimum occasione nascitur; aeger scilicet sive exercitio aliquo vehementiore, sive alio modo excalefactus mox repentinum frigus admisit. A rigore atque horrore orditur tragoediam, quos statim excipiunt calor, inquietudo, sitis, et reliqua illa infelix symptomatum caterva, quibus stipantur febres. Elapso die uno alterove (est et ubi citius), aeger atroci dolore, nunc in hoc, nunc in illo artu infestatur, in carpis, humeris, genubus praesertim; qui locum subinde mutans, vicissim illos occupat, rubore quodam et tumore in parte, quam postremum adfecit, adhuc residuis. Primis aliquot diebus, febris et symptomata jam memorata quandoque coincidunt; febris autem sensim evanescit, manente dolore, quin et nonnumquam inmanius saeviente, materia scilicet febrili in artus translata; quod satis arguit febris ipsa saepius recrudescens ob materiam morbificam ab intempestivo externorum usu repercussam. Morbus hic quoties a febre sejungitur, arthritis saepe audit; quamvis essentialiter ab illa distinguatur, prout cuivis facile constabit, cui uterque morbus intimius fuerit perspectus: unde forsan petenda est ratio, cur tam sicco illum pede transive-

rint scriptores medici, nisi forte arbitremur, hanc morbi speciem ad reliquam malorum Iliada de novo accessisse. Utut se res habeat, jam plus satis grassatur hic morbus; et licet rarissime hominem e medio tollat, febre semel depulsa, tamen et vehementia doloris et diuturnitas eum prorsus contemni non sinunt. Etenim si minus perite tractetur, non ad menses tantum, sed ad annos etiam aliquot, immo per omnem adeo vitam miserum haud infrequenter discruciat; quamvis in hoc casu non eodem semper vigore, sed paroxysmis quibusdam periodice repetitis adinstar arthritidis subinde lacessit: immo vero potest fieri, ut ubi diu multumque vexaverint dicti dolores, tandem sponte desistant; atque interim aeger omni membrorum motu ad mortem usque privetur, digitorum articulis quasi inversis, et protuberantiis, ut in arthritide, nodosis in interna magis, quam externa digitorum parte, se prodentibus; stomacho nihilominus valeat, et caetera sanus vitam toleret.

Est et alia hujus morbi species, licet non hujus esse prosapiae vulgo credatur, quae lumbago rheumatica aptissime dicetur: immanis dolor scilicet, idemque fixus circa lumborum regionem, ipsumque aliquando ad os sacrum se demittens paroxysmum nephriticum mentitur; nisi quod aeger non vomituriat; nam praeter dolorem atrocissimum et vix ferendum circa ipsos renes, aliquando et ureteres per omnem eorum ductum ad vesicam usque eodem licet mitiori, tentantur. Qui et mihi olim imposuit, tamquam a materia aliqua sabulosa in iis partibus haerente penderet; cum revera materiae rheumatismi peccanti et inflammatae ortum suum debeat, quae quidem partes illas jam solas urit, intacto reliquo corpore. Immanis hic dolor, nisi abigatur eodem modo, quo prior species, pariter etiam perdurat, pari saevitia excrucians; adeo ut miser nequeat procumbere; sed vel e lecto exsiliat, vel super eodem erectus sedeat, corpore interim perpetua agitatione nunc versus anteriora, nunc posteriora inclinato reductoque.

Curatio.

Cum utraque haec morbi species ab inflammatione videatur oriri; quod tum jam dicta arguunt phaeno-

mena, tum praesertim sanguinis venaesectione educti color, utpote qui pleuriticorum sanguini tam est similis, quam ovum ovo; neque quisquam reperiatur, qui hos inflammatione laborare vel quidem dubaverit: his, inquam, ita se habentibus, censeo ego, curationem non aliunde quam a phlebotomia debere sumi; sanguine interim contemperato ejusque nimio fervore represso, tum medicamentis refrigerantibus atque incrassantibus, tum etiam conveniente regimine.

Ac proinde ut primum accersor, statim sanguinis unc. x, e brachio lateris adfecti mitti jubeo, et Julapium refrigerans, incrassansque, ad hanc fere normam praescribo. Rec. Aq. Nymph., Portulac. et Lactuc. aa. unc. iv. Syr. e Limonibus unc. un. sem. Syr. Viol. unc. un. M. F. Julap. de quo bibat ad lubitum; vel etiam emulsionem in curatione morbi lateralis jam descriptam. Ad dolorem sedandum, cataplasma e mica panis siliginei, et lacte Croco tincto, vel fol. brassicae parti adfectae adplicandum, et saepe renovandum curo. Diaetam quod spectat, carnibus prorsus interdico, quin et eorum jusculo, quantumlibet tenui, limpidoque; quibus substituo juscula hordeacea, avenacea, panatellam, et ejusmodi. Cerevisiam tenuem, mitemque pro potu tantum concedo, vel etiam (quae magis ad rem facit) ptisanam ex hordeo, rad. Liquirit. Acetosae, etc. in aqua fontana incoctis. Volo interim, ut per aliquot horas singulis diebus lecto se abstineat, cum calor, qui a jugi decubitu nascitur, morbum promoveat intendatque.

Die sequenti sanguinis tantumdem detrahi praecipio, atque intercalato die uno alterove, pro aegri viribus tertio: dein interjecto trium quatuorve dierum intervallo (prout aegri vires, aetas, constitutio, aliaeque circumstantiae suadent monentque) quarto, atque ultimo utplurimum, venaesectionem repeto; raro enim usu venit, ut ultra quartam vicem venam incidamus, nisi vel regimen justo calidius praecesserit, vel medicamina calidiora aegro praeter necessitatem fuerint ingesta. Quin et anodyna sive paregorica dicta remedia effusiorem sanguinis missionem postulant: quamobrem utut saeviat dolor, per omnem hujus morbi decursum, religiose mihi ab his temperandum existimo, modo mihi animo sit curationem a

sanguinis missione solum petere, cum illorum usu figatur morbus, neque tam facile venaesectioni cedat; quae ideo ob haec ipsa medicamenta officiose nimis exhibita saepius, quam erat opus, celebranda est. Quid quod et in morbi statu neque eam, quam titulo pollicentur, *ἀναλγησίαν* valeant praestare.

Interim dum praedicta remedia diaetaque sedulo usurpantur, enema e lacte saccharato subinde injici curo, diebus scilicet a phlebotomia vacuis. Porro ut haec omnia ad dies minimum octo ab ultima venaesectione diligenter observentur, serio hortor moneoque; quibus elapsis, potionem catharticam e lenitivis praescribo mane hauriendam, et insequenti vesperi dosin paulo liberaliorem Syr. de Meconio in Aqua fl. Paralys., quo scilicet sanguinis orgasmus, unde et recidivae periculum aliter intentari poterit, penitus reprimatur. Quibus rite peractis, ut in pristinum vitae genus (quoad victum, exercitia atque aërem) pedetentim se recipiat, lubens patior; ita tamen, ut neque vinum, neque liquorem spirituosum quemlibet, neque etiam cibos, sive sale, sive aromatis conditos, sive etiam *δύσπεπτα* quaecumque, nisi diu postea, degustare liceat.

Post venam, quoties supra innuimus, pertusam aegri dolores admodum imminuentur, neque tamen adhuc prorsus evanescent; at vero resarcita, quam fecerat sanguinis detractio, virium jactura (superveniente maxime proximo illo anni tempore, quod magis faciet ad redintegrandum corporis robur, quam id, quo primum decubuit aeger) symptomata ad unum omnia cessabunt, atque aeger pancratice in posterum valebit.

Jam vero, tametsi praedicta methodo, aut alia huic simili tempestive atque sub ipso morbi ingressu adhibita, eum, quem jam dixi, finem utplurimum sortiatur; non raro tamen accidit, ut ubi aeger per errorem contrario plane modo fuerit tractatus, doloribus vagis, nunc quidem mitioribus, nunc vero atrocioribus, per omnem vitam misere discrucietur, qui quidem minus cautis nullo negotio imponunt, et pro scorbuti symptomatis vulgo habentur. Hic enim obiter, sed et libere tamen dicam, quod, licet nullus dubitem, quin scorbutus in his plagis borealibus revera inveniatur, tamen eum morbum non tam fre-

quentem, quam fert vulgi opinio, occurrere persuasum mihi habeo; multos autem ex iis adfectibus (ne plurimos dicam) quorum nomine scorbutum incusamus, vel morborum fientium, nondum vero factorum, quique nullum adhuc certum induerunt typum, effecta esse; vel etiam infelices reliquias morbi alicujus nondum penitus devicti, a quibus sanguis ceterique humores contaminantur. Verbi gratia, quibus in corporibus materia aliqua, arthritidi producendae apta, recens generatur, nondum tamen in artus depluit, varia se ostendent symptomata, quae scorbuti suspicionem facient, donec arthritis jam formata atque actu se exserens nullum amplius dubitandi locum relinquat. Neque ignoramus, non pauciora symptomata scorbutum mentientia podagricos jam a paroxysmo liberatos infestare; dum scilicet vel intempestivus evacuantium usus, vel aegri effoeta aetas, vel alia aliqua caussa naturam interpellaverit, quo minus materiam omnem arthriticam in artus exonerare valuerit; quae adhuc retenta, cum τὶ ἀνεπιτήδειον existat, totam sanguinis massam inquinat, et confertissimo pessimorum symptomatum agmine hominem lacessit. Quod quidem non de arthritide tantum, sed et de hydrope adhuc incipiente dictum volo; de quo morbo licet vulgo jactetur, ubi desinit scorbutus, ibi incipit hydrops, haec tamen regula saepe saepius non aliter est accipienda, quam quod, ubi primum se hydrops manifestis prodit indiciis, praeconcepta de scorbuto opinio statim collabascit. Potest et idem hoc adfirmari de quamplurimis aliis morbis chronicis, vel adhuc in corpore humano nascentibus, quique proinde nondum certum aliquem sibi cuderunt typum; vel etiam de illis, qui, licet partim fugati sint, nondum tamen penitus debellati exterminatique videntur. Et sane nisi hoc concedamus, scorbuti nomen, uti hodie fit, in immensum crescet, et omnem fere morborum numerum absolvet. Cum, si id sedulo agamus, ut abdita cujusque morbi penetralia perscrutemur, eumque post irregularium symptomatum vela latentem eruamus, sua se mox specie sit proditurus, et ad illam, ad quam attinet, familiam haud difficulter relegandus. Quin et methodus, qua hujuscemodi morbi sunt abigendi, non adulterinis illis symptomatis, sed ipsi

morbo, qualisnam is demum fuerit, ceu perfecte formato, jamque actu existenti adcommodanda.

Sed hic notandum, non adeo consultum esse, quando rheumatismus aliquot annorum diuturnitate altas radices egit, sanguinem tam brevibus, ac sub ejusdem primordiis fiebat, intervallis mittere; quin praestare, septimanarum aliquot intercapedine repetitas illas venaesectiones disterminare; quae tandem vel penitus materiam morbificam averruncabunt, vel saltem eo conducent, ut fontanella in crurum alterutro excitata, et spiritu quovis volatili in vino Canarino mane et sero exhibito reliquiae ejus exstirpentur.

Jam vero quantumcumque discriminis inter verum rheumatismum, ut supra innui, et scorbutum intercedat, aliam tamen speciem esse rheumatismi, quae ad scorbutum quam proxime accedit, omnino confitendum est, utpote quae insigniora hujus morbi symptomata aemulatur, et pariter eadem ferme remedia sibi vendicat, ideoque mihi rheumatismus scorbuticus audit. Dolor nunc hanc, nunc illam partem obsidet, sed eandem in tumorem ac in alia specie raro attollit, neque febrim sibi comitem adjungit. Insuper non adeo fixus manet, sed indolem magis vagam ac incertam refert, cum anomalis inconditisque symptomatis stipatus. Nunc hunc vel illum artum discruciat, mox internas solum partes adficit, proindeque aegritudinem parit, quae redeunte externarum partium dolore iterum se proripit; ita aegrum alternatim divexans, ac in diuturnitatem longam se protrahens adinstar morborum, qui vel maxime chronici habentur. Feminas prae reliquis adoritur, ut et viros, qui imbecilliori natura sunt; adeoque ad adfectuum hystericorum classem referri debere plane suspicarer, nisi quod iterata experientia comprobassem, eum remediis hystericis minime cessisse. Illi etiam, qui longum et repetitum corticis peruviani usum experti sunt, huic malo sunt obnoxii; quod quidem (ut obiter attingam) unicum est incommodum, quod ex hoc remedio illatum novi unquam. Sed utut id sit, hic adfectus sive ex hac occasione, sive ex alia quacumque caussa originem ducit, quam facillime debellatur vinciturque usu sequentium, quae nisi privato commodo publicum prae-

tulissem, prorsus mihi reticenda essent. Etenim his solis quam multos, eo quo descripsimus modo laborantes, sanavi, quibus venaesectiones, quantumlibet repetitae, cathartica, diaeta lactea, pulveres testacei, etc. ne hilum profecerunt. Atque haec sunt:

Rec. Conserv. Cochlear. hortens. rec. unc. duas. Lujul. unc. un. Pulv. Ari comp. drachm. vj. cum s. q. Syr. Aurant. F. Electuar. Capiat drachm. duas ter in die per mensem integrum, superbibendo Aquae sequentis unc. tres.

Rec. Cochlear. hortens. M. viij. Beccabung., Nasturt. aquat., Salviae, Menthae, aa. M. iv. Cort. Aurant. n°. vj. Nuc. moschat. contus. unc. sem. Infundantur in Cerevisiae Brunsvicensis libr. xij. ac destillentur organis communibus, et eliciantur tantummodo Aquae libr. vj. pro usu. Atqui praecisa dosis pulv. Ari comp. observetur, aut saltem eadem non minuatur.

CAPUT VI.

Febris erysipelatosa.

Nullam non corporis partem, idque nullo non tempore incessit hic morbus, at prae reliquis faciem, exeunte praesertim aestate; quo tempore saepe, dum sub dio versatur, corripitur aeger. Facies siquidem ex improviso in tumorem attollitur, qui subito exorsus cum dolore ruboreque summis, denso minimarum pustularum ordine distinguitur; quae, aucta magis inflammatione, in vesiculas subinde facessunt: hinc per frontem ipsumque caput latius serpit, oculis interim tumoris magnitudine plane obrutis (rusticis sideratio audit); neque multum profecto abludit, nisi quod adsunt pustulae, ab iis symptomatis, quae inflicta ab apum vesparumque aculeis comitantur vulnera. Hoc se habet modo erysipelatis notissima species ac vulgaris.

At vero quamcumque corporis partem hoc vitium obsederit, ut etiam quocumque anni tempore rigor atque horror, nisi praecesserint (quod nonnumquam pridie, aut nudius tertius solet contingere), huic se

inflammationi utplurimum adjungunt sitis insuper, inquietudo, ac reliqua febrium indicia. Procedente morbo, uti primum febris dolorem, tumorem, atque alia peperit symptomata (quae indies ingravescentia nonnumquam in gangraena terminantur), ita haec invicem haud mediocrem ad febris augmentum conferunt operam, donec remediis idoneis utraque restinguantur.

Est et alia hujusce morbi species, licet rarius occurrens: haec quolibet anni tempore invadit, idque hac utplurimum προφάσει, quod scilicet aeger vinorum subtilium, magis magisque attenuantium potationi paulo liberalius indulserit, aut liquoris similis spirituosi. Febriculam, quae agmen ducit, mox excipit pustularum per universum fere corpus eruptio, quae urticarum puncturas referunt, et nonnumquam in vesiculas attolluntur; mox recedentes tuberculorum more sub cute se condunt cum pruritu mordacissimo et vix tolerando, at quoties levissimam scalpturam subeunt, rursum apparent.

Curatio.

Hic ego materiam peccantem sanguini permixtam rite evacuandam, ejusdemque sanguinis ebullitionem remediis illum contemperantibus sufflaminandam censeo; eam denique, quae jam partibus impacta est, materiam evocandam discutiendamque.

Haec ut fiant, ubi primum accedo, satis largam sanguinis quantitatem e brachio extrahi praecipio, qui quidem pleuriticorum sanguinem fere semper aemulatur. Die sequente blandam illam potionem catharticam mihi in praxi familiarem exhibeo, et hora somni (si paulo frequentius dejecerit aeger) haustum aliquem paregoricum, e. g. Syr. de Meconio in Aq. fl. Paralys. vel alium ejusmodi. Peracta catharsi, partem adfectam sequenti decocto foveri jubeo. Rec. Rad. Alth. et Lil. aa. unc. duas, Fol. Malv. Sambuc. Verbasc. aa. M. duos, Flor. Melilot. Summit. Hyper. et Centaur. min. aa. M. un. Sem. Lini et Foenigr. aa. unc. sem. Coq. in s. q. aq. ad tres libr. Colatur liquor et tempore usus adde singulis libris decocti Spirit. Vini unc. duas. Stuphae e panno laneo levis texturae hoc decocto immersae ac expressae, calide admoveantur parti bis in die, quae post fotum

quotidie illinatur seq. Mixtura. Rec. Spir. Vin. libr. sem. Theriac. Androm. unc. duas Pulv. Piperis longi, Caryophyll. aa. unc. duas. M. Charta emporetica, hac mixtura madefacta, parti circumvolvatur.

Aeger insuper ut jusculis tantum hordeaceis atque avenaceis, cum pomis assatis vescatur, volo; tum etiam cerevisia utatur tenuissima, et per horas aliquot singulis diebus a lecto sibi temperet. Hac methodo tum febris, tum alia symptomata citissime utplurimum fugantur. Sin aliter, rursus venam seco; quod et tertium nonnumquam fieri debet, interposito semper die uno, si prava nempe adsit sanguinis diathesis et febris intensior. Diebus a venaesectione liberis enema e lacte cum Syr. violaceo, et julap. refrigerantia ex Aq. Nymph. etc. in rheumatismi curatione jam dicta, qualibet hora diei usurpanda praescribo. Utplurimum vero unica venaesectio et subsequens catharsis, si tempori adhibeantur, rem expediunt.

Quae urticarum puncturas cum pruritu refert, species pari modo est amolienda, nisi quod haec remediis ab extra adplicandis minus egeat.

Hic obiter dicam, quod licet non solum hic adfectus, de quo jam loquimur, sed et plerique eorum, qui cutim impetunt, et eruptionem aliqualem comitem sibi adjungunt (modo chronici ii sint) facile huic methodo cedant, ac proinde sanguinis missione et catharsi iteratis brevi se propipiant; eorum tamen aliqui via plane diversa tractandi sunt, nec evacuationes modo dictae quantumlibet repetitae, nec pulveres testacei, sanguini edulcorando destinati, quidquam proficiunt, cum recrementa quaedam, pravam diathesin adepta, intimius cuti impingantur, non nisi remediis, quae sanguini robur ac vim conciliant, proindeque cutis spiraculis deobstruendis apta nata sunt, ullatenus amovenda debellandaque. Cum successu itaque non vulgari sequentem methodum adgressus sum in pruritu ferino, atque inveteratis id genus cutis eruptionibus. Ut

Rec. Theriac. Andromach. drachm. sem. Electuar. de Ovo scrup. un. Rad. Serpentar. Virgin. subtiliss. pulverisat. gr. xv. Lapid. Bezoard. oriental. gr. v. cum s. q. Syr. e Conditura Citri f. Bolus, sumendus mane et hora somni per dies 21, superbibendo cochl. vj. seq. Julapii.

Rec. Aq. Card. benedict. unc. vj. Aq. epidem. et theriacal. stillat. aa. unc. duas, Syr. Caryophyll. unc. un. M. f. Julapium.

Singulis matutinis post adsumtum medicamentum sudet horae unius vel alterius spatio, vel potius pluribus stragulis, quam soleret, coopertus in lectulo levi madori indulgeat per dictum tempus. His finitis si pustulae adhuc non evanuerint, sequenti linimento partes adfectae inungantur. Rec. Unguent. ex Oxylapatho unc. duas, Unguent. pomati unc. un. Flor. Sulphuris drachm. tres, Ol. Rhodii scrup. sem. F. Liniment. Verumtamen medicamenta praescripta haud usurpentur, nisi venaesectione atque catharsi rite praemissis; quae tametsi solum adhibitae curationem non absolvant, aegrum tamen contra febrim praemuniunt, ob usum medicaminum calidorum alias occursuram.

Est et alia eruptionis species, etsi minus frequens, ad cujus medelam nullae prorsus evacuationes conferunt. Haec tametsi in aliis quandoque partibus, utplurimum tamen in pectore apparet, ac loco aliquo determinato se figit, vix cutim supereminens, atque latiorem maculam prae se ferens, nisi quod aliquantulum porriginosa ac quasi furfuracea cum squamulis colore ad flavum vergente tinctis cernitur. Hac sive macula, sive impetigine vigente aeger bene se habet, eadem vero evanescente, ut saepe fit, leviculam aegritudinem patitur, atque urina ejus turbidior, et rubicundior, sed ad flavedinem accedens redditur. In hujus etiam adfectus curatione eadem via, atque iisdem post evacuationes universales plane remediis insistendum, ac in pruritu ferino modo dicto; ac proinde, quod non omittendum, vini, ut et carnium εὐπέπτων usus omnino concedendus, cum refrigerantia omnia magis officiant quam prosint. Atque ita haec postrema eruptionis species curatur, quae tamen aliquando non nisi aquis ferreis diu epotis cedet.

CAPUT VII.

Angina.

Quolibet anni tempore adgreditur, maxime tamen illo, quod ver atque aestatem interjacet, juvenes prae caeteris, et temperamento sanguineo praeditos, rufos etiam, quod non semel observavi, prae reliquis omnibus. Rigent horrentque mox a primo morbi insultu, sequitur febris, et paulo post dolor, et faucium inflammatio, cui nisi mature succurratur, aeger statim nec deglutire valet amplius, nec spiritum per nares ducere, sed cum sensu quodam strangulationis praecluduntur fauces ab inflammatione et tumore uvulae, tonsillarum, laryngis, ita ut tantum non suffocetur. Ingens ab hoc morbo periculum, utpote qui paucis nonnumquam horis hominem jugulat; quoties scilicet magna vis materiae febrilis in praedictas partes conjicitur, neque satis tempestive convenientium remediorum usu ingruenti occurritur procellae.

Curatio.

Opem laturus, sanguinem cum primis e brachio copiose detraho, mox ex ranula utraque; dein, ut partes inflammatae melle rosaceo, spiritu sulphuris ad summum acorem permixto, tangantur, auctor sum: mox gargarisma sequens praescribo, non vulgari modo usurpandum, sed ita ut in ore sine ulla agitatione contineatur, donec incalescat, dein exspuatur, et repetatur subinde. Rec. Aq. Plantag. Ros. rubr. et Sperm. Ranar. aa. unc. IV. Album. Ovorum in aquam agitando redact. n°. trium Sacch. cand. alb. drachm. tres. F. Gargarisma. Jubeo etiam, ut de emulsione in cura morbi lateralis praescripta, vel simili indies sumat.

Sequenti mane, nisi febris et dolor inter deglutiendum perceptus aliquantulum remiserint, venam in brachio rursum ferio, catharsi in diem posterum rejecta. At si utraque haec minuatur, catharticum lenitivum statim exhibeo; quod quidem post sanguinis missionem prae omnibus aliis perutile, ac adprime necessarium esse multiplici experientia comperii. Si fortean, quod quidem oppido rarum est, febris,

aliaque symptomata, etiam post catharsin, bellum minentur, iterata, ut prius, venaesectione perdomanda sunt, ut et epispastico amplo ac forti, posteriori cervici adplicando. Per integrum hujusce morbi decursum enema refrigerans emolliensque, omni mane, demto illo, quo catharsi vacat, injiciendum, atque aegrum hoc pacto reficiendum quotidie praecipio. Carnes, cujuscumque demum generis, ut et juscula ex iis parata, sacra sunto; jusculis vero hordeaceis, avenaceis, pomis coctis, ac id genus aliis vescitor; ptisana ex hordeo, vel cerevisia tenuissima utitor. Lectulo interim per horas aliquot quotidie absistat; cum hujus tepor tum febri, tum reliquis symptomatis, quae hac methodo expugnare satago, vires addat. Animadvertendum est autem, quod istiusmodi angina, quae febris, mihi stationariae dictae, symptoma tantum est, illa ipsa methodo curari amat, quam febris ea sibi vendicat, ac proinde vel per *διαφόρησιν* et cutis spiracula exterminanda est, vel per aliam qualemcumque medendi methodum, quae febri primariae, cui inhaeret, debetur; quod sedula observatione dignum.

Sunt et aliae febres intercurrentibus jure merito adnumerandae, quae, quoniam alio alioquo modo immediate abitum sibi parant, et in hoc vel illo symptomate desinunt, vulgo febres non habentur; licet tales ab origine vere fuerint, atque adfectus ille, a quo morbus nomen mutuatur, febris tantum sit symptoma, quae in illo demum terminatur. In praesentiarum duas tantum, haemorrhagiam scilicet narium ac haemoptoën, leviter perstringam.

Haemorrhagia narium.

Haemorrhagia narium quavis anni tempestate infestat, praecipue sanguine praefervido, temperamento vero debiliore praeditos; idque magis aetate ingravescente, quam adolescente. Primo utplurimum adpulsu febris prae se fert indicia, qua derepente sibi per nares, qua data porta, faciente viam, dolor et calor sinciput adhuc torquent. Sanguis ad horas aliquot profluit, dein aliquamdiu sistitur, mox denuo erumpit, atque haec vicissim: donec tandem vel remediorum usu, vel sponte sua ob imminutam copiam deperditamque cohibitus, omnino cessat; ita

tamen, ut aegro singulis annis a recidiva metuendum sit, si vel a liquoribus spirituosis, vel alia occasione qualibet aestuare contingat.

Eum hic mihi scopum propono, ut sanguinis fervor nimius atque ebullitio, unde oritur dicta praeter naturae modum extravasatio, fraenis omnibus compescatur, ejusque impetus alio vertatur. Ea propter frequenter brachii venas tundo, et sanguinem liberaliter extraho, pleuriticorum sanguini colore semper respondentem. Victus rationem refrigerantem atque incrassantem injungo; ut aquae fontanae partes tres, lactis unam, simul coctas et frigide hauriendas; poma cocta, juscula hordeacea, et similia a carnibus abhorrentia. Julapia insuper refrigerantia atque incrassantia, una cum emulsionibus in morbis inflammatoriis supra descriptis. Lectulo item ut absistat per aliquod spatium quotidie moneo; tum ut nullo non die injiciatur enema leniens refrigeransque, nec vel semel quidem omittatur: haustu quin etiam hora somni paregorico e diacodio, ceu catena constrictus sanguinis furor coërceatur. At vero quando hujusmodi haemorrhagias non raro comitetur lympha acrior, quae sanguini permista ejus motum adjuvat, venarum orificia reserando, praeter revulsionem et refrigerationem sollemne mihi est catharticum blandius vel in ipsius morbi ἀκμῇ propinare, cujus operatione finita, anodynum exhibeo praeter solitum viribus auctum; et ubi symptoma penitus evanuerit, aliud demum catharticum.

Quoad externas adplicationes. Lintea quadruplicata immersa aquae frigidae, in qua sal prunellae dissolvatur, et postea leviter expressa admoveantur nuchae ac utrimque cervici saepius in die. Item post universas evacuationes peractas liquor sequens adplicetur. Rec. Vitriol. Hungar. et Alumin. aa. unc. un. Phlegmatis Vitriol. libr. sem. Coq. tamdiu, donec omnia fuerint dissoluta. Liquorem frigefactum filtra, et a crystallis subinde natis separa. Liquori residuo adde Ol. Vitriol. duodecimam partem. Turunda ex linteo raso, liquore hoc probe humectata, nari ex qua sanguis stillat, indatur, per dies duos isthic relinquenda. Quo etiam liquore linteamina imbuta et adplicita sanguinem sistunt, ex quacumque demum parte externa idem defluat.

Haemoptoe.

Haemoptoë etiam, quae in aestatis ac veris confinio homines calidioris temperamenti, at minus robusti, adoritur, et quorum pulmones minus recte valent, prae senibus item juniores, ejusdem fere indolis cum haemorrhagia jam tractata mihi est; cum et haec quoque febris sit, quae tam nomen, quam essentiam exuit suam illa qua soluta est crisi; hoc fere tantum discrimine, quod in morbo priori sanguis nimium agitatus in narium venulas, in hoc vero in pulmones impetum facit; utque in illo, durante fluxu dolor et calor sinciput jugiter lancinant, ita in hoc pectus uterque obsidet cum debilitate quadam. Quin et hoc vitium eamdem fere quam haemorrhagia methodum medendi sibi vendicat, nisi quod catharsin minus ferat, a qua, praesertim repetita, aeger facile in tabem conjicitur. At phlebotomia crebro celebrata, enema quotidie injectum, diacodium hora somni propinatum, diaeta insuper, et medicamenta tam incrassantia, quam refrigerantia opus pro voto absolvent.

Atque haec sunt, quae hactenus observavi de numerosa ista morborum tribu in varias familias dispertita, qui febrium sub nomine censentur; atque de iis symptomatis, quae ab illa pendent: in quibus id serio egi, ut nullas putationes meas, nulla imaginaria cerebri commenta orbi venderem; animo vero sincero candidoque, nullique adeo hypothesi adstricto eorum historiam et naturalia phaenomena aliis traderem; curationes etiam pari fide, et cautela pari subnecterem. Quod si vehemens desiderium methodum certiorem, minusque lubricam in utilissimo tuendae mortalium vitae negotio expiscandi constabiliendique, me in semitas nullo antea pede calcatas pertraxerit, nemo eruditorum, uti spero, mihi imputabit, quod vel spretis aliorum judiciis meo nimium fidam, vel rebus studeam novis; cum et non spernendus rerum eventus mihi, haec investiganti, ingentes hucusque animos addiderit, et posterorum experimenta sine dubio meam fidem sint liberatura. Et profecto haud oscitanter impugnandum est hoc morborum tam pestiferum agmen, quod nullo non die cum genere humano bellum gerit in-

ternecinum atque ἄσπονδον, et cujus telis duo ad minimum hominum trientes, si eos demas, qui violenta morte perimuntur, confossi quotannis occumbunt. Indesinentes horum morborum impetus, et quotidianae, quas etiam de viris robustissimis et aetate maxime florentibus reportabant, victoriae (non obstantibus suppetiis iis omnibus, quas nobis hactenus attulere speciosae istae methodi, in speculativorum libris satis fidenter descriptae), animo meo haec primum agitanti minus satisfaciebant, cum reapse cernerem, ludicra ista cerebrorum commenta ita parum ad redintegrandam aegrorum sanitatem conferre, ut qui ad asyla haec confugerant, quidquid pollicitarentur Thrasones dogmatici, haud meliori in loco essent, quam qui neglecta arte se totos naturae permiserant. Si quid ego hic egero, quo vel periculi, vel etiam difficultatis, quae in his morbis persanandis plerumque occurrunt, pars aliqua levetur (quod salva verecundia, me mihi polliceri posse saltem spero), scopum quadamtenus adsecutus sum, et dulcissimum improbi laboris, in bono proximi quaerendo recte collocati, fructum fero. Haec praecipua fere sunt, quae jam habeo comperta (vel saltem ad methodum aliquam novi reducere), circa febres et symptomata, quae ab eisdem pendent, ad hunc usque 30 Decembris diem, an. 1675, quo haec conscribo.

Clarissimo viro,
THOMAE SYDENHAM, M. D. ROBERTUS BRADY.

Nemo uspiam medicorum, vir eruditissime, adhuc vim aëris, et influentiam in humana corpora attente perpendit; nec in vita nostra perennanda quas agit partes, eorum quispiam consideravit satis, viresque quas exserit in fermentando, alterando, et circumducendo sanguine, aut in motibus animalibus quibuscumque peragendis cujus sit energiae, et efficaciae, horum non aliquis notavit; neque ejusdem temperiem naturalem, alterationes multiplices et mutationes, quas constitutiones haud perperam indigitas, ne leviter quidem vel medici, vel historiae naturalis scriptores attigerunt, multo minus perscrutari sategerunt. Fieri sane nequit, cum in omnes corporis partes, etiam reconditissimas, aër sese insinuet, quin quas subit alterationes et mutationes a rebus, quibus inpraegnatur, easdem sanguini et succis communicet et inprimat; unde utplurimum ab hac, vel illa prava aëris constitutione oritur hujus, vel illius indolis prava sanguinis diathesis. Optimo itaque consilio observationes medicas circa morborum acutorum historiam et curationem juxta varias annorum et eorumdem partium constitutiones instituisti, cum in iisdem aëris actiones in sanguinem, succos, et spiritus praesertim (si ipse non sit spirituum materia) conspiciantur. Et nullus dubito, quin febrium indoles ab annorum temperie, in quibus grassabantur, observata utilissimam, si non unicam, methodum constituit ad praxin stabiliendam. Perge itaque, et si quae adhuc restant observationes febrium annorum nuperrime elapsorum, fac ut palam fiant, qua in re quam maxime humani generis saluti prospicies.

In sectione prima, capite quinto libri tui, paucis egisti de usu corticis indici, et ejusdem exhibendi

methodo. Equidem scio quosdam haud infimi subsellii medicos, qui in magna quantitate, et dosi saepius repetita eum exhibent; alios item, qui ex eodem extracta, infusiones, et ex infusionibus julapia, et emulsiones conficiunt; quibus modis se non tantum intermittentes, sed et continuas quasdam certo curare adfirmant: magnum procul omni dubio in curandis intermittentibus est remedium. Ego quidem per viginti plus minus annos dictum corticem varia forma, et multiplici praeparatione maximo cum successu exhibendum curavi. Si vero peculiare quidpiam de usu hujus corticis nosti, vel quid melius progrediente experientia fueris edoctus, id ne graveris precor in lucem proferre.

In curatione rheumatismi frequentem phlebotomiam, et larga manu celebratam, tamquam necessariam proposuisti. Quaererem ego, an non rejecta tam severa et crudeli methodo alia non humani sanguinis adeo prodiga, nec minus certa inveniri possit. Dum haec agis, dignissime vir, malevolorum jurgia, et invidorum stigmata atque calumnias sat superque persenties; neque nunc minus, quam olim, nomini tuo aut famae parcent, licet ingenuis fere omnibus displiceant et candidioribus, apud quos solemne est istiusmodi detractores despicere. Isti vero, si febrium historiam longo usu comprobatam, vel earumdem essentias, caussas, et differentias, vel veram tandem medendi methodum expiscari volunt, te ducem et viam praemonstrantem sequi necesse habent; cum vix, aut ne vix quidem alia, vel earum naturam investigandi, vel curandi ratio possit adsignari. Macte itaque esto, et sperne sciolorum dicteria; sincerorum hominum ingenia excita; tu methodum monstrasti, et si tua non placet, qui carpunt dent politiorem et magis firmam. Vale, vir integerrime, qui hisce peragendis totam medicorum turbam merito devincies, inter reliquos vero,

Tibi jure meritoque amicissimum,
R. Brady.

Cantabrigiae,
Decemb. 30. 1679.

EPISTOLA I.

RESPONSORIA.

Amplissimo doctissimoque viro, ROBERTO BRADY, M. D. *Collegii Cajo-Gonevillensis Custodi, nec non regio in medicina, apud Cantabrigienses, Professori longe celeberrimo.*

Me certe, vir humanissime, si quid in morborum curatione profecero, ad omne id cuivis efflagitanti impertiendum prae caeteris, qui nunc sunt homines, facillimum esse omnino par est: si enim ea tantum mihi innotescant, quae et reliquis mortalibus (quod mihi plus satis constat), nullo pacto mihi obfuerit levidensia ista, et e triviis desumta evulgare; sin autem assecutus sim aliquid, quod e re medica sit, et ad certiorem morborum therapeian faciat, non tam mihi laudi dabitur, quam aliis daretur quibuslibet, ea in lucem expromere; qui et a podagra jam ab annis plus minus triginta, et calculo diu male multatus facile mecum reputo, quam serio gauderem, si quod meis malis levamen aliorum indicio possit adferri. Cum autem paucissimis ingens illud privilegium a Deo opt. max. concedatur, ut publico commodo hac in re inservire queant, iisque tantum, quibus e meliore luto, quam mihi, finxit praecordia Titan, votis agendum est, quod reapse effectum dare non satis est virium. Semper enim existimavi, neque id sine ratione, majoris esse felicitatis, certam vel levissimi alicujus morbi debellandi methodum aegris mortalibus prodidisse, quam vel Tantali, quod ajunt, vel Croesi thesauros accumulasse. Feliciorem hoc illum dixi, dicam et meliorem, sapientioremque. Quod enim uberius et sapientiae, et bonitatis suae specimen quis potest edere, quam, cum se e communi generis humani natura decisum animadvertat,

ea, quae molitur, omnia ad publicam magis omnium utilitatem, quam ad suam ipsius, qui tam exilis totius particula et contemta res est, jugiter referre? Ut enim (loquor cum maximo illo dicendi sentiendique magistro Cicerone meo, sui seculi, ne dicam universae hominum naturae genio) leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt; sic vir bonus et sapiens, et legibus parens, et civilis officii non ignarus, utilitati hominum, plusquam unius alicujus, aut suae consulit. Cicero de fin. bon. et mal. Quinimmo satis liquet, quod cum facinorosi sit, hominem jugulare, boni viri erit eumdem vel conservare, vel alios iis instruere praesidiis, quibus adjuti eum ab interitu vindicent, etiam auctore vita jam functo. Et vox illa plane inhumana et scelerata audit eorum, qui negant se recusare, quo minus, ipsis mortuis, terrarum omnium deflagratio consequatur.

His autem in praesentiarum missis factis, fatendum est, debere me ea, quae de his morbis, de quibus percontari libuit, animo volutavi, utut exilia, tibi plane aperiri, tibi, inquam, eximio viro, et sparta quam ornas dignissimo, cujus ego et eruditioni, et probitati, animique candori ea tribuo encomia, quae reliqua togatorum gens, inter quos nites. Praetereo etiam, quantum tibi debeo gratiarum, quod te tam male habeant inmerita illa, quibus a nonnullis proscindor, convitia, de quibus hoc habeo dicendum, quod si vita innocua hominis, qui neminem neque facto, neque dicto laeserat, me ab illis sartum tectum reddere valuisset, numquam in me detonuerant. Cum autem nullo id meo crimine evenerit, neque, ut spero, eveniet umquam, stat sententia non me ideo plectere, quod alii deliquerint; id tantum ratus ad me attinere, ut viri probi scilicet officio defungar, et boni medici, quantum patitur tenuitas nostra.

Morem itaque geram in tradendis observationibus, quae mihi in morbis, de quibus sciscitabaris, occurrebant. Primum autem agam de febribus intermittentibus, nunc apud nostros epidemiis. Quo nomine non abs re fore arbitror, annos istos ordine, sed breviter, percurrere, qui illum excipiebant, quo claudebatur historia acutorum morborum (qualis qua-

lis illa demum fuerit), qui per praeterlapsos annos quindecim grassabantur, et quaedam obiter perstringere in eorumdem curatione a me pridem notata. Quo facto melius innotescet, quo tempore, et quibus gradibus, quae jam obtinet febrium constitutio, nobis obrepserit.

Annus 1676.

Annus 1676 eosdem peperit morbos, quos genuerat constitutio postremo loco commemorata, in dictis observationibus, viz. annor. 1673 (in cujus autumno ea se primum exseruit), 1674 et 1675. At vero exolescente ferme hac crasi, mitiores erant, quam pro suo genio, qui subpullulabant morbi, et minus insuper epidemii; non obstante peculiari ejus anni indole, quantum ad manifestas aëris qualitates, quibus ab annis praecedentibus perquam abludebat; cum et aestatis fervor, et frigus hyemis omnes ferme annos, quorum memoriam habemus, longo intervallo superaverint. Et cum tam ingens tempestatum discrepantia similes tamen morbos produceret, satis hinc liquet, non tam manifestam, quam occultam aëris temperiem epidemiis morbis favere. At vero fatendum est, morbos eosdem quoad symptomata quaedam aliquando a manifesta aëris diathesi pendere, quod et morbilli et cholera morbus, hoc anno invadentes, testatum faciunt; de quibus breviter agam.

Morbilli enim nascenti anno coorti, licet non admodum epidemii, id tamen eximii habebant, quod solito longius procurrerent: nam cum pro more suo mense primum Januario comparentes, ad aequinoctium usque vernum ingravescerent, dein paulatim imminuti cum solstitio aestivo fere exspirarent, hoc anno ad aequinoctium ferme autumnale pertingebant; ab aestatis calore, nisi fallor, aucti viribus, quo diutius obsisterent. Neque tamen methodum medendi ab usitata illa diversam postulabant.

Exeunte aestate cholera morbus epidemie jam saeviebat, et insueto tempestatis calore evectus atrociora convulsionum symptomata, eaque diuturniora secum trahebat, quam mihi prius umquam videre contigerat. Neque enim solum abdomen, uti alias in hoc malo, sed universi jam corporis musculi, bra-

chiorum crurumque prae reliquis, spasmis tentabantur dirissimis, ita ut aeger e lecto subinde exsiliret, si forte extenso quaquaversum corpore eorum vim posset eludere.

Quamlibet autem hic morbus non aliam a jam recepta medendi rationem sibi vendicabat, anodyna tamen fortiora, eaque saepius ingerenda, quam alias solebam, omnino indicabantur. Ex gr. Ad quemdam vocatus per id temporis truculentissimo illo, quod modo descripsi, symptomate tantum non enectum (me autem comitabatur CAROLUS GOODALL M. D. cujus animi candor, probitas illibata, summus in me amor, labor improbus in morbis dignoscendis curandisque una cum nomine mihi semper occurrunt), et enormi vomitione, spasmorumque violentia animum agentem, cum sudore frigido, et pulsu vix micante, guttas XXV. Laudani liquidi, a me jam olim publicati, in cochleari uno Aq. cinnamomi fortis exhibendas curavi; veritus scilicet, ne vehiculum paulo copiosius medicamento rejiciendo (quod in vomendi tam impenso conamine persaepe fit) ansam daret: dein lecto adsidens quasi ad semihoram, et expertus remedii vires nec vomiturition compescendae, nec sedandis convulsionibus adhuc pares esse, toties illud ipsum repetere, et dosin in tantum augere cogebar (interposito tamen spatio, ut quid a jam ingesto mihi foret sperandum, prius ediscerem, quam novas adferrem suppetias), donec tandem pervicacissima illa symptomata sub jugum victoris mitterentur; quod tamen vel minimo corporis motu excitata denuo excutere satagebant. Serio itaque imperavi, ut et corporis quieti modis omnibus indulgeret, ad paucos dies, et medicamentum jam dictum, sed in minori dosi, subinde adsumeret, etiam postquam convaluerit, ad εὐεξίαν scilicet confirmandam, quod nobis ex animo cessit.

Neque est, cur me quispiam justo audaciorem pronunciet, eo scilicet nomine, quod tantam Laudani liquidi vim aegro infundere non dubitaverim; cum judice experientia certo constabit, quod in quibus affectibus ex opio parata indicantur (sunt autem tres, vehemens dolor, vomitus vel dejectio enormior, et insigniores spirituum animalium ἀταξίαι), in iis et remedii dosis, et repetendi vices, cum

symptomatis magnitudine omnino sunt conferendae. Quae enim dosis remissiori symptomati coërcendo par est, ea ab alio fortiore superabitur; et quae alias aegrum in manifestum vitae discrimen conjiciet, eumdem in praesentiarum ab orci faucibus liberabit.

Annus 1677.

Atque hi sunt morbi isti, qui hoc anno populabantur, iidem scilicet, ut jam innui, cum morbis trium annorum praecedentium. Quales autem fuerint, qui annum sequentem viz. 1677 funestaverint, non habeo dicere. Cum enim molestissimo sanguinis mictu, a motu vel levissimo, sub anni initio male multarer; neque ita diu postea podagra etiam, quae non jam tam artus, quam viscera saevissimo dolore excruciabat; accedentibus insuper virium et adpetitus prostratione, crurum tumore, aliisque symptomatis non minus periculosis (quem, si tum fuerim extinctus, mors certe non tam a bonis, quam a malis, abstraxisset, haud equidem repugnantem); me domi meae ad menses tres continere, deinde redintegrandae sanitatis caussa, per idem fere spatium rusticari cogebar: autumno reversus ad meos, febres intermittentes hinc inde sparsas esse (quarum tamen pars maxima aegros non in urbe primum invaserat) ab amicis didici; cum autem mihi per valetudinem non liceret aegros invisere, de hoc anno nihil melius silentio possum adferre.

Annus 1678.

Proximi anni (viz. 1678) constitutio prorsus immutata febribus intermittentibus (quae jam ab anno 1664 ad tredecim scilicet annos urbe fere exulaverant, nisi quod nonnullos sporadice occuparent, vel ex agris forte comitarentur) usque adeo favebat, ut epidemiae rursus audirent; neque eum tamen gradum hodie tuentur, quin et fines latius proferent, donec haec, a qua pendent, aëris *διάθεσις* suam *ἀκμὴν* adtigerit. Quantumlibet autem dictae intermittentes, pauciores aliquot etiam tempore verno fuerint adortae, eo usque tamen exeunte aestate, et autumno subeunte, prae caeteris saeviebant, ut nulli amplius morbo epidemii nomen relinquerent. Hyeme

vero paululum fatiscentes variolis locum cedebant, atque aliis insuper epidemiis, qui per omnia dominabantur, donec intermittentibus apta tempestas in orbem rediret.

Sed ut jam edisseram, quae de harum febrium et natura et caussis sedula observatione adsecutus sum, in primis notandum est, quod licet olim quartanae frequentius occurrerent, nunc dierum aut tertianae erant, aut quotidianae (nisi quis postremas has duplices tertianas malit adpellare), et pariter, quod licet tertianae quotidianaeque, aliquando cum rigore atque horrore invadentes, subsequente primum calore, mox etiam sudore, tandem in omnimoda ἀπυρεξίᾳ desinerent, atque post statam periodum aegros de novo lacesserent: ne hunc quidem jam morem servabant ultra tertium quartumve paroxysmum; maxime, si aeger lecto addiceretur, et adsumtis cardiacis calidioribus oleum camino, quod ajunt, addiderit. Postea vero febris haec eo usque etiam praeter indolem suam incrudescebat, ut intermissionis loco remissionem tantum aegro concederet; et magis in dies ad continuarum speciem accedens tacto cerebro tandem haud paucos extingueret.

Curationem quod spectat, jam a multis annis mihi innotuit, quam sit periculosum eam in tertianis et quotidianis (quae cum recentes sint, nullumque typum indutae in continuitatis vicinia adhuc haerent) per sudorifica moliri: quamvis enim notissimum sit, simul cum sudore prorumpente inquietudinem atque alia symptomata statim evanescere, et ἀπυρεξίαν succedere, et ex consequenti huic paululum esse indulgendum, saltem non esse obsistendum paroxysmo fatiscente; tamen est compertissimum, quod si justo copiosius eliciatur sudor, quae intermittebat, febris jam fit continua, aegerque, tamquam incerto aleae casu, in vitae discrimine versatur; hic servatur, perit ille. Ratio est haec, nisi mea me fallit conjectura, quod scilicet istiusmodi profusus sudor, cum materiae febrilis, paroxysmi calore eo usque evectae, ut jam per despumationem ejici possit, modum exsuperet, exterminata ea parte, quae unico paroxysmo respondet, de reliquo sanguini incendendo impenditur. Hujus itaque methodi inefficaciam, et aliarum evacuationum, venaesectionis v. gr. et ca-

tharseos, incommoda (quarum utraeque relaxando tonum sanguinis morbum protrahunt) dum mecum perpenderem, peruvianus cortex certissimam mihi spem fecit; de quo vere adfirmare possim, non obstante tam vulgi, quam perpaucorum e doctis praejudicio, me nihil mali aegris accidisse ab ejus usu vidisse umquam, vel cum ratione suspicari potuisse; nisi quod illi, qui longum et repetitum corticis peruviani usum experti sunt (ut in capite de rheumatismo praemonstraverim) in speciem quamdam rheumatismi scorbutici nonnumquam incidunt. Hoc autem malum perquam raro ex hac occasione nascitur, et quando accidit, facillime remediis ibidem descriptis cedit.

Et profecto si tam effectorum durationem, quam corticis hujus innocentiam exploratam haberem, principem illi locum inter omnia, quotquot sunt, remedia deferre nullus dubitarem; cum non tantum in hoc morbo insignium esse virium deprehendatur, sed et in uteri et ventriculi etiam affectibus: tantum abest, ut de ejus insalubritate merito quis conqueratur.

His autem potissimum de caussis, nisi fallor, dictus cortex male audit. Primo, quia plurima illa horrendaque symptomata, quae febres intermittentes, jam diutius aegrum cruciantes, comitantur, etiam ubi ne minimum quidem corticis degustaverit, cortici vel semel adsumto imputantur. Secundo, quia cum occulta vi, et non per sensibilem aliquam evacuationem, morbum averruncet, statuunt plerique, materiam morbum committentem, quae propelli debuerat, tanquam hostem intra moenia, vi corticis adstringente inclusam latere, novos daturam tumultus, atque aegrum non penitus evasisse, cum adhuc catenam trahat. Ast hi non satis attendunt, sudores paroxysmum finientes id omne, quod in lucido sanitatis intervallo accumulabatur, prorsus eliminasse, manere tantum morbi seminium tempore maturandum; quodque cortex fugientem paroxysmum a tergo urgens, et intercepto, qui debuerat subministrari, morbi commeatu sive fomite, non potest in sanguine retinere, quod jam in illo non nisi tamquam in embryo reperitur; ac proinde neque

strangulationum, neque obstructionum, quae vulgo objiciuntur, reus est peragendus.

Quo autem pacto deprehendemus corticem vi sua adstrictoria febres fugare? Qui id probare velit, necesse erit, ut prius alia adstringentia pari virtute praedita in medium adferat; mihi certe, vel eorum fortissima adhibenti in experimentum, nondum e voto cessit. Quid quod illos etiam sanat, qui ab ejus usu tamquam a cathartico adsumto, quod nonnullis accidit, frequenter alvum deponunt? Id vero demum est recte sapere, suo se quemque pede, ac modulo metiri; at si quis fucum sibi faciens, aliis se praeditum esse facultatibus existimaverit, quam quae inserviunt percipiendae vel naturali theologiae, (ut Deo scilicet, rerum omnium architecto et moderatori debita veneratio cum profundissima animi prostratione jure merito exhibeatur); vel philosophiae morali (ut virtutem exerceat, et mores tam ad privatum, quam publicum, societatis humanae bonum adcommodet), vel denique arti medicae, mathematicae, et mechanicae (quibus vita communis adjuvatur); hic primum hypothesin aliquam e schola naturalis philosophiae depromat, qua vel unicam differentiam specificam rerum in natura possit enodare; ex. gr. rationem reddat, quare gramen omne viridi ubicumque colore, nusquam alio cernitur infectum, etc. Hoc si effecerit, in ejus castra haud invitus transeam; sin aliter, non verebor dicere, quod medici cura omnis, atque industria in expiscanda morborum historia, iisque remediis adhibendis, quae experientia indice ac magistra eosdem valent depellere, debeat collocari; observata tamen ista medendi methodo, quam recta ratio (non speculationum commentis, sed trito et naturali cogitandi modo innixa) ei dictaverit. Dicam itaque paucis, quod usu didici de methodo, qua cortex nobis usurpandus venit.

Cortex peruvianus, cujus pulvis vulgo patrum nomine insignitur, annis abhinc quinque et viginti (si bene memini) apud Londinenses nostros in exterminandis febribus intermittentibus, maxime quartanis, primum coepit inclarescere. Idque optimo sane jure, cum hujuscemodi morbi rarissime ab ullo alio sive remedio, sive methodo medendi antea ex-

pugnarentur; unde etiam opprobria medicorum et erant et audiebant. At vero non ita multo tempore elapso duabus de caussis, non quidem levibus, damnatus in desuetudinem prorsus abiit. Primo, quia paucis horis ante adventum paroxysmi pro recepto id temporis more exhibitus aegrum nonnumquam e medio tolleret; quod et civi cuidam Londinensi, eidemque senatori urbano, UNDERWOOD nomine, et capitaneo nomine POTTER, in vico vulgo dicto Black Fryars pharmacopolae memini accidisse. Funestior hic pulveris exitus, quamvis oppido rarus, medicos tamen paulo cordatiores ab ejus usu merito retraxit. Secundo, quia aeger ope pulveris a paroxysmo alias invasuro liberatus, quod plerumque eveniebat, tamen intra dies quatuordecim recidivam utplurimum pateretur, in morbo scilicet recenti, necdum temporis cursu suoque marte commitigato. Maxima pars hominum his permota rationibus spem ab hoc pulvere jam pridem conceptam protinus adjiciebat. Neque enim tanti aestimabant paroxysmum ad paucos dies protelare, ut se eo nomine in vitae discrimen, a pulvere intentatum, induci paterentur. Ego vero jam ab aliquot retro annis haud vulgarem hujus corticis vim serio perpendens animoque revolvens, non alio magis, quam hoc herculeo medicamento, febres intermittentes debellatum iri confidebam, si, qua par erat cura, accederet et diligentia. Diu itaque multumque apud me agebam, ut periculo a pulveris usu impendenti, et recidivae intra paucos dies subsecuturae (quae duo erant amolienda incommoda) possem occurrere, atque aegrum hujus ope ad perfectae sanitatis gradum promovere.

Primo, periculum quod minitabatur, non tam ex ipso cortice natum arbitrabar, quam ex eo, quod minus opportune aegro ingereretur. Cum enim vis ingens materiae febrilis diebus a paroxysmo vacuis in corpore fuerit adgesta, pulvis praedictus, si immediate ante paroxysmum deglutiatur, facit, quo minus materia morbifica ipsa naturae methodo, paroxysmi scilicet impetu, possit eliminari; quae proinde praeter fas inclusa aegrum in vitae discrimen solet conjicere. Hoc ego me malum propulsare posse existimabam, materiaeque pariter febrili de novo generandae obicem ponere, si ubi primum paroxys-

morum unus adfligere desierit, confestim pulverem exhiberem, quo insecuturus sufflaminaretur, et diebus intermissionis, statis subinde vicibus, eumdem repeterem, usque dum novus invaderet paroxysmus; atque ita paulatim tutoque proinde sanguinis massam salutifera corticis virtute penitus inficerem.

Secundo, cum recidiva, quae intra dies quatuordecim plerumque accidebat, ex eo mihi videbatur nasci, quod sanguis non satis exsaturaretur virtute febrifugi, quod utut efficax, una tamen vice morbo penitus exterminando par non fuit: idcirco autumabam, nihil ad eam praecavendam aeque posse conducere, atque methodum repetendi pulveris etiam devicto ad praesens morbo justis semper intervallis, antequam scilicet vires praecedentis dosis prorsus elanguescerent.

His itaque rationum momentis innixa mens eam, qua jam utor, mihi methodum dictabat. Ad aegrum quartana febre laborantem accersitus (die Lunae e. gr.), si paroxysmus eodem die sit invasurus, nihil prorsus moveo, sed id tantum ago, ut spem faciam eum a proxime venturo liberatum iri. Ac proinde binis diebus intermissionis (Martis scilicet et Mercurii) corticem exhibeo hunc in modum. Rec. Cortic. Peruv. subtiliss. pulverisat. unc. un. cum s. q. syr. Caryophyll. vel de Rosis siccis, F. Electuar. dividendum in xij. partes, quarum unam capiat quarta quaque hora, incipiendo inmediate post paroxysmum, superbibendoque haustum vini cujuslibet. Vel si pilulae magis arrideant, Rec. Cortic. Peruv. subtiliss. pulv. unc. un. cum s. q. syr. Caryophyll. F. Pil. mediocris magnitudinis, quarum capiat vj. quarta quaque hora. Sed minori cum molestia, eodem tamen fructu, hujus pulveris uncia una admisceri poterit libris duabus Vini Clareti, atque ejus cochl. viij. vel ix. exhiberi iisdem, quae dicta sunt, temporis intervallis. Die Jovis, quo metuitur paroxysmus, nihil impero, cum utplurimum nullus accedat; reliquiis materiae febrilis per solitos sudores, qui praecedentem paroxysmum absolvunt, despumatis ejectisque e sanguine, atque intercisa novae minerae, vel fomitis accumulatione repetito pulveris usu, diebus paroxysmos disterminantibus adhibiti.

Verum enim vero, ne morbus denuo recrudescat,

(quod e praedictis incommodis erat alterum) die octavo, praecise a quo postremam dosin aeger adsumsit, eamdem praefati pulveris quantitatem, unciam sc. in partes xij. divisam, eadem, qua prius, methodo certo certius exhibeo. Quamvis autem repetita hoc modo semel medicatio persaepe morbum conficit, non tamen prorsus in tuto collocatur aeger, nisi medico, tertio, quartove eamdem methodum eodem temporis intervallo iteranti, parere non gravetur; maxime ubi sanguis a praegressa aliqua evacuatione fuerit debilitatus, aut se aeger incautius aurae frigidiori feriendum exposuerit.

Verum etsi hoc remedium nulla purgandi vi polleat, tamen ob peculiarem quorumdam corporum temperiem atque idiosyncrasiam persaepe accidit, ut ab ejus usu, tamquam a cathartico fortiori adsumto, aeger violenter expurgetur. In hoc casu omnino oportet, ut Laudanum cum eo exhibeatur, quo minus hanc operationem, tam suae naturae, quam morbo plane contrariam, ciere valeat; neque pulvis justo citius per alvum expulsus disperdatur, antequam suo fungeretur munere. In hoc itaque casu Laudani ejusdem gutt. x. vino instillari jubeo, et post alternam pulveris dosin adsumi, modo diarrhoea perstiterit.

Dicta methodus usu mihi venit in caeteris intermittentibus, sive tertianis, sive quotidianis; utrasque enim statim a finito paroxysmo adgredior, et repetito per jam commemorata paroxysmorum interstitia medicamine (quantum scilicet earum fert indoles) urgeo atque a tergo premo; hoc tamen discrimine, quod cum quartana rarissime nisi uncia una in doses dispertita, reliquae sex drachmis possint ita expugnari, ut inducias saltem concedant.

At vero tertianae quotidianaeque etsi post unum alterumve paroxysmum omnino videantur intermittere, tamen non ita raro (quod et a me ante est notatum) postea ad continuarum fere speciem vergunt, et ad remissionem tantum, etiam diebus, quae intermissionem pollicebantur, accedunt; praesertim, ubi aeger lecto defixus regimine justo calidiore, aut medicamentis febri per sudores ejiciendae dicatis, fuerit multatus. Hoc in casu a remissione quantumlibet exigua (id enim mihi unum superest) ansam arripiens, pulverem quam proxime a paroxysmo (quantum con-

jectura valeo) ingerendum propino, nempe quarta quaque hora, ut modo dixi, ne quidem ipsum morans paroxysmum; cum aliter in spatio interjecto, plus satis brevi, alexiteria corticis vis sanguini impertiri nequeat.

Cum autem febres, quae jam apud nos grassantur, etsi post secundum, tertiumve paroxysmum reponere se in classem continuarum nitantur, tamen ad intermittentes debeant referri; nulla mihi est religio corticem vel in maxime continuis hujus speciei sumendum proponere; qui dicto more iteratus ad apyrexiam certo aegrum perducet, modo adsiduus lectuli calor, et intempestivus cardiacorum usus continuitatem febri non conciliaverint; quo in casu peruvianum corticem nihil quidquam profecisse plus semel observavi. Neque mihi umquam contigit, ut viderem vinum, in quo propinatur cortex (quod jure quis possit suspicari) febricitanti obfuisse; e contra vero calor, sitis, caeteraque febris symptomata utplurimum post adsumtam hujus remedii quantitatem sufficientem mox evanescent, vino haud obstante. Hic autem observandum, quod quo magis febris, sive sponte sua, sive regimine calidiori, ad continuitatem accedat, eo major corticis quantitas exhibenda; ita ut nonnumquam viderim, morbum hunc non nisi sesquiunciae, vel unciis ejusdem duabus cessisse.

Cum vero sint aliqui, qui corticem hunc nec in pulveris forma, nec electuarii, nec tandem pilularum ferre queant, his ejusdem infusum in frigido factum propino: drachm. duas scilicet corticis, grosse pulverisati, in vini Rhenani libr. duabus aliquamdiu macero. Liquor hic per manicam Hippocratis saepiuscule trajectus, colore limpidus adeo non officit, ut vel delicatulorum palato adrideat; ac dictae infusionis unciae quatuor, ad dies aliquot factae, virtutem drachmae unius corticis in pulvere exhibiti videntur continere. Quae cum nec ingrata sit, nec ventriculum premat, duplo frequentius usurpari poterit, quam reliquae ejusdem remedii formulae, nempe donec paroxysmi terga dederint.

Quandoque accidit, ut in hoc morbo male formato, necdum in typum regularem evecto, aeger ob vomituritionem fere continuam corticem deglutitum, quacumque demum forma exhibeatur, retinere ne-

queat: in hoc casu vomitio prius est compescenda, quam cortex propinetur. Ad quem scopum collimans jubeo, ut sexies vel octies spatio duarum horarum succi Limonum, recens expressi, cochl. un. cum salis Absinth. scrup. un. assumat: deinde Laudani liquidi gutt. xvj. cum aq. Cinnamom. fort. cochl. un. ac brevi post, si vomitus cessaverit, usum pulv. peruv. adgrediatur.

Pro infantibus, quorum aetas tenella vix feret, ut alia forma hoc remedium adsumatur (saltem ea quantitate, qua devincatur morbus), sequens julapium praescribere soleo. Rec. Aq. Cerasor. nigr. et Vini Rhenani aa. unc. duas. Cort. Peruv. subtilissime pulv. drachm. tres, Syr. Caryophyll. unc. un. M. F. Julap. Capiat cochleare unum alterumve pro ratione aetatis, quarta quaque hora, donec paroxysmi non amplius discrucient; instillando alternis dosibus, si diarrhoea adfuerit, Laudani liquidi gutt. un. vel duas.

Observandum est insuper, quod cum breviora paroxysmorum interstitia in tertianis, et quotidianis intermittentibus non satis temporis concedant, ad sanguinem febrifuga corticis virtute plene exsaturandum, fieri non potest, ut aeger proximum a prima medicatione paroxysmum, uti in quartana solet evenire, certo effugere valeat; sed in his medicamentum saepe non nisi post biduum promissam curationem absolvet.

Animadvertendum autem, quod si aeger, non obstante abundanti cautela superius tradita, nihilominus recidivam patiatur (quae in quartana ipsa rarius accidit, quam in tertianis, vel quotidianis), tamen prudentis medici erit, non nimium pertinaciter insistere methodo corticis per dicta intervalla exhibendi, sed pro suo judicio aliis modis curationem adgredi; cui prae caeteris Decoctum amarum, quod adpellant, magnopere conducere vulgo creditur.

Diaetam quod spectat caeterumque regimen, nec a cibo, nec a potu arcendus est aeger, qualis qualis is demum fuerit, qui ad stomachum facit; fructibus tamen horariis et liquoribus frigidis (utpote et infirmandae sanguinis massae, et febri postliminio reducendae admodum conferentibus) semper exceptis. Vescatur itaque carnibus eupeptis et euchymis, et

vino modice utatur pro potu ordinario; qua re sola aegros nonnumquam restitui, etiam eos, quorum corpora ob frequentem febris recursum contra corticem quasi communita, salutiferam ejus vim perpetim eludebant.

Neque vero se temere aurae frigidiori committere debet aeger, donec sanguis pristinum vigorem de novo obtinuerit.

Hic autem advertendum, quod, cum de febribus intermittentibus olim agens, aegrum, sublato morbo, sedulo purgatum iri admonuerim, hoc intelligi velim de iis solum febribus, quae vel sponte sua, vel alio, sive medicamento, sive methodo praeter corticem peruvianum erant debellatae. Etenim curatio, cum huic remedio, de quo jam loquor, innitatur, purgatione nec eget, nec eamdem plane fert. Ita potenter dictus cortex sine ope catharticorum non solum paroxysmis, sed et dyscrasiae, quam corpori iidem inflixerunt, subvenit. Vitandae itaque ante omnia evacuationes qualescumque, cum vel blandissima catharsis, quinimmo enema e lacte saccharato in morbi discrimen certissime, forte in morbum ipsum denuo aegrum conjiciet.

Hic autem commemorare libet, quod sub primos hujus constitutionis annos symptoma quoddam insigne febribus intermittentibus quandoque supervenerit. Nempe earum paroxysmi non cum rigore et horrore, quas postea febris excipit, invadebant; sed aeger iisdem plane symptomatis tentabatur, ac si apoplexia vera laborasset, quae tamen nihil aliud esset, utcumque hunc adfectum aemularetur, quam ipsa febris, caput impetens: ut ex aliis signis, ita ex colore urinae satis liquebat, quae in intermittentibus utplurimum rubore saturato exstat, qualis cernitur in urina eorum, qui ictero laborant, etsi non adeo intense rubet, et pariter sedimentum deponit, pulverem laterum fere referens. Hoc autem in casu quantumlibet evacuationes omnes, cujuscumque demum generis sint, indicari videntur, ad revellendos scilicet ex cerebro humores, ut in apoplexia primaria fieri solet; eaedem tamen omnino omittendae sunt, utpote quae originariae hujus symptomatis caussae, febri nempe intermittenti prorsus adversentur, ac proinde mortem accersant; quod et ipse novi.

At e contra exspectandum, donec paroxysmus sponte sua evanuerit, quo tempore cortex, modo citius idem ingeri non poterit, quamprimum est exhibendus, et intervallis ab hujusmodi accessionibus liberis idem sedulo repetendus, usque dum perfecte convaluerit aeger.

Nonnumquam accidit, etsi perquam raro, ut senes, qui diu hoc morbo antea laborarunt, ac interea venaesectionibus et catharticis imperite fuerint mulctati, in diabetem incidant, etiam febre jam perfecte fugata. Etenim cum sanguis eorum abhinc debilitatus, assimilandis succis ei inlatis prorsus impar reddatur, iidem per vias urinarias crudi adhuc et inconcocti exitum sibi quaerunt; proindeque prae ingenti urinae copia, quoties eam reddunt, excreta, sensim vires labefactantur, et quasi substantia corporis per hanc cloacam exinanitur. In hoc adfectu, uti et in omni diabete, ex quacumque προφάσει originem ducat, curativae indicationes ad sanguinem invigorandum, corroborandumque, ac pariter ad fluxum urinae praeternaturalem restringendum, omnino dirigendae sunt. Ut Rec. Theriac. Androm. unc. un. sem. Conserv. flaved. Aurant. unc. un. Diascordii unc. sem. Zinzib. condit. et Nuc. moschat. condit. aa. drachm. tres, Pulv. e chelis Cancr. compos. drachm. un. sem. Cort. exterioris Granator. Rad. Angelic. hispan. Corall. rubr. praep. et Trochisc. de terra Lemnia aa. drachm. un. Boli Arm. scrup. duos, Gumm. ar. drachm. sem. cum s. q. syr. de Ros. siccis F. Electuar. de quo sumat ad magnitudinem nuc. mosch. maj. mane, hora quinta pomeridiana et nocte, per mensem integrum, superbibendo sequ. Infusionis cochl. vj. Rec. Rad. Enul. Campan. Imperator. Angelic. et Gentian. aa. unc. sem. fol. Absinth. rom. Marrub. alb. Centaur. min. et Calaminth. aa. m. un. Baccar. Juniper. unc. un. Incidantur minutim, et infundantur Vini Canarini libr. v. stent simul in infusione frigida. Coletur tantummodo tempore usus. Vescatur cibis εὐπέπτοις, viz. carne vitulina, vervecina, etc. Abstineat ab esu olerum, et fructuum qualiumcumque, et singulis pastubus bibat vinum hispanicum.

Eadem fere methodo atque iisdem remediis contumax iste et diuturnus adfectus, fluor sc. mulie-

bris, sanatur ac diabetes modo dictus: nam utrobique indicationes curativae eaedem sunt, quantumcumque inter se hi duo morbi dissidere videantur. At in fluoris muliebris curatione venaesectio semel celebrata, ac postea catharsis ex Pil. Coch. maj. scrup. duobus tribus vicibus repetita, corroborantium usui praemitti debent: deinde vero per totum processum omnino omittendae; cum quaelibet evacuatio evertit, quidquid corroborans substruxerit. Sed haec obiter.

Haec habui de peruviani corticis usu summatim dicenda: neque enim remediorum pompae libuit indulgere; cum sane, qui aliquid cortici adjiciunt, praeter vehiculum, eidem in ventriculum transmittendo necessarium, aut ex ignorantia peccant, ut mihi videtur, aut dolo malo, a quo vir probus ex animo abhorrebit, qui cum pars sit ejusdem communis naturae, ut *ὁμοφύλοις* fraudem faciat, nullo umquam privato suo commodo poterit adduci. Quod superest, si aetati placuisset ad ea animum advertere, quae annis abhinc quatuor in historia acutorum morborum tradideram (quae et ante illud tempus mihi innotuisse omnino est credibile), quo pacto sc. cortex in interjectis paroxysmorum spatiis debuerit ministrari, tum postea repeti aegro jam convalescente, viverent fortassis haud pauci eorum, quos jam terra tegit; utut homines vilipendant tenues sane illos conatus nostros, communi omnium bono dicatos, et monita spreverint ibidem dictata quibus ea breviter continentur, quae hic fusius explicare visum est. Morb. acut. Hist. Sect. I. Cap. V. p. 73.

Quantumlibet autem cortex supra laudatus in febribus hisce medendis omnibus aliis, quotquot adhuc inventa fuerunt, palmam facile praeripiat, attamen in tertianis vernalibus, si modo aeger sanguineo temperamento praeditus esset, atque etiam aetate floreret, remedia sequentia curationem absolvisse observavi. Ex. gr. mittatur sanguis e brachio die a paroxysmo libero, et post aliquot horas eodem die exhibeatur emeticum ex infusione croci metallorum, ita tempus praefigendo, ut vomitorium opus suum absolvat ante invasionem paroxysmi insequentis; quo elapso immediate adgrediatur usum sequentium. Rec. Extracti Gentian. Absinth. et Centaur. min. aa.

drachm. duas. Misceantur ac dividantur in IX. doses, quarum unam capiat quarta quaque hora, superbibendo Decocti amari sine purgantibus et Vini albi aa. unc. tres. Est et altera methodus curandi has tertianas, in pauperibus scilicet, quorum facultas prolixo apparatui medico ferendo non sit. Ut Rec. Serpentar. Virginian. subtiliss. pulv. scrup. un. Vin. alb. unc. tres. M. Sumat duabus horis ante paroxysmum, et stragulis bene coopertus sudet per tres, vel quatuor horas: idem faciendo per duas alias vices paroxysmo ingruente.

Annus 1679.

Sequenti anno (nempe 1679) sub initio Julii, eaedem febres de novo vires redintegrabant, et quotidie increbrescentes mense Augusto quam immanissime debacchabantur, ac magnam stragem edebant. Cum autem de his jam fusius egi, nil amplius adjiciam, nisi quod novo epidemio a manifesta aëris crasi pendenti, sub mense Novembris prorsus locum cedebant.

Etenim una cum Novembri subingrediebantur tusses caeteris, quas mihi contigit observare, annis ἐπιδημικώτεραι, cum in singulis fere familiis universi laborarent. Harum aliae opem medicam non magnopere desiderabant; aliae vero pulmones ita vehementer agitabant, ut aeger ventriculi contenta per os ejicere subinde cogeretur, vertigine insuper correptus, a nisu violentiori et laborioso. Primis fere diebus tussis, siccam aemulans, nullam materiam spectabilem exantlavit, mox aetate auctior nonnihil; atque ut verbo expediam, tum in eo, quod parcius expectorarent aegri, tum etiam conatu vehementiori et paroxysmorum duratione ad tussim puerorum convulsivam mihi propius accedere videbatur, nisi quod mitius aliquantum saeviret. In hoc saltem convulsivam superabat, quod et febre, et solitis ejus symptomatis stipata aegrum invaderet, quae in tussi puerorum nondum me vidisse memini.

Solemne sit licet, tusses sub hyemis adventum adfligere, mirabantur tamen omnes, eas hoc anno ita praeter solitum increbrescere: quod quidem hac praecipue de caussa arbitror contigisse. Cum mensis Octobris crebrioribus quam solebat, et ferme

continuis permaduisset imbribus; et sanguis hominum tempestati consentiens particulas crudas atque aquosas affatim imbibisset, transpiratione per cutis spiracula a primo frigoris insultu prohibita, natura colluviem hanc serosam vel per ramos venae arteriosae, vel, quod alii volunt, asperae arteriae glandulas eliminare sategit, et tussis ope explodere.

Curatio rite ut instituetur, quoties scilicet medico fuit opus, tam per venaesectionem, quam catharsin evacuandum esse, nullus dubitavi. Neque enim alia aliqua methodo aeque commode ejiciuntur redundantes seri particulae, ac per phlebotomiam et cathartica, quae tam insigniter vasa emulgent. Remedia pectoralia quod adtinet (praeterquam quod eorum usu gratificamur aegris), non intelligo, quo pacto amoliendae tussis caussae queant conferre, cum omnis eorum actio vel in incrassanda materia, quoties justo tenuior vim expultricis facultatis eludit, vel in eadem attenuanda, quoties ob visciditatem aegrius exspuitur, poni videatur. Id certo scio, inutiliter in his tantum temporis impendi; nonnumquam etiam sanguinis massam eo usque debilitari a retentis particulis seri naturae inimicis, pulmonesque insuper tussi irritatos ita conquassari motu violento ac fere continuo, ut non raro via sternatur ad tabem, a cujus insidiis celeritate curationis aeger vindicari debuerat. Neque multo tutius adhibentur sudorifica, a quorum usu aeger nonnumquam in febrem incidit, nonnumquam etiam particulae sanguinis facile inflammabiles ita pleurae inpinguntur, ut accendatur pleuresis; quod per decursum dictae tussis epidemiae ingenti vi hominum cum suo magno periculo contigit.

Sanguinis itaque e brachio eduxi quantitatem moderatam; epispasticum satis amplum ac forte posteriori cervici adplicandum curavi, quo materiae peccantis pars aliqua alio derivari possit. Posthaec catharticum e lenioribus, infusionem scilicet Sennae, Rhei, cum Manna, et Syrup. Ros. sol. quotidie exhibui, donec vel prorsus convalesceret aeger, vel admodum imminuerentur symptomata, vel, si potio minus aegro arrideret, Pil. Coch. major. scrup. duos quotidie devorandos imperavi, hora scilicet quinta matutina super dormiendo.

Hac etiam methodo, phlebotomia scilicet et repetita catharsi, eaque sola, expugnatur tussis puerorum convulsiva; malum alias pertinacissimum et paene insuperabile. Alii quid valeant hic praestare, plane nescio; me in variis atque omnis fere generis remediis operam non semel perdidisse, satis scio. Sed leniora tantum cathartica hic conveniunt, eaque cochleatim sunt ingerenda, pro ratione aetatis. Quae quidem κατ' ἐπίχρασιν evacuatio eo nomine, ut arbitror, dictae tussi medetur, quod scilicet, licet non multum humoris serosi in pulmonibus inveniatur, fervidiores tamen et spirituosi halitus e massa sanguinis in pulmones statis temporibus transmissi atrociores illos tussiendi paroxysmos in tenellis excitant; horum autem in pulmones impetus haud alia methodo aeque sisti posse videtur et praecaveri, atque hac, qua motus priori contrarius (per viscera scilicet) morbi caussae conciliatur.

Verum in morbis epidemiis, cujuscumque demum generis sint (si modo recens adhuc aegrum corripuerint), summopere cavendum, ne alvus ei ducatur, nisi misso prius sanguine. Qui enim morbi a constitutione aëris epidemia pendent, aut jam febres sunt, aut in earum classem levissima de caussa transeunt; cum ex tumultu in sanguine et humoribus a catharsi vel lenissima excitato, et subsequente calore facile accendatur febris, quam alias natura propulsasset consuetis materiae morbificae evacuationibus; gravedine ex. gr. aut tussi in hoc, de quo jam agimus, epidemio; aut diarrhoea, quoties febris cum illa faciens epidemie grassatur. Idem potest dici de quacumque alia aëris constitutione, qua corpus ad certum aliquod febris genus determinatur, quae quidem non semper actu invadit, sed benignioris naturae ductu morbi fomes e sanguine, mediante evacuatione aliqua ejus genio accommoda, exturbatur. Hoc constanter adsero, quantumlibet mos jam obtineat exhibendi cathartica ante celebratam venaesectionem, vel quod adhuc est periculosius, ea penitus omissa. Licet enim objiciatur faeculentias in primis viis stabulantes toties in vacuas venas propelli, quoties detrahitur sanguis, alvo non prius subducta; certissimum tamen est, evacuationem, quam isti praemitti volunt, nullo modo resarcire

posse injuriam sanguini inlatam a tumultuante cathartico phlebotomiae praemisso. Atque negari non potest, catharticum mox a demto sanguine adsumtum longe mitius vim suam exserere, neque perinde sanguinem vel calefacere, vel exagitare, atque idem solet, si phlebotomiam praecedat. Neque paucos, ex infantibus maxime, vel ob ignoratam hanc rem, vel neglectam periisse existimo.

Atque hoc mihi suffragante experientia multiplici compertissimum est. Experientia, inquam, optima duce et magistra, ad cujus leges et normam nisi exerceatur medicina, eam prorsus exulare satius esset. Luditur enim, quod ajunt, de corio humano plus satis, cum hinc empirici, neque morborum historiam, nec methodum medendi callentes, et receptis tantum freti, isthinc sciolorum vanissimi spem omnem in adfectato artis ambitu, et speculationibus, utrimque pari fere momento disceptatis ponentes, quasi junctis viribus majorem edunt stragem, quam ederent morbi, eorum destituti auxilio. Ea demum praxis, eaque sola aegris mortalibus opem feret, quae indicationes curativas ex ipsis morborum phaenomenis elicit, dein firmat experientia: quibus gradibus magnus Hippocrates ad coelum adscendit. Et, si dicta methodo ars medica a quoquam traderetur, licet morbi unius aut alterius curatio cuilibet e vulgo possit innotescere, integra tamen ars, quaqua patet, homines prudentes et peritos etiam magis exquireret, quam in statu hodierno, neque vel minimum artis honori exinde decederet: cum enim subtilitas longe accuratior in naturae operationibus (in quarum observatione vera praxis medica fundatur) quam in arte aliqua, hypothesibus etiam luculentissimis suffulta, inveniatur, medendi ars, quam praecipit natura, rude vulgi ingenium longiori intervallo superabit, quam ista, quae a philosophia docetur. Fidem hic mihi facient febres, quae duas e tribus in medicina facienda partes occupant; et quemvis mihi arbitrum constituo, vel mediocriter cogitationibus indulgere solitum, vera dicam necne. Quis enim vel ex insulsissimis empiricis est, qui se huic morbo curando imparem fatebitur, si id tantum agendum est, ut duabus istis indicationibus curativis, quae vulgo obtinent, fiat satis? Nempe ut sudoriferorum ope

exterminetur materia, morbum committens, et symptomatis eatur obviam, quae ejusmodi evacuationibus superveniunt. Certissimus enim est, Theriaca Andromachi, Pulv. e chelis Cancr. comp. Aq. epidem. etc. intro adsumtis, una cum regimine calidiori sudores posse propelli; quem sibi scopum unice proposuit in hujus morbi curatione, maxime si forte malignitatis nomen auribus usurpaverit. Et ad mitiganda quod adtinet symptomata, Diacodium in promptu est, quo somnus invitetur, quoties urgeant vigiliae; enema, quoties alvus non respondeat; et sic de caeteris. At nec ipse valet comprehendere suo Marte, nec e medicorum praescriptis ediscere, quae demum illa sit febris species, quam debellare satagit; si modo credamus (credent saltem forte posteri) varias dari febrium species, quarum singulae suam sibi methodum medendi a reliquis diversam fere postulant; unam insuper eamdemque febrem, cujuscumque sit generis, uno modo, ubi primum adgreditur, atque alio paululum diverso per singulos gradus, quousque grassabitur, tractandam esse. Quo pacto indicationes curativas ab hoc vel illo phaenomeno minus insigni mutuabitur, naturalem morbi historiam ignorans (quae sola veram medendi rationem indigitare poterit), cum nequeat dijudicare, an hoc vel aliud phaenomenon a curandi, quam adhibet methodo, an ab ipso nascatur morbo? Dies deficeret enumerantem varia et subtiliora illa minutioraque, quae in hoc atque in aliis morbis curandis observanda occurrunt: quae cum tot sint, et tanti momenti ad liberandos a morte homines, semper licebit posteris et seris nepotibus aliquid adjicere iis observationibus, quibus traditur varietas paene infinita operationum naturae in morborum productione, et curativae indicationes ex eo fonte depromendae enumerantur. Non itaque vilescet ars, si quid hujusmodi lucem adspiciat, quin potius illustrabitur, et difficilior reddita, nonnisi sapientes et subacti judicii viros in filiorum numerum cooptari sinet. Sed haec obiter.

Tusses modo dictae, si imperite tractarentur, febrem accendere solebant ei haud absimilem, quae hyeme anni 1675 adeo epidemie grassabatur, et cujus historiam tradidi Sect. quinta cap. quinto libri nostri

de Morbis acutis. Sed cum febris haec soboles tantum esset, ac effectus tussis epidemiae, eadem ipsa methodo febrem felici semper cum successu adgressus sum, quam in tussis curatione supra descripsi; nempe venaesectione, epispastico cervici apposito, et cathartico deinde tribus auroris exhibito. Quamlibet enim in tussi sine febre nullum praefiniebatur tempus, quamdiu aeger purgandus esset (utpote quae continuari deberet, ut supra notavi, donec vel prorsus convalesceret, vel admodum imminuerentur symptomata), in febre tamen, quae a tussi pendebat, purgatio per tres dies instituta ei prorsus debellandae par erat; quod in constitutione, de qua jam agimus, saepiuscule observavi.

Hic autem notandum occurrit, licet hanc febrem, quando se primum exserebat, comitarentur defluxiones in pulmones molestissimae, post mensem tamen unum vel alterum, cum colluvies ista seri sensim e sanguine eliminaretur, febris ejusdem plane indolis hinc inde sine tussi aliqua infestabat (non penitus deleta, sed manente adhuc in sanguine malae crasis impressione), ac proinde haud diversam curationem ab ea, quam tussis comitabatur, sibi vendicabat.

Verum eodem, quem dixi, modo haec febris se extendebat usque ad initium anni 1680 quo haec conscripserim; quo tempore etiam cum anno surgente febres intermittentes modo dictae adparere incipiebant.

Anni 1680, 1681, 1682, 1683, 1684.

Exinde vero ad initium usque anni 1685, quo secundam hanc nostram editionem jam conficio, eaedem adhuc perdurarunt. Etenim tametsi in hac urbe non adeo epidemie nunc temporis invadunt, ac in quatuor primis annis, et mitiores etiam sunt; in aliis tamen locis, nunc his, nunc illis, non minus grassantur ac saeviunt. Atque etiamnum generalis constitutio intermittentibus producendis adeo favet, ut ad hunc usque diem adfirmare possim, me ne unicam quidem febrem per hos dies vere continuam vidisse umquam, nisi forte re male gesta in earum classem fuerit evecta; vel una esset intercurrentium mihi dictarum, quod scilicet omni fere anno inva-

derent. Ita pertinaciter haec constitutio hujusmodi intermittentibus conducit; cujus certe acies prius est retundenda, quam continuae depuratoriae mihi dictae epidemie grassari fuerit integrum. Etenim in intermittentium specie natura plus satis festinare videtur, et agendi vehementia justo citius tempora materiae morbificae subigendae, mox etiam despumandae, debita percurrere: quod in depuratoria secus accidit, in qua non nisi post dies tredecim vel quatuordecim apparent signa materiae febrilis tandem concoctae, per sudores subinde, vel potius per διαπνοὴν paulo pleniorem eliminandae. His rite perpensis nullus dubito, quin febres istae depuratoriae, quae annis 61, 62, 63, 64 regnabant, quasi faeces fuerint intermittentium quarumdam, quae ante id tempus per seriem annorum certam saeviissent (quanto autem tempore hae invaluissent, haud equidem scio). Cum enim constitutio, quae ad intermittentes faciebat, saevitiem suam deponens jam ferme exolevisset, febres, quas postea parturiebat, magis humorales erant ac terreae; unde non nisi lente ac pedetentim sanguinem depurare sategerint, quae in primis constitutionis annis subtilioribus principiis innixae, atque adeo intermittentium typo indutae, celeri passu suis temporibus defungi solerent. Quod si res ita se habeat, verisimile mihi videtur, hanc febrim (depuratoriam volo) postliminio reversuram, quam primum praesens constitutio aliquantulum remiserit, eamdemque serie quadam annorum permansuram, antequam pestis eam exceperit. Per annos autem omnes, quotquot demum ii fuerint, quibus febris haec grassabitur, intermittentes etiam subinde se exserent, ac fortean nonnumquam, pro brevi tempore, epidemiae evadent; quando scilicet manifesta aliqua aëris temperies ad id symbolum suum conferet. An huic febri cortex peruvianus aeque medebitur, ac nunc dierum febribus intermittentibus solet, non habeo certo dicere. At in peste atque epidemiis continuis, quae eamdem ordine excipient, debellandis, non alios effectus ex ejus usu exspectare licet, quam eos, quos hodie in pleuritide, peripneumonia, angina, ac id genus febribus inflammatoriis, videmus; quibus non tantum non prodest, sed et plane obest. Sed utut id fuerit, eo quem diximus modo in posterum epidemiorum alii alios excipient, siqui-

dem natura eumdem ordinem, ac per viginti quatuor annos ultimo praeterlapsos, observaverit.

Atque haec fere sunt omnia, vir plurimum honorande, quae de morbis epidemiis annorum nuperrime elapsorum observavi.

In rheumatismi vero curatione (nam et de illo etiam morbo quaerebas) saepenumero mihi subiit tecum dolere, quod non nisi ingenti sanguinis vi, repetitis venaesectionibus educta, ea possit perfici; unde non tantum aegri vires pro tempore franguntur, sed si paulo fuerit natura debilior, aliis etiam morbis ad annos aliquot obnoxior fere redditur; cum post illos elapsos materia rheumatismum prius committens jam in pulmones depluat, aegro scilicet frigore perculso, vel alia aliqua προφάσει leviori, diathesis latens in sanguine jam foras in actum protrudatur. His de caussis experiri statui, an nulla alia methodus daretur a reiterata toties phlebotomia diversa, qua hic morbus possit debellari. Serio itaque perpendens, quod adfectus iste (uti jam pridem in acutorum historia subinnui) ab inflammatione videatur oriri, quod tum caetera arguunt phaenomena, tum praesertim sanguinis e pertusa vena color, utpote qui pleuriticorum sanguini per omnia similis est, tandem verosimile esse judicabam, morbum hunc diaeta simplici, admodum refrigerante, et mediocriter nutriente aegro imperata, aeque feliciter atque repetitis venaesectionibus profligari posse; etiam evitatis, quae alteri methodo adjungebantur, incommodis: neque me fefellit diaeta e sero lactis phlebotomiae loco substituta.

Praegressa aestate pharmacopola mihi in vicinia nomine Malthus (vir probus, et ingenio non vulgari) me accersebat. Rheumatismo autem misere cruciabatur his symptomatis stipato. Coxendice primo ad biduum claudicabat, exinde pulmones dolore tentabantur gravativo cum dyspnoea, quae post aliud ferme biduum evanescebat; dein caput vehementer coepit dolere, mox etiam coxendix dextri lateris, quae omnium primo laborabat; posteaque, pro morbi indole, omnes fere tam brachiorum quam crurum articuli per vices molestabantur. Cum debiliori esset et sicco corporis habitu, veritus, ne minus firmas jamdiu vires et labascentes, demto copiosius sanguine, prorsus exsolverem (maxime cum aestas eo usque adole-

verit, ut jam metus esset, ne superveniens hyems redintegrandis viribus frequenti venaesectione adtritis intercederet), imperavi, ut solo lactis sero ad dies quatuor vesceretur aeger, quibus elapsis, praeter serum lactis, pro victu ordinario panem similagineum concessi loco prandii, semel nempe in die, donec penitus convalesceret. Tenui hac diaeta contentus ad dies octodecim perseverabat, nisi quod postremis eorum alium insuper panem pro coena indulgerem. Serum autem e lactis libris octo domi paratum quotidie insumebat, quo satis bene nutriebatur. Post hos dies cum non amplius urgerent symptomata, et jam sub dio versaretur, carnes etiam promisi, pullorum scilicet elixorum, caeteraque *εὔπεπτα*. Tertio autem quoque die solo lactis sero victitabat, donec tandem pancratice valeret, incommodis, quae supra memoravi, hac methodo elusis, quibus decimo abhinc anno pessime excipiebatur, venaesectione ex meo praescripto in curationis subsidium tunc adhibita, ac saepe repetita.

Si quis hanc methodum tamquam rudiorem et artis laude carentem contemserit, sciat is velim, primo leviora tantum ingenia res quaslibet vilipendere, quod simplices fuerint et apertae, dein me, vel inminutae existimationis pretio, publico hominum bono inservire paratissimum. Quibus edico, quod nisi obstarent praejudicia vulgi, nullus dubitarem, methodum jam dictam aliis etiam morbis, quorum in praesentiarum nomen reticere libet, adcommodare. Quod sane magis aegris prodesset, quam solemnior illa remediorum pompa, quae in jam moribundis, tamquam bestiis, ut mox immolentur, coronatis, male collocatur.

Quod vero etiam ista, quae pro vilissimis habentur, et nullius sunt pretii, accedente ea quae in medico quaeritur solertia et *ἀγχινοίᾳ*, hominibus ab orci faucibus liberandis queant inservire, exemplo docebo: quod licet ad morbum, de quo jam agimus, nihil pertineat, non tamen prorsus est *ἀπροσδιόνυσον*, nec ab eo, quem mihi proposui, scopo alienum. Duobus abhinc mensibus quidam in vicinia me rogabat, ut servum inviserem, qui haud modicam Mercurii sublimati corrosivi quantitatem deglutiverat, sive, ut postea audivi, ex amore *μελαγχολῶν*. Hora fere elapsa erat, a qua venenum hauserat, cum ad eum accederem, jamque os et labia valde intumescebant, vehementer

aegrotabat, ardente ventriculi dolore, caloreque tantum non confectus. Ego tres aquae tepidae congios repetitis haustibus summa, qua potui, celeritate et diligentia ebibendos imperavi; atque ut toties nova ingereretur copia, quoties ventriculus jam ingestam per vomitum ejecerat: volui etiam, ut eluerentur intestina aqua tepida, sine ullo additamento, copiose per sedem injecta, ubi primum ventris tormina admonerent, venenum jam per inferiora exitum quaerere. Paruit miser, jam vitae avidus, et plures etiam aquae libras, quam praescripserim, absorpsit. Amici, qui aegro, utpote in casu insolito, adsiderent, ab eo didicerunt, quas primum evomuit aquas gustu perquam acres fuisse, sale scilicet venenato plenius exsaturatas; singulis autem vicibus rejectas aliquam semper acredinis partem amittere, donec tandem nihil prorsus saperent. Quae mox urgebant tormina, sola aqua injecta ad modum enematis leniebantur. Hoc tam nullo rerum adparatu, benedicente Numine, intra paucas horas convaluit aeger, nisi quod labia non statim detumescerent; ore etiam a veneni particulis, quae aquam, quam evomuerat, penitus infecerant, adhuc exulcerato. Quae symptomata diaeta e lacte solo, ad quatriduum adhibita, mox evanuere. Aquam oleo (quod hic una cum opere ignari solent perdere) atque aliis omnibus liquoribus ideo praetuli, quod cum ea magis esuriret, exinde magis idonea mihi videretur devorandis salinis hujus veneni particulis, quam alius quilibet liquor, qui vel crassior esset, vel particulis alieni corporis jamdiu praegnantior.

Sed ut ad rheumatismum revertar. Utut e sero lactis diaeta conveniat juvenibus, atque iis, qui temperate, et cum consilio vixerunt; tamen inconsultum fuerit, virilem aetatem praetergressos, vel vino, ac aliis liquoribus spirituosis, jam a longo tempore plus aequo addictos hac methodo tractare; utpote quae in hujusmodi hominibus ventriculum labefactet, et pariter, prae inusitato frigore sanguini inducto, viam sternat ad hydropem. In hoc igitur casu omnino par est, ut eo fere modo, quem libri nostri de Morb. acut. Sect. VI. cap. V. tradidi, curetur aeger: Tametsi, ex quo eum scripsi, experientia didicerim, satius esse, post secundam, vel ad plurimum post tertiam venaesectionem cathartica saepe saepius exhi-

bere, atque repetere, donec symptomata omnia penitus cessaverint, quam phlebotomiae rem totam committere. Etenim ob catharsin, suppetias ad everruncandum morbum phlebotomiae ferentem, citra ingentem istam sanguinis jacturam subsistere fas erit: atque porro locus relinquetur paregoricis, a quibus alias, utut saeviret dolor, aegro temperandum esset, cum illorum usu figatur morbus, neque tam facile venaesectioni cedat. Purgativa vero ista e lenitivis solum constent, ut Tamarindis, Senna, Rheo, Manna et Syr. Ros. sol. cum alia, quae ex Scammonio, Jalapio etc. parantur, tumultum cieant et dolorem exasperent. At singulis vespertinis post peractam catharsin Syr. de Meconio unc. un. aliquantulum temporius, quam id fieri solet, propinetur.

Hic autem commemorare libet, me per constitutionem instantem observasse adfectum quemdam modo etiam a nephritico dolore quoad saevissimum lumborum cruciatum non multum abludentem; qui cum febres intermittentes excipere soleret, translationi materiae febrilis in musculosas corporis partes originem suam debebat. Hoc symptoma haud diversam medendi methodum postulabat ab illa, quam morbus ipse, cui adhaereret, febris nempe intermittens, sibi vendicabat; cum a frequenti phlebotomia et quibuscumque aliis evacuationibus exasperaretur illud, atque aeger in vitae discrimen conjiceretur. Quod ut nemini imponat, id adtingere volui.

Atque haec sunt, spectatissime vir, quae in iis adfectibus, de quibus sciscitari libuit, sedula observatione habeo comperta: quae si aut tibi placuerint, aut profuerint aliis, mihi cedent ex animi sententia; me saltem, pro tenuitate mea, debitum tuae claritati observantiae specimen exhibere conatum mihi serio gratulabor,

Tibi semper addictissimus
THOM. SYDENHAM.

Doctissimo amicissimoque viro,
THOMAE SYDENHAM M. D. HENRICUS PAMAN.

Magnum rei medicae exortum est et lumen, et commodum, vir clarissime, ex consummata tua de morbis acutis historia, eaque sedula observatione, et fida experientia stabilita; non lucri aut famae aucupio scripta, sed sincera fide, et mente honesta; cum tibi amplum satis theatrum sit officium fecisse, et praesenti seculo quovis modo profuisse. Ipse hactenus celavi penitus, quod volui, at fortasse quid jam parem, tibi e longinquo subolet. Qui laudat, quod facis, urget, ut facias, quod adhuc laudetur. De morbis acutis scribere summa difficultas est, utpote quos tam rapida volvit rota, ut nisi opportuna sistatur sufflamine, ita praeceps ruat vita, nullis in posterum auxiliis, nullis suppetiis redimenda. Tu singula eorum momenta notas, et quid quovis temporis articulo fieri necesse sit. Opus quidem perfectum, et absolutum, cui nihil addi poterat, nisi majus promiseras, de morbis scilicet chronicis. Hi inducias ferent, et tutiores examinandi et judicandi moras.

Saepe nobis incidit sermo de propudio illo morbi venerei, cujus ignominiosam originem gentes Europeae a se invicem sedulo satagunt propellere, et ut ejus magis adhuc occultentur vestigia, ad ipsos Indos remotissimos amandant. Scordatorum audit flagellum, furiosae et indomitae libidini aptissime respondens poena; eo fortasse fine tardius remota, ut tanti constet poenitere. Et humanitatis, et peccati simul sensu tactus videbatur, qui palam optavit impurissimam hanc luem semel tantum curari posse. Cum jam autem ad agyrtas, tonsores, et infimos quosque sciolos ejus saepe devoluta sit curatio, illi aut fraude aut imperitia magno eam sumptu, majori etiam molestia tamdiu differunt et protollunt, ut vitae plane taedeat inter carnificum tormenta et

longissimas medicinae moras protractae, et fere levius sit aegrotasse, quam sanari. Jus igitur promissi, amice tamen, exigo; praemittas oro in arrhabonem reliquorum, si quid habes hac in re confectum. Humaniter, et sincere explices, qua methodo, quibus auxiliis hoc morbo captus se redimat, quam queat minimo. Satis est, ut aeger sub Deo, non etiam pejus sub medico vapulet. Hoc gratum pluribus fiet, et ad me aliqualis saltem pars gloriae redibit, utpote cujus precibus desideratissimum hoc opus in lucem dederis.

Tibi omni officio addictissimus,

H. Paman.

Ex Aedib. Lambeth.
Febr. 12. 1680.

EPISTOLA II.

RESPONSORIA.

Ornatissimo Eruditissimoque viro, HENRICO PAMAN, M. D. *Divi Johannis Cantabrigiensis socio, Academiae oratori publico, et in Collegio Greshamensi apud Londinenses in medicina Professori.*

Quamquam eum, quem de acutis morbis, vir spectatissime, nuper edidi tractatum, quae est tua tam humanitas, quam animi in me propensio, ceu opus undique consummatum depraedicare digneris; usque adeo tamen tenuitatis tum meae, tum istius opellae mihi sum conscius, ut me nihil aliud egisse existimem, quam viam praemonstrasse, qua qui ingenio magis valent, dictorum morborum et historiam et curationem queant investigare.

— — *Fungor vice cotis, acutum*
Reddere quae ferrum valet, exors ipsa secandi.

Et profecto ita multiplex, incerta, et delicata, ut ita dicam, est natura, atque ita ludit in his morbis producendis, ut unius non sit hominis, utut vivacis, varia eorum φαινόμενα et curationes iisdem accommodatas graphice depingere. Unum hominem dixi? quid quod vel decem quidem homines, per tot secula sibi invicem succenturiati, atque iidem tum maxima ingenii vi, tum indefessa industria praediti, tum etiam in praxi, quae numerosas observationes suppeditaret, versatissimi, perpulchre hic operam suam collocare possint? Tantum abest, ut ad artem medicam vel pervenerim ipse, vel me putem pervenisse:

Mecum habito, et novi, quam sit mihi curta supellex.

Morbos istos chronicos quod adtinet, quorum

historiae perscribendae spem tibi feceram, ita penitus animo meo insedit ejus rei studium, ut non tam alia de caussa, si bene me novi, vitam mihi prorogari exoptem, quam ut istiusmodi aliquo conamine communi hominum utilitati inserviam. At vero singuli me dies docent, quam sit arduum coeptum id, et quam periculosae plenum aleae (mihi prae caeteris, qui isto ingenii acumine atque solertia, quibus hic est opus, non satis valeo), cum apud scriptores rei mediae (divinum HIPPOCRATEM si demas, atque alios paucissimos numero) vix ulla deprehendi queant vestigia, quibus adjutus per rerum avia, spinis et sentibus impedita, iter faciam; cum, quae promittant subsidia auctores et lumina ostentant, magis ignes fatui sint, quam verae faces, et in salebras potius ac praecipitia sequentem agant, quam mentem fideliter et recta dirigant in genuina naturae methodo indaganda atque invenienda: utpote quorum scripta fere omnia hypothesibus innituntur, quas peperit lascivientis ingenii et phantasiae luxuria; ipsaque adeo morborum phaenomena (in quibus eorumdem historia vertitur), prout ab iis describuntur, ex eadem ὑποθεσέων officina prodeunt; quin et ipsa praxis, qua morbos adgrediuntur (quod humani generis pestis est certissima et pernicies), ad hujusmodi postulata componitur, non ad rei veritatem. Usque adeo grassantur, et regnant fere in singulis paginis cerebrosorum hominum commenta; jacent interim naturae judicia. Quibus non obstantibus, si vitam Deus atque otium concesserit, experiar fortassis aliquando, quid valeant humeri. In praesentiarum, ut animum agnoscas in tui obsequia paratissimum, en tibi offero, ceu ejus, quod molior, operis specimen, dissertationem hanc, brevem illam quidem, de lue venerea, et quam solam adhuc praelo adornavi.

Primum autem id adtingere volo, me haud paucos convenisse, qui sive prae studio, honesto quidem eo, incontinentiores a peccato coërcendi metu insecuturae poenae, sive ut castimoniae laudem sibi adrogarent, non dubitabant adserere, luis venereae curationem docendam non esse. His ego non adsentior; utpote qui existimem, nullum fere locum charitati atque operae mutuae relictum iri, nisi ea, quae sibi sua ipsorum culpa improvidi accersunt mala, huma-

niorum officiis sarciantur. Omnipotentis Dei est sontes castigare, nostrum vero miseris pro virili succurrere, atque aegris opem ferre; non autem curiosa caussarum indagatione illos acrius urgere, aut censorio vexare fastu. Tradam itaque, quae in hoc morbo observavi atque expertus sum: non quo hominum animos deteriores efficiam, sed ut corpora (quod mihi negotii datum est) reddam saniora.

Luis venereae historia.

Lues venerea ex India primum occidentali, an. Dom. 1493 Europam adpulit; cum ante id tempus ne quidem nomine tenus, quantum scire licet, nostro orbi innotuerit. Unde etiam morbus vulgo censetur iis tractibus Americae endemius, in quos nos primi colonias deduximus. Mihi vero potius e regione aliqua Nigritarum Guineae conterminorum originem traxisse videtur; cum a plurimis nostratium iisque fide dignis, qui insulas Caribes dictas incolunt, didicerim, mancipia recens a Guinea allata, etiam antequam in terram descenderint, tum alia ibidem degentia hoc morbo tentari, nulla copula impura praegressa, ita ut non raro universam aliquam eorum familiam, viros scilicet, mulieres, liberosque male mulctet. Neque ista lues, quae adflictissimos hosce saepe saepius invadit, vel hilum a venerea nobis dicta, quantum ego quidem intelligo, quoad symptomata, dolores scilicet, ulcera, etc. habita nempe diversorum climatum ratione, videtur discrepare, licet nomine prorsus abludat, cum *the yaws* ab illis dicatur. At nec medendi methodus, qua utuntur illi, a nostro abhorreret, utrobique enim salivatio ex hydrargyro utramque facit paginam: non obstante eo, quod hic apud nos dicitur de eximia Guajaci et Sarsaparillae vi, quam in natali solo exserant, quae ex longo ad nos itinere tantum non exhausta putatur. Probabile itaque mihi videtur, Hispanos, qui in Europam primi hunc morbum traduxere, eodem infectos fuisse ex contagio Nigrorum emptorum in Africa, quorum genti alicui (multi enim sunt populi Guineae confines, apud quos invaluit mos ille barbarus homines Europaeis mercibus permutandi) endemius esse potest. Utut sit, contagiosa ista lues paulatim serpens has orbis terrarum partes eo usque inquinavit,

ut, si ea celeritate grassaretur adhuc, qua primum invasit, intra secula aliquot actum esset de genere humano, vel saltem nosocomiis de caetero addictum, prorsus impar esset iis rebus gerendis, quibus continetur hominum societas: nisi quod, vegetabilium instar, in alienum a patrio solum quasi transplantata, Europaeo nostro non perinde laetatur, sed languet indies, et mitioribus phaenomenis fatiscit. Novus apud nos hospes cum esset, si quem adripuerat, mox omnem sanguinis massam contaminabat, et diris capitis atque artuum doloribus, tum etiam ulceribus variis in partibus se prodebat. At vero centum retro annis gonorrhoeae virulentae specie se primum ostendebat, ostenditque adhuc; hac sibi porta exitum quaerens, nullo alio manifesto symptomate, nisi quod in perpaucis ulcusculum in pudendo (vulgo a shanker) primum morbi est indicium; cujus virus cum per gonorrhoeam non ejiciatur, sanguinis massam dicto citius pervadit inficitque.

Propagatur autem venerea haec lues vel per generationem, unde misellus infans ab inquinato parentum altero mala ducit stamina vitae; vel per contactum mollioris alicujus partis, quo virulentia atque inflammatio corpori insinuantur, ex occasionibus hoc in loco dicendis. Primo in lactatione v. g. vel infans nutricem per rariores mammillarum poros, vel nutrix infantem per os tenerum inficere potest. Secundo, infantes si nudi cum inquinatis in eodem lecto dormiant. Licet enim adulti, quorum caro jam firmior aetate obduruit, vix nisi intercedente impuro coitu, quamvis simul dormiant, possint infici; infantium tamen laxior caro, et texturae rarioris venenum facile excipit; quod non semel observavi, infantibus a genitoribus, quibuscum dormiebant, infectis contigisse. Tertio autem, partis mollioris contactus maxime in coitu impuro fit, ac proinde eo prae caeteris modo serpit lues; cum scilicet penis spiritibus generationi dicatis turgidus, a venereo sive ulcere, sive etiam pustula, in uteri vagina stabulante noxam de facili haurit, quorum alterutro intus latente mulier nihilominus sana videri potest; veneno nempe, vel illarum partium illuvie ita detento, ut segnius invadat sanguinem, vel per menstruas purgationes diluto saepius et quadamtenus exterminato.

Contagio haec carnosam virgae substantiam, quantum ego judico, primum adoritur, quam quidem corrumpens, eidemque primo inflammationem, mox ulcerosam διάθεσιν sensim inducens efficit, ut sanies, qualem in gonorrhoea cernimus, in urethram lente exstillet: quod ut credam, hac ratione promoveor. Ipse scilicet vidi virulentam hujusmodi materiam per substantiam glandis porosam exsudare, non per urethram ejectam, nulloque ulcere vel glandem occupante, vel praeputium. Tandem vero altius penetrans, glandulas prostatas efferato ulcere solet depascere; quod haud raro cernitur in eorum cadaveribus, quos hic morbus e medio sustulit.

Gradibus mox dicendis procedit hic morbus. Aeger (ocyus aut serius, prout mulier, quacum consuevit, magis minusve fuerit inquinata, pro ratione etiam temperaturae μίσματι excipiendo magis minusve idoneae), primum dolore genitalium insolito cruciatur, cum quadam rotatione quasi testiculorum; postea, si recutitus non sit, macula primo morbillum jam erumpentem magnitudine et colore aemulans glandis partem aliquam invadit. Statim ab hujus maculae exortu, liquor quidam lente exstillat, seminis instar, qui quotidie a seminis tam colore, quam consistentia recedens, flavescit tandem, aliquanto dilutius ovi vitello; et in lue virulentiore intensioreque non modo virescit, sed et aqueo humori permiscetur sanguine affatim tincto. Pustula jam dicta ulcus tandem fit, primo haud absimile aphthis, infantium ora obsidentibus, quod indies latius et profundius depascatur, supervenientibus orificii callo et duritie. Animadvertendum est autem, quod memorata pustula raro gonorrhoeam comitem habet in iis, qui aut jam pridem gonorrhoea laborarunt, aut recutiti sunt; utpote quorum glans tum ab aëre, cui exposita est, tum a frequenti linteorum attritu indurescens, noxam non ita facile suscipit. Hujusmodi verpi igitur glandis ulcere fere non tentantur, sola gonorrhoea dicto modo nascitur. Hanc alia mox symptomata excipiunt, ut primo magnus doloris sensus in pene, quoties erigitur, perinde ac si valida manu transversus fortiter constringeretur; qui noctu praecipue urget, quoties in lecto aeger coepit incalescere: quam quidem constrictionem penis dolorificam morbi hujus in

hoc statu existentis signum παθογνωμονικώτατον existimo. Incurvatur etiam veretrum a fraeno jam contractiore, quod cum in erectione extenditur, pro natura sua acutissimum dolorem adfert. Accedit etiam ardor urinae, qui plerumque inter mingendum vix percipitur, at vero aeger jam a mictu cessans per omnem urethrae ductum acriter admodum uritur, maxime qua in glandem desinit. Nonnumquam etiam erosa atque excoriata urethra, jugi puris acrioris fluxu, natura in carne nova vice jam deperditae justo occupatior, laxam quamdam et spongiosam substituit; quae mole quotidie aucta et sensim indurata caruncularum excrescentiis ita meatum urinarium infercit, ut tandem lotio non detur exitus, quae quidem carunculae nihilominus ex ulceribus sibi adnatis ichorem quemdam evomunt, et tum medico crucem figunt inter curandum, tum aegro magis ipsa morte timendum malum. Quinimmo saepe accidit, ut sanies, quae per gonorrhoeam deplenda erat, vel a motu violentiori, vel adstringentium usu in scrotum deposita, atrocissimum dolorem et scroti inflammationem accersat; nunc alterutro, nunc utroque ejus latere in molem ingentem elato; gonorrhoea interim progreditur tardius, at vero urinae ardor non mitius urget. Atque haec sunt communiora morbi hujus symptomata, manente hoc ejus statu.

At vero quoties sive morbi diuturnitate, et in dictis partibus mora, contagio sursum fertur, et sensim sanguini labem inprimit; aut materia virulenta indebito adstringentium usu in corpore retenta humores putrescunt, vera lues exoritur, in qua tumores sive bubones saepe in inguine comparentes primum ejus gradum constituunt. Dolores tum caput, tum artus in articulorum interstitiis, humeros scilicet, brachia et talos, crudeliter laniant, nullo ordine invadentes, et per intervalla; licet noctu aegrum lectuli calore perfusum rarissime destituant: nec nisi sub auroram libenter evanescant. Crustulae etiam et porrigines varias corporis partes deturpant. Flavescunt hae ferme ad instar favi, quo signo a caeteris omnibus queant internosci. Quandoque superficie latiore varia occupant corporis spatia ad eum modum, quo lepra in medicorum scriptis depingitur. Quanto autem magis scabies haec diffunditur, tanto minus

aeger discruciatur. Universa symptomata pedetentim incrudescunt, dolor prae reliquis, qui tandem eo usque exacerbatur, ut se nequeat miser diutius in lecto continere, sed protinus exiliens, huc illuc in cubiculo cursitet irrequietus ferme, donec illucescat. Adde, quod prae doloris vehementia cranium atque ossa tibiarum brachiorumque hinc inde adtolluntur in perdura tubera, exostoses dicta, excrescentiae osseae in equorum tibiis (vulgo a Spavin) haud absimilia: quae quidem ossa tuberculis obsessa jugi dolore ac inflammatione tandem cariosa redduntur et putrescunt. Ulcera etiam phagedaenica varias corporis partes depopulantur, quae fauces utplurimum primo adgredientia sensim per palatum in nasi cartilaginem propagantur, quam mox absumunt, ita ut is jam fulcro destitutus plane concidat. Crescentibus indies ulceribus et dolore aucto aeger partim indesinenti carnificina enectus, partim ulceribus confectus et putredine vitam trahit cruciatu, foetore, carie, opprobrio molestissimam, et quavis morte longo intervallo miseriorem; donec tandem pereuntibus per vices membris lacerum cadaver, et jam superis grave humo condatur.

Intrinsecam hujus morbi naturam, essentialem quam vocant, nisi quatenus ea ex istis, quae jam depinximus, symptomatis elucescat, non mihi magis perspectam esse arbitror, quam est essentia sive plantae cujuslibet, sive animalis. Quidquid vero de ea sit, certo mihi constat, humorem hunc committentem inflammationis haud mediocris participem esse, unde haec tot malorum Ilias: constat etiam dictum humorem evacuandum esse, idque iis mediis, quorum efficaciae experientia, medicorum magistra, suffragatur, cum nondum inveniatur immediatum aliquod specificum, cujus ope sine evacuatione praegressa lues debellari queat. Neque enim vel mercurius, vel ligna exsiccantia dicta, specificorum titulo sunt donanda, nisi exemplis in medium adlatis probare quis possit, vel Mercurium absque salivatione, vel lignorum decoctum nullo subsequente sudore luis venereae curationem quandoque absolvisse. Utque experientia didici, sudorifica vulgaria haud minus profecisse in hoc morbo, quam lignorum decoctum, ita nullus dubito, quin si reperiri possit aliud quid

sive in regno vegetabili, sive animali, quod in excitanda salivatione pares cum Mercurio vires haberet, pariter etiam ad sanandam luem valeret. Quandoquidem autem hic morbus adhuc intra gonorrhoeae limites subsistens, longe ab eadem distat, cum jam omnem sanguinis massam contaminaverit, et venereae luis nomen praecise mereatur, ita etiam evacuatio, qua gonorrhoeae materia ejicitur, alia prorsus est atque illa, qua lues jam formata eliminanda est.

Gonorrhoeae virulentae curatio.

Gonorrhoeam itaque quod adtinet, de qua primo agemus, in remediis catharticis, quantum huc usque usu comperimus, curationis omnis cardo vertitur; quorum auxilio vel educitur humor peccans, vel procuratur diversio succorum corporis naturalium, qui aliter hosti in pabulum cederent. Quamvis autem tum ratio, tum experientia mihi dictant, hunc morbum a quolibet demum cathartico saepe diuque exhibito sanatum iri, ea tamen caeteris δραστικώτερα mihi videntur, quae bilem, maxime vero quae ichorem, seorsum fortiter e sanguine expurgant et subducunt. Ac proinde sola Jalapii radice pauperibus aliquoties subveni, quorum tenuitati et rebus domi angustis consulendum erat. Cum vero et morbus conspicuam secum trahat inflammationem, et medicamenta purgantia, quibus expugnandus is est, calida etiam sint, diaeta refrigerans omnino est imperanda a carceribus, quod dicitur, ad metas.

Sic itaque soleo praescribere. Rec. mass. Pilul. cochiar. maj. drachm. tres, Extract. Rudii drachm. un., resin. Jalap. et Diacryd. aa. drachm. sem. cum s. q. Opobalsami F. Pil. e singulis Drachm. vj. Quatuor ex his singulis auroris deglutiendae sunt, hora quarta vel quinta (ita ut aeger superdormiat) ad dies duodecim vel quatuordecim, vel etiam plures, donec scilicet urinae ardor, et materiae seminiformis color flavus admodum imminuantur; quae cum pro voto successerint, satis esse autumo, si aeger interjecto semper die uno, easdem repetat ad septimanas adhuc duas; quo tempore elapso sufficit, ut bis in septimana sumantur pilulae, donec humor ex urethra stillare solitus prorsus evanescat, quod utplurimum

non nisi post multos dies contingit. Quamvis enim vulgo adfirmetur, quod ejusmodi ichor, qui ardore urinae et flavo materiae exstillantis colore disparentibus, mane praesertim, in summitate colis digitis compressi ad guttulam unam alteramve cernitur, a debilitate tantum et a laxitate partium ob diutinam virosi fomitis in eis moram oriatur, miseri tamen experiuntur magno suo malo, reliquias has esse contagii non penitus deleti; quod licet quadamtenus subactum, ex levissima quaque occasione (a potu scilicet nimio, aut exercitio quolibet vehementiori, aut simili alia) novas excitat tragoedias; gonorrhoea postliminio recrudescente, si nempe aeger catharseos molestiam defugerit, nondum exstirpato radicitus morbo.

Si post hujusmodi purgationem gonorrhoea nondum cedat, ex usu erit loco pilularum, maxime in iis, qui difficilius purgantur, potentius aliquod medicamentum subinde intercalare; cujusmodi est potio sequens, quae semel tantum hausta magis aliquando fecit ad sistendam gonorrhoeam, quam leniora cathartica saepenumero ingesta. Rec. Tamarind. unc. sem. fol. Senn. drachm. duas, Rhei drachm. un. sem. Coq. s. q. aq. Colaturae unc. tribus dissolv. Mannae, et syr. Rosar. solut. aa. unc. un. syrup. de Spina cervin. et Electuar. e succo Rosar. aa. unc. duas M. F. Potio. Vel curatione tardius procedente detur Turbith minerale ad gr. viij. tantum bis vel ter (idque interposito debito temporis spatio, ne forte oboriatur ptyalismus); quod quidem remedium in eradicanda gonorrhoea pervicaciori facile primas fert. Vel bis in septimana pil. sequentes exhiberi poterunt. Rec. Pil. ex duobus drachm. sem. Mercur. dulc. scrup. un. cum s. q. Opobalsami. F. Pil. iv. sumendae summo mane.

Est autem, ubi aeger a catharsi dicto modo repetita usque adeo abhorret, ut ne conspectum quidem, vel odorem solum remediorum ferre queat. Est etiam, ubi corpus ex *ἰδιοσυγκρασίᾳ* quadam ita pertinaciter purgantibus refragatur, ut debita peccantis humoris quantitas nequeat educi; atque ita dum impensius in hoc laboratur nullo cum fructu, lues tandem obrepit, quae eos saepissime aegros adoritur, quorum corpora catharticis fortius obsistunt: cum ita

se res habeat, enematis agendum est, quibus injectis utrique indicationi, humoris scilicet tum expurgandi, tum ab adfecta parte derivandi satis fieri potest. Quin etiam haec methodus expeditior est nonnumquam praememorata ista, at non aeque tuta, me judice; cum prior illa licet diuturnitate molestior, minus tamen habeat periculi, neque contagiosi fomitis particula in visceribus haereat, novos datura tumultus; hoc vero incommodum facillime evitatur, si cathartica per os adsumta diebus ab usu clysterum liberis, mutuam iis operam commodent.

Hac itaque via incedo, pilulas jam praedictas, aut alias ejusmodi, duabus tribusve auroris continuis exhibendas curo; postea enema sequens mane, et hora quinta pomeridiana quotidie injiciendum, donec penitus cessaverint symptomata; nisi quod semel aut bis in hebdomade catharticum impero, misso die isto clystere. Rec. Electuar. e succo Rosar. drachm. vj. Terebinth. Venet. vitello ovi solut. unc. sem. dissolvantur in aq. Hordei libr. un. Colaturae adde El. diacathol. unc. duas M. F. Enema: singulis etiam noctibus Opobalsami vel Balsami e Mecha gutt. xxv. sacchari frustulo exceptas concedo sub lecti ingressu; quod quidem medicamentum, cum Terebinthinae quoddam genus sit liquidum ac purum, iisdem, quibus illa, facultatibus pollet, et ulcerosae genitalium diathesi apprime succurrit; hujus itaque defectu Terebinthina Cypria ad quantitatem avellanae dictis temporibus devoranda substitui possit.

Procedente curatione, quacumque ea demum methodo tentetur, aegro cibis omnibus sale conditis, vel alias dyspeptis (quales sunt carnes bovinae, porcinae, pisces, caseus, radices, olera), et fructibus horariis quibuscumque interdico; quibus substituo carnem vervecinam, vitulinam, pullorum, cuniculorum, et caetera εὔπεπτα. Volo etiam, ut vel his parcissime utatur, tantum ut aegri vires non labascant. Potus, vino in genere abdicato, et liquore omni sive spirituoso, sive acescente, hydrogala esto, ex tribus aquae coctae partibus et lactis una; nisi quod in prandio et coena cerevisia tenuis in parva quantitate possit indulgeri. Ad contemperandam insuper inflammationem, et mitigandum ardorem urinae, refrigerantem aliquam emulsionem ad sequentis nor-

mam compono, in purgationum interstitio frequenter potandam. Rec. Sem. Melon. et Pepon. aa. unc. sem. sem. Papav. albi drachm. duas. Amygdal. dulc. excorticat. n. viij. contund. simul in mortario marmoreo, sensim adfundendo aq. Hord. libr. un. sem. Colaturae adde Sacchari crystallini q. s. M. F. l. a. Emulsio.

In temperamento admodum sanguineo et adfectu pertinaciore post mensem catharsi datum, aut circiter, utplurimum sanguinis uncias octo vel novem e brachio dextro detrahendas suadeo; ut maturius celebretur venaesectio, auctor non sum, ne hac προφάσει contagium penitius inferatur. Injectiones in urethram non magni facio, utpote quae sive acrimonia sua mordaci, sive stypticitate non raro magis officere soleant, quam prodesse: verumtamen sub morbi exitu aqua rosacea in pauca quantitate potest injici.

Hac methodo, quae mihi semper pro voto cessit in gonorrhoea sananda, meliorem nondum comperi; maxime in iis, qui facile purgantur. In iis enim, qui purgantur aegrius, curatio, licet numquam fallax, tamen non nisi post longum temporis spatium perficitur. In his itaque sanguis iterum mittendus, et acuenda sunt cathartica, tum etiam repetenda saepius, atque in eorum usu diutius est perseverandum, aut clysteres modo jam signato usurpandi. Etenim catharsis hic ad instar omnium est. Atque in hoc adfectu, si in alio quopiam, vere adseritur, quod qui mundificat bene, bene sanat: modo ab aquis mineralibus sibi temperet, quas certo mihi constat morbi reliquias e corpore eliminandas vi adstringente, et plus satis sanativa, arctius constringere, et quasi clavo figere trabali; unde, quod saepius observavi, scroti tumores enascebantur, quoties in morbi principio, vel statu, pejoraque adhuc symptomata ut carunculae, si quando sub ejus exitu potarentur. Quod quidem ego fidenter adsero, quantumlibet ex more hodie recepto aquae minerales in dicto casu haud raro praescribantur.

Neque sum nescius, quantum se venditent practicorum nonnulli in hujus symptomatis curatione, qua breviore temporis spatio, qua remediis magni nominis et tituli absolvenda; interim observatione plus satis frequenti certo deprehendi, materiam, quae

eliminanda fuit, adstringentium vi in corpore detentam maximum aegris dedisse malum, ex quo persaepe sanguinis massam de novo subiens ipsam demum luem parit. Nec majore cum fructu, licet periculo minore, decoctum lignorum exsiccantium usurpatum comperi; quo scilicet sub praetextu specificorum tum universum aegri corpus, tum prae caeteris adfecta pars jampridem nimis incalescentia ulterius adhuc inflammabantur; nonnumquam etiam gonorrhoea, quae paulo ante evanuerat, quod me observasse memini, denuo in conspectum prodiit.

Animadvertendum est autem, quod si aegri glans praeputio undiquaque contegatur, atque ejusdem ora prae inflammatione usque adeo tumida, dura, ac callosa reddantur, ut nullo modo queat reduci; laterem lavat, quisquis gonorrhoeam remediis purgantibus, fortissimis licet, et quotidie ad nauseam repetitis adgreditur, nisi eodem tempore id agatur, ut pars ita adfecta ad statum sibi naturalem redeat; sublatis et duritie et tumore, unde gonorrhoeae novus utique fomes subministratur. Quod quidem ego admolior fotu sequente. Rec. Rad. Althaeae, et Liliorum aa. unc. un. sem. fol. Malv. Verbasc. Sambuc. Hyoscyam. flor. Chamaemel. et Melilot. aa. M. un. sem. Lini et Foenigraeci aa. unc. sem. Coq. s. q. aq. font. ut F. Fotus, parti adfectae admovendus, per horae unius spatium, bis vel ter in die. Peracta fomentatione partem adfectam oleo e semine lini recenter extracto perungendam curo; deinde emplastrum e mucilaginibus, alutae agninae inductum, labiis praeputii tumidis circumponendum. Quod si ulcus vel in ipsius praeputii labiis, vel in subjecta glande haerens sua callositate facit, ut illud non nisi aegre possit retrahi, praeter fotum jam dictum sequens etiam linimentum praescribo. Rec. Unguent. Basilici drachm. vj. Unguent. e Nicotiana drachm. duas. Praecipitat. aq. Ros. lot. et optime laevigat. drachm. sem. M. F. Linimentum, quo lintei rasum imbuatur, et ulcusculo admoveatur semper post fotus praescripti usum.

Ubi vero, sive quod justo maturius gonorrhoea sistatur, sive ab exercitio vehementiori, aut alia quacumque de caussa, scrotum jam morbi sedes ab eadem in tumorem insigniorem adtollitur, praedictum fotum bis in die parti adfectae admoveo, modo non inmi-

nuantur et dolor et tumor cataplasmate vulgo noto ex oxycrato et farina fabarum. Haec dum foras peraguntur, non desino remediis et catharticis, et refrigerantibus, quae modo praescripsimus, introsumtis, tum etiam diaeta supradicta hostem urgere; neque mihi religio est, quovis hujusce mali tempore sanguinis unc. ix, vel x. e brachio isto detrahere, quod testiculo tumefacto respondet, si tumoris magnitudo et vehementia doloris id mihi suadeant. Atque haec hactenus de gonorrhoea.

Luis confirmatae curatio.

Cum vero eousque invaluerit morbus, ut jam venerea lues, vel lues confirmata praecise dici mereatur, alia omnino porta quaerenda est, et duriori huic nodo cuneus itidem durior est adhibendus: quandoquidem nullum adhuc experimentum, quod sciam, adferri possit exstirpati hujusce morbi, nisi per salivationem ab hydrargyro excitatam: quidquid tam doctorum nonnulli, quam indoctorum de aliis sanandi modis satis temere et audacter effutiverint. Cum itaque salivatio omnem hic numerum absolvat, id tantum mihi incumbit, ut quae in ea excitanda, tum etiam regenda et ratio (qualis qualis ea demum fuerit), et observatio rationi suffragata mihi dictaverint, edisseram.

In principio autem ne conjectura quidem adsequi possum, quid sibi velint crebra ista monita, quibus de corpore remediis catharticis et digerentibus, balneo puta et caeteris id genus, rite praeparando, ita serio cavetur; ut de venaesectione jam taceam, cui nonnulli hic loci primas deferunt. Cum enim, si veritati sit litandum, eo res redigatur, ut veneno salivatio procuranda sit (neque enim adhuc innotescit salubre aliquod medicamentum, quo possit excitari, neque aeger sine ejus ope in tuto collocari potest), quaeritur, utrum corpori constantibus adhuc viribus vegeto et valenti, ac proinde fragendis inimici conatibus haud impari; an eidem missione sanguinis et tenui diaeta jam debilitato rectius committatur venenum. Haud dubie satius esse duxerit aequus rerum aestimator, nihil agere, quam ita importune satagendo nocere. Quid quod experientia testatur, nullis evacuationibus, aut alio modo, infirmatos salivatio-

nis impetum multo melius sustinere, quam eos, quorum quasi ante praelium incisi sunt nervi.

Misso itaque damnoso omni hujusmodi praeludio, statim atque accersor unguentum praescribo ex Axungiae porcinae unc. duabus, et Mercurii crudi unc. un. Neque oleum aliquod e calidioribus, neque aliud quid admisceo, cum deterius fiat unguentum, si quod adjecta ista fraenum injiciant, et nihilo efficacius, si nihil prorsus agant: et fortasse additamenta ejusmodi sub nomine correctivorum idem hic praestant (si quid tamen praestant), quod catharticis adjuncta judice experientia solent praestare; tormina nempe excitant, et catharsin reddunt laboriosiorem, a lucta scilicet inter antidotum et catharticum, cujus vis omnis purgans in eo posita est, quod naturae hominis inimicetur. Verum ut tertia parte dicti unguenti brachia, crura, et tibias ad tres noctes continuas (primam qua accersor includendo) manibus suis aeger perungat, injungo; ita tamen, ut neque axillas, neque inguina adtingat uspiam, et abdomen panno laneo tenuiore circumposito et posterius consuto, a linimenti contactu diligenter muniat. Post tertiam inunctionem gingivae utplurimum intumescunt, et ptyalismus suboritur. Si vero intra tres dies, post ultimam inunctionem, idem haud procedat, tum gr. viij. Turbith. mineral. in Conserv. Ros. rubr. exhibeantur aegro, qui post singulas vomitiones aut sedes sumat haustum liquoris possetici calide. Cum exspuere inceperit, id jam medico negotii tantum est, ut gradum salivationis scrupulose expendat, ne invocatis temere suppetiis, salivationem eo usque evehat, ut aeger de vita periclitetur. Ubi jam ptyalismus statum debitum fuerit adeptus (in quo exspuuntur utplurimum librae quatuor spatio nycthemeri), vel symptomata, etiamsi parcius exspuat aeger, evanuerint (quod plerumque contigit post quartam diem a statu salivationis), et indusium et tori lintea aliis, quae, a quo ultimo lavabantur, usurpata aliquamdiu fuere, sunt permutanda: cum priora ista, unguento infecta, salivationem et magis quam erat opus intendere, et longius protrahere, quam aegro expediat, apta nata sint. Quod si forte prius elanguescat salivatio, quam symptomata penitus disparuerint, exstimulanda subinde est mercurio dulci ad scrup. un. pro dosi exhibito.

Nonnumquam accidit, praesertim in corporibus εὐμεταβλήτοις, quod post unam vel alteram inunctionem (nempe simul ac hydrargyro sanguis adfici inceperit) natura illico per intestina hunc hostem expellere satagat, unde non solum dejectiones mucosae, et tormina ventris, ut in iis, qui dysenteria laborant, eveniunt, verum etiam curatio morbi impeditur, utpote qui salivationi tantummodo cedere soleat. In hoc casu a mercurio sive extra applicito, sive intra adsumto prorsus absistendum, donec haec symptomata penitus evanuerint; atque porro dictus alvi fluxus (qui plerumque accidit, antequam salivatio bene adsurgat) sistendus est usu Laudani liquidi, ita dosin augendo atque repetendo, prout urgeat symptoma; aut Diascordii sesquidrachma, aliquoties, prout opus fuerit, devorata. Diarrhoea tandem cohibita, salivatio debito modo procedere solet, quae antea vix appareret.

Convalescente de caeteris aegro, nisi quod os adhuc exulceretur (qui genuinus est ptyalismi fructus), salivatio, quae jam indies inminuitur, nec purgatione, nec alio modo quocumque sistenda est: fieri enim potest, ut etiam post consopitum dolorem, atque exsiccata ulcera aliquid de morbi fomite adhuc in corpore delitescat, bella denuo moturum, nisi sibi permittatur sputatio illa moderata, quae postquam, redintegrata sanitate, homo se aurae liberiori aliquamdiu exposuerit, desitura est. Periculosum itaque esse arbitror, ptyalismi jam abiturientis et mox evanituri reliquias vel catharsi deducere, vel lignorum decocto exsiccare velle; a qua praxi, quae vulgo obtinet specie vel mercurii e corpore eliminandi, vel corrigendae ejus malignitatis, nascuntur sine dubio frequentes istae recidivae, quae miseris accidunt, sanitatem tandem aliquando post tantum impensarum, tot exantlatos labores, tantum taedii devoratum anhelantibus, ad quam etiam certo pervenissent, si salivatio non nisi suo tempore determinaretur. Longe itaque consultius esset, ptyalismum promovere mercurio dulci semel in hebdomade exhibito, etiam postquam omnino convaluerit, et jam sub dio versetur (quod et ego per menses aliquot fieri aliquando jussi), quam eumdem praematurius inhibere.

Quantumlibet autem a catharsi in salivationis de-

clinatione ob jam dictas caussas abhorream, fieri tamen potest, ut in ejusdem statu ea nec praetermitti possit, nec debeat; quoties scilicet re male gesta eousque fuerit evecta salivatio, ut jam aegri vitae metuatur: quo in casu non tutum modo est, sed et necessarium etiam, cathartico ingesto ptyalismum ad eum gradum deprimere, ut cum aegri εὐφορίᾳ procedat, qui deinde suo juri relinquendus.

Si quis jam quaerat, an nuda salivatione contenti esse debeamus, nec catharticis, nec aliis remediis solemnibus in usum post eam peractam revocatis? respondeo, praeter jam dicta, quibus et ratio adstipulatur, et experientia, me velle doceri, quam ob caussam magis sit necessarium purgare post salivationem, quam salivationem excitare post catharsin, cum remedia purgantia (scammoniata maxime, et id genus acria), malignitatis quidpiam in corpore relinquant, quod naturae tamen committimus, cujus vi tandem subjugatur istud, quidquid est veneni, eo scilicet, qui purgatus fuit, ad regimen consuetum, exercitium et liberiorem aëris usum se recipiente. Atque id porro libenter scire velim, qua demum arte freti, mercurii reliquias per catharsin expellere conamur, cum genuinam illam ac prope unicam methodum (per salivationem scilicet), qua natura id efficere solet ac debet, non solum negligamus, sed etiam impediamus? Hujusmodi autem hallucinationes minimis istis rationis scintillulis imputandae sunt, quibus nos miseri mortales tantum praediti, ad veritatem in profundo demersam non penetrantes, quamlibet ejus umbram et speciem amplectimur, pro Junone, quod ajunt, captantes nubem; mox colloquia miscentes, praejudicia male fundata ita penitus nobis invicem infigimus, ut tandem phantasmata nostra, et delirantium insomnia, pro principiis apodicticis haberi velimus; cujus specimen, ni fallor, prae manibus nobis est.

Quamvis autem in plerisque curatio modo jam dicto absolvatur, vix inunctione per tres noctes continuas, et exhibito Turbith minerali ptyalismo haud rite procedente, mercurio item dulci ad vices aliquot, eodem justo citius fatiscente; serio tamen animadvertendum est, in quibusdam reperiri idiosyncrasiam sive temperamentum quoddam peculiare tam

salivationis respectu, quam purgationis (atque eadem plerumque in iisdem, ut qui aegre purgantur, aegre etiam ad ptyalismum perducuntur), ita ut in nonnullis methodus laudata vix gingivarum exulcerationem queat efficere, multo minus salivationem eam procurare, quae malo eradicando par sit. In hujusmodi aegris medico summopere cavendum est, ne animo nimium obstinato salivationem importunius urgeat, recalcitrante natura atque ab isto evacuationis genere prorsus abhorrente. Quod qui minus intellexere, aegros haud paucos leto dederunt. Etenim in corporibus ita factis, quotiescumque medicamenta, sive externa illa fuerint, sive interna, pertinaciter ingeminaveris, loco salivationis perfectae nil praeter ventris tormina, et dejectiones dysentericas obtinebis, natura per hanc partem hydrargyri virus amoliente; vel dolores ventriculi et aegritudines, sudores frigidos, horrendaque alia symptomata accerses, ita ut aeger tantum non agat animam, forte etiam mox eam evomat. In his licet medico concedi possit, ut postquam ad dies quatuor, vel quinque a postrema inunctione salivationem frustra praestolatus fuerit, inunctionem jam saepe dictam, et Turbith minerale denuo repetat (interjectis inter singulas inunctionum vices diebus aliquot); religiose tamen cavere debet, ne, cum tanto conamine salivationem incassum sollicitaverit, eam per vim invitae naturae extorquere pergat. Hic itaque modus, quantum ego judicio valeo, medico tenendus est, ut, ubi primum vel aegritudo ventriculi, vel ventris tormina succedant, statim sibi temperet a remediis adhibendis, donec ea penitus evanuerint symptomata. Pluribus enim et fortioribus remediis, ad cogendam *φύσεως ἀντιπραττούσης* salivationem accumulatis, dysenteria certo certius, tormina ventris, et ventriculi aegritudinem mors excipiet. Cum ex adverso, si lente festinet, et moras trahat, Mercurii dulcis scrup. un. semel aut bis in septimana exhibendo, vel per se, vel cum drachm. un. Diascordii, si aeger in diarrhoeam propensior sit, tandem aliquando cum bonis aegri rebus optata potietur arena. Quantumvis enim ptyalismus ad plenum numquam adsurget, aeger tamen copiosius, quam pro more solito, exspuet, et foetor, justae salivationis comes, neque imminutio-

rem hanc destituet: unde evincitur, sanguinem et humores eam sive putrefactionem, sive alterationem, quaecumque ea demum sit, adtigisse, quae vel parit salivationem, vel cum ea nascitur. Atque hac methodo universa hujus morbi symptomata tandem expugnabis, concesso utique debito temporis spatio.

Observandum est autem, quod licet salivatio remedia alia, qualiacumque ea fuerint, in exstirpanda lue confirmata longe exsuperet, gonorrhoeam tamen cum lue concurrentem neutiquam valet sanare; nec sistetur illa, hac jam penitus devicta: unde recte colligitur, nullam vim specificam mercurio inesse, qua venerea lues immediate debellari possit; quamlibet specificum mediatum forte dici mereatur, in quantum mediante ptyalismo morbum expellat; pari ferme καταχρήσει (quod alias subinnui) atque scalpellum chirurgicum laterali morbo specificum queat adpellari.

Sed ut ad rem redeam. Quoties lues et gonorrhoea una stabulantur, vel ante salivationem, vel ea jam peracta gonorrhoeae curatio tentanda est; quod et tutius fit, me judice, et facilius etiam post finitam salivationem, cum luem habens comitem gonorrhoea aegrius dometur; quae vero a praegressa salivatione quadamtenus subacta fuit, minori negotio expugnari soleat. At vero catharticis religiose abstinendum est, quousque vel minimae salivationis reliquiae supersint. Quamobrem Turbith minerali semel aut bis in hebdomade exhibito securius rem committemus, quam aliis purgantibus quibuslibet, cujus vi promovebitur aliquantulum ptyalismus, dum interim materia gonorrhoeam committens paulatim excernatur.

Porro observandum est, si tumor ossi alicui, exostosis vulgo dictus, insideat, qui etiam tamdiu permanserit, ut os jam carie adficiatur, incassum prorsus erit sive salivatione, sive alia aliqua methodo curationem adgredi, nisi etiam huic malo obviam eatur; ac proinde os ope caustici denudandum, et quamprimum idem, quod ajunt, exfoliandum, usu scilicet remediorum, quae intentionem hanc implere solent.

In ore exulcerato, quod salivationem passis ita familiare, si vel aeger dolori ferendo par non sit, vel eo usque illud excorietur, ut sanguine diffluat,

idem nocte dieque vel aqua rosarum damascenarum, vel lacte aquae permisto, vel hordei, radic. Althaeae, et semin. Cydoniorum decocto saepissime proluendum est. Unicum hoc symptoma memorabile, quod scio, salivationi accidit, saltem quoties ea more debito administratur; et sane si dolor et oris exulceratio arte aliqua protelari potuerint, haud multo esset molestior morbi hujus curatio, quam est aliorum aliquot longe minus famigeratorum.

Diaetam quod spectat et reliquum aegri regimen, eadem prorsus in salivatione, saltem donec ac finem jam fere vergat, ac in carthasi imperanda censeo: cumque ei, qui medicamentum aliquod purgans adsumsit, id tantum incumbat, ut se in cubiculo a vi frigoris defendat, et cibis εὐπέπτοις moderate vescatur, nondum mihi constat, quo nomine vel lecto semper addicatur, qui ptyalismum subit, vel a victu modico arceatur, qui scilicet naturae cum veneno conflictanti vires animumque addat; unde etiam natura tanto oneri succumbente, haud pauci, spiritibus atque omni vitae robore diaphoresi, purgationibus, et jejuniis supervacuis (praeter vulnus ab hydrargyro inflictum) tandem penitus exhaustis, misere confecti sunt. Persaepe etiam, morbo jam pulso, aeger ea spirituum copia, qua erat opus ad redintegrandam sanitatem destitutus, prae imbecillitate concidit; aut si forte Libitinam valeat effugere, tot tantisque cruciatibus vitam redimit, ut tanti non sit vivere. De quibus poëta e neotericis haud ineleganter:

Graviora morbis patimur remedia;
Nec vita tanti est, vivere ut possis, mori.

Hic autem in promptu est istam objectionem diluere, qui fit, ut nonnulli hoc morbo (scilicet in statu ejus modo dicto) male multati in Galliam commigrare cogantur, ut ab eo liberentur? Cujus rei hanc esse rationem, quantum judicare possum, existimo. Hujusmodi aegris, oeconomia illorum corporum eversa, ac viribus prostratis apud nos aër crassus ac humidus resarciendis minus idoneus est, cum iste Galliae, utpote qui salubrior ac magis serenus, spiritus corporis et vires deperditas instaurare aptus sit: non quod practici ibidem degentes, utut docti quidem, methodum, qua hic morbus devinci possit, melius

callent, quam nos hic in Anglia. Sed ut ad diaetam revertar.

Existimo itaque (et experientia mecum facit), quod praeter jusculum avenaceum, panatellam, lac cerevisiatum, et cerevisiam tenuem tepefactam, etc. juscula insuper e carne vitulina, pullorum, atque alia ejusmodi in mediocri quantitate aegro et possint concedi, et debeant; atque ut, ubi primum eousque subsederit gingivarum tumor, ut dentes conserere valeat, cuniculorum, pullorum, agnorum carnes, atque ejusmodi teneriores, at parca manu, sint indulgendae; ut vel in lecto se contineat, vel ad ignem sedeat, prout hoc vel illud magis allubescat animo. Cum enim ptyalismo expugnetur hic morbus, non diaphoresi, hariolando non sum, quorsum aeger, nulla urgente necessitate, nimio calore mactetur.

Dicta methodus uti expeditior est, cum neque tot dies corpori ante salivationem praeparando inutiliter insumendos, nec frequentes istas purgationes, aut decocta solemnia post salivationem aegris imponat; ita certissimus sum eamdem longe faciliorem esse, minus itidem periculosam, et minus recidivae obnoxiam: quod experimento suo discet, quisquis in altera praxi versatus ad hanc se demum conferet. Mihi saltem ex animi sententia successit in quamplurimis aegris, quorum nonnulli salivationis taedium, et laborem plus semel irrito conatu exantlaverant, recidivam semper denuo passi ex occasionibus, et propter caussas, quas supra memoravimus.

Non est autem, vir candidissime, cur tuam fidem verborum ambagibus anxie sollicitem, qui jamdudum de probitate mea persuasissimus existimationi etiam nostrae favere dignaris. Plura itaque de hoc morbo non addo, cum mihi neutiquam placeat, nec placebit umquam, longis verborum ambagibus, sermonibus ἀπροσδιονύσοις nucleum involvere, quo rei caput, seu Nili fons aegrius innotescat. Quantulicumque autem sit hoc opusculum sive pretii, sive molis, id ut boni consulas rogo, cum illud eo praecipue fine elaboraverim, ut et in bonum publicum cederet, et, quo in te essem animo, palam testarer: quantumlibet autem magni te faciam, major tamen adhuc tibi honos debetur et a me, et ab iis, quibus summa illa tua eruditio, morum suavitas, animique candor, caeterae-

que virtutes laude dignissimae ita clare elucescunt. Haud equidem tibi assentior, quoties profiteor, me tuam amicitiam, ex quo me primum ea condecorabas, inter illa, quae mihi comparavi, pretiosissima luculentissimaque semper habuisse. Inter alia enim in brevi vitae curriculo a me observata eximium est illud (quod enim filio meo commendatissimum esse volo), hominum scilicet probitate, ceterisque virtutibus praecellentium consuetudinem semper mihi commodo vertisse atque emolumento; atque ex adverso pravorum amicitiam (nisi ea potius combinatio, sive etiam conjuratio dicenda sit, quae in virtute non fundatur), quamvis nec dictu, nec vultu quidem me laeserint umquam, tamen nescio quo pacto tandem aliquando aut mihi, aut rebus meis mali, aut damni quidpiam adfricasse. Vale, vir humanissime, et amare perge

Tui semper obervantissimum
THOM. SYDENHAM.

Humanissimo viro

THOMAE SYDENHAM, M. D.

Miraberis fortasse, clarissime vir, quisnam importunus interpellator graviora tua interturbet negotia: sed veniam, confido, dabis, postquam intellexeris, ea potissimum de caussa hanc tibi molestiam creari, ut grati animi sensa exprimat venerabundus tui cultor. Quippe tantos ex elaboratissimis tuis circa morbos acutos commentariis agnosco me accepisse fructus, ut ad grates auctori persolvendas me prorsus obligatum teneam. Tam accurate singulas annorum aërisque, quas tractandas suscepisti constitutiones, coepto antehac inaudito, observasti; tam genuinas, facileque obvias pro singulis, qui in illis occurrebant, adfectibus sanandis, indicationes excogitasti; tantoque ingenii nitore totum opus exornasti, ut merito tantam sagacitatem, tam indefesso labori junctam, suspiciamus: unde et aegrotos et medicos tibi aeternum devincis.

Quamquam vero cuncta, quae pertractas, accurate adeo absolvisti, ut pronum sit, de singulis in laudes tuas erumpere; prae caeteris tamen haud mihi temperare possum, quin impense tibi gratuler methodum tuam circa variolarum curationem; cujus ope, quin feralis ille hactenus adfectus terrificam suam exuat larvam, interque facillime curabiles (nisi malignitas, vel quiddam valde insolitum accesserit) se sistat, nullus ambigerem, si per nutriculas (turbam raro non inimicissimam hominum saluti) liceret, quae calido suo regimine, et medicamentis omnia usque adeo pessumdant, totque ubivis in sepulchrum ante tempus praecipitant, ut merito tu, doctissime vir, humani generis vindex audire merearis, qui aegrotis misere, cumque extremo vitae discrimine palantibus, te ducem fidissimum praebes, ut in salutis viam, si ductum tuum sequi volent, redeant.

Ut de me loquar, quamquam meis fidere ratiociniis aliquatenus reformidarim, diu tamen credidi, variolarum eruptionem, sicut non ipsum esse morbum, sed febris crisin, sic par reliquis crisibus desiderare regimen, in quibus omnium medicorum effatis sancitur, totum negotium naturae committendum, si cuncta recte procedant; id quod plerumque in isto adfectu cernitur, nisi plus justo prius exagitatus fuerit sanguis. Postquam vero, perlecto aureo tuo libro, senseram tandem, panicos esse, qui me aliosque tam diu detinuerunt, timores, aususque fueram juxta tui praecepta (reclamantibus licet quandoque non solum vulgo, sed etiam medicis) aegros regere, tantum inde emolumenti iis, ubi in obtemperantes incidi, obvenisse comperi, ut, quidquid alii senserint, me felicissimum reputem, cujus in manus tantus devenit thesaurus. Porro et ubi ad variolis confluentibus laborantes (quod tamen haud admodum saepe contigit) accitus fuerim, non dubitavi, quamquam animam jam agere viderentur, ad paregorica, tua fretus auctoritate, confugere, idque successu haud poenitendo, immo vero stupendo. Tam multum equidem hac in parte praestitisse mihi videris, ut nil superesse, quod vel aliorum, vel etiam tui industriam exerceat, facile crederem; nisi nuperrime a doctissimo viro, amicoque meo integerrimo, D. Kendrickio (qui humanitatem tuam plurimum celebrat) audivissem, te innuisse novas quasdam (quas et ad praxin rite exercendam perutiles fore non possum non augurari) atque a te factas circa idem subjectum tibi occurrisse observationes; quas nisi publico impertias, et in tui famam, et in humanum genus injurius eris. Proinde (si quid apud te ignoti valeant preces) haud graveris, obsecro, celeberrime vir, eas in lucem emittere.

Sed nec hic subsistam: nempe ab eodem accepi, rariora quaedam tibi observata fuisse circa adfectus hystericos dictos; qui sane sicut doctissimorum medicorum ab omni memoria exercuerunt, immo lassarunt ingenia, sic (proh nimis saepe!) et medicandi traditas methodos eludunt, documentaque dant, quam parum tutum sit, in philosophicis nostrae rationi nimium fidere, nisi iis in rebus, quarum certitudinem a sensuum testimonio petere valemus. Pluri-

mum, dignissime vir, ulterius et a praesenti seculo, et a posteris haud dubie mereberis, si et quae circa hanc materiam meditatus es, propalare dignatus fueris. Hoc saltem a te mihi impetrare liceat, ut aequi bonique consulas, quod, non mei solum, sed publici etiam caussa, ignotus tibi licet, petere non erubuerim; utque me inter innumeros eos habeas, qui tibi se quam maxime devotos profitentur,

devotissimum
GULIELMUM COLE.

Vigorniae,
Novemb. 17. 1681.

Spectatissimo doctissimoque viro
GULIELMO COLE, M. D.

Si usque adeo philautiae indulgerem, ornatissime vir, ut eas, quae ad me nihil attinent, laudes mihi adriperem, aegre admodum me ab aliquali animi elatione continere valeam, laudatus tantopere a laudato viro, qui eruditissimis suis lucubrationibus orbi literario, mihi vero nec de facie, quod sciam, innotescit. At vero quod me tanto, licet immerentem, honore dignatus fueris, id demum humanitati tuae acceptum refero; cum maximos quosque et praestantissimos viros ita natura comparavit, ut non tantum leviter errantibus, ut fit, aequiores sint, sed etiam in mediocrium studiis depraedicandis, data vel qualibet ansa, ingenuo suo candori morem lubentes gerent. Cujus quod et in ipso me, et meis istis conatibus, utut tenuibus, publico tamen commodo destinatis, praeclarum edideris specimen, gratus adgnosco.

Ea quod spectat, quae a me praestolaris, sive jam editis de variolis observationibus addenda, sive etiam de passione hysterica de novo tradenda, ita habe. Horum primum idcirco adgressus sum, ut quae olim deficere viderentur, ex iis, quae experientia jam annosior mihi suggesserat, possim sarcire. Alterum vero ideo in me recipiendum duxi, tum quoniam adfectus hystericos omnium post febres morborum frequentissimos occurrere, tum quia emolumenti aliquid e levidensibus meis observationibus capi posse, existimarem. Neque tamen diffiteor, aliam quamdam, praeter hanc publicum juvandi spem, mihi caussam subfuisse, ut otium scilicet bene locarem, et taedium brumalium noctium honestius fallerem; cum jam ingravescente aetate non amplius congerrones foras quaeram. At quidquid id fuerit, quod me primum instigaverit, me non ita atque speraveram, incoeptis ac votis meis parem esse sentio, cum continua illa cogitationum series, qua mens obstinatius defigenda est, mihi jam a multis annis ποδαγρῶντι

numquam non officiat, maxime vero jam adpetente senecta. Cum itaque tam opportunae adpulerint humanissimae tuae literae, brevi responsionis limite expediam eorum summam, quae prius fusius deducenda meditabar.

Sumto itaque a variolis exordio, illud praelibandum censeo, quod scilicet ea febrium intermittentium species, quae primum anno 1677, uti alibi diximus, caput extulit, atque etiamnum regnat, anno videlicet, quo haec conscribo, 1681, hae febres, inquam, pro more epidemiorum omnium, iis maxime tempestatibus grassabantur, quae cum earum indole magis faciebant, per annos istos omnes, quibus vigebant; aliena autem tempestate adpetente, iis protinus epidemiis cedebant, quibus illa magis favebat. Exempli gratia, ingruente hyeme, numquam non tussi, et febribus peripneumonicis ab illa pendentibus locum dabant, ut et variolis. Redeunte autem vere dicta febris postlimiuio reversa est. Ita ann. 1680, postquam febris haec per autumnum omnia fuerat depopulata, variolae brumali tempore eam excipiebant, ubique locorum grassantes. Anno autem vertente, 1681 scilicet, febres intermittentes denuo recrudescebant, haud usquequaque epidemiae, fractis jam et succisis earum viribus; unde etiam variolae, hic illic sparsae, una cum illis subpullulabant. Aestate vero jam ingressa variolae increbescere quotidie, tandemque ἐπιδημικώτατα factae stragem haud vulgarem edebant.

Hoc anno, scilicet 1681, luce meridiana, quod ajunt, clarius mihi constabat, quod jam olim ratio suadere videbatur; aegrum scilicet lectulo noctes atque dies continuos non prius addicendum esse, quam variolarum examen omne in conspectum se dederit. Etenim tum veris, tum etiam aestatis temperie siciore diutius, quam post eorum, qui nunc sunt homines, memoriam invalescente (adeo ut omnis ferme ubique locorum herba exaruerit) sanguinem ferme omnis illa humiditas, quam aër alias solebat suppeditare, destituebat; ex quo variolas jam grassantes major quam pro morbi indole inflammatio accendebat, caeteraque exinde nata symptomata praeter modum saeviebant. Atque hanc ob caussam, si quid ego judicio, maculae purpureae plenam exanthema-

tum eruptionem haud raro praeveniebant, et quae eas extrudebat vehementior inflammatio, debitam sanguinis crasin interturbans atque disperdens, etiam ante justam materiae morbificae expulsionem, praematuram mortem accersebat. Id vero maxime fatorum saevitiam promovebat, quod jam exanthemata ob supra dictam caussam ita facillime confluerent, vel ipsa aëris intemperie id mali sponte sua procurante, quod alias fere solent scioli et medicastri regimine et cardiacis calidioribus in ipso morbi limine inauspicato imperatis atque admotis. Etenim (quod diligenter animadvertendum est) post omnium vel exquisitissimas observationes rei cardo in hoc vertitur, ut in variolosis salutis spes omnis exanthematum paucitate reponatur: discrimen in eorumdem multitudine: et prout plura sunt haec vel pauciora, aut moritur, aut vivit aeger. Interea fatendum est, et sanguinis mictum, et maculas purpureas, quae ita certe mortem praenunciant, quandoque accidere, vix ullo adhuc comparente variolarum indicio, vel etiam paucissimis pustulis erumpentibus; haec vero ut variolas denso agmine confluentes utplurimum comitantur, ita aliquando tam praepropere invadunt, ut aegrum ante plenam eruptionem e medio tollant, sicut jam praemonuimus.

In proclivi est autem, ut mihi videtur, rationem reddere, quare aeger plus minusve periclitetur pro majore minoreve exanthematum numero. Cum enim quaelibet pustula phlegmone primo sit, licet sub exigua mole, mox in apostema evadat, fieri non potest, quin febris secundaria a pure jam in fieri pendens, magis minusve exacerbetur pro puris excoquendi quantitate jam in morbi statu; quod in mitissimo confluentium genere, die a primo morbi insultu undecimo, in mediocri decimo quarto, in crudissima vero et aegrius domabili specie decimo septimo fieri consuevit. Quemadmodum enim (quod est notandum) confluentium variolarum genus distinctum, quod dicitur, ratione periculi imminentis in tantum superat, quantum ab ipsa peste superatur, ita etiam supra dictae tres confluentium species aliae aliis praesentius discrimen adferunt. Quod insuper tam in aetate quam sexu locum habet; cum nemini non sit notissimum, adolescentem in ipso juventutis flore

multo magis periclitari ab hoc morbo, quam vel feminam vel impubem. Sed haec obiter.

Neque sane mirabitur, tam ingens discrimen a majori pustularum numero pendere, qui secum reputaverit, quod si cujuslibet sive humeros, sive brachia, sive aliam quamlibet partem phlegmone (vulgo a Boyle) forte invaserit, idem tempore maturationis, qua jam pus fit, febricitabit; cum scilicet sanguis a purulentis particulis per venas ex lege circulationis in ejus massam resorptis incitatus febriculae fomitem subministret. Quanto magis medicus, ubi primis morbi diebus aegrum invisens, faciem ad instar pulveris e limatura acicularum undique respersam contemplabitur, mortem praedicet uno aliquo e diebus jam memoratis involaturam; idque prae indomita vi febris succedaneae, quam, pro ratione quantitatis puris ex innumeris istis apostematis in sanguinem rejecti, desaevire necesse est. Quae quidem hominis funesta ruina, aliquot diebus antequam ingruat, facile praevideri potest, utut belle se habere aeger et sibi videatur, adstantibus etiam, in hujus morbi historia minus exercitatis.

Quocirca si non aliunde periclitetur aeger (purpureis maculis et sanguinis mictu jam sepositis), quam ex pustularum frequentia, serio mihi perpendendum est, quibus potissimum de caussis ita densae protruduntur, et si tuto fieri potest, iisdem omni ope coërcendis incumbendum. Quod quidem rei caput est, et in quo aegro suppetias ferre queam: cum periculosae plenum sit aleae, quidquid moliamur, jam constituto in hac specie morbo; nec si tandem mortem aeger evaserit, id tam meae debetur solertiae, quam vel insigni narium haemorrhagiae, vel fortuitae alicui, quae morbo accidebat, mutationi. Profusissima autem illa crebrarum pustularum eruptio, si quid ego conjicere possum, a praecipiti nimis materiae variolosae adsimilatione ortum ducit; quae quidem praecipitatio maxime videtur contingere, vel quod aegri natura medicamenti ad instar cardiaci, calore et spiritu plus satis turgeat, vel quod ipse aeger, sive praemature se lectulo includendo, sive adhibitis cardiacis calidoribus, aut liquore quovis spirituoso, fermentum plus debito exaltaverit; quibus omnibus modis disponitur sanguis ad

excipiendas et intimius admittendas morbi impressiones, ipsaque natura, seu furiis agitata, prae exuberanti materiae variolosae copia et plenitudine, omnem fere succorum et carnium molem in exanthemata evomere satagit.

Nulla vero magis προφάσει promovetur immodica materiae variolosae adsimilatio, quam si aeger intempestive se lecto addicat, viz. ante diem sextum a prima invasione, vel quartum inclusive ab eruptione, quo tempore jam omnis pustularum cohors in conspectu est, nec sunt plures exspectandae.

Et licet moderatus lecti calor, etiam post elapsos dies ipsos phrenesi, vigiliis, aliisque symptomatis accersendis nonnihil conferat, ea tamen ejusmodi sunt, quae a medicamentis cum judicio propinatis vinci possint: cum ingens illud vitae periculum, quod die undecimo instat, ab innumeris istis pustulis prognatum, omnem medicam opem respuat et adspernetur.

Hic itaque serio monendum est, aegrum nullo pacto se lectulo interdiu debere committere, si sibi cavere velit a nimio pustularum confluxu, nisi sexto die jam advesperascente, unde se plurimum usque refocillari sentiet: a quo tempore vix se continebit a jugi in lecto decubitu, si insignior fuerit pustularum συνδρομὴ, tum ob acriorem jam pustularum molestiam, tum quod ab ipso sessionis habitu in animi deliquium sit propensior; quod cum saepenumero animadverterim, in mentem mihi venit, ex communi hujus morbi lege naturam ipsam quasi digito mihi monstrasse, quo primum morbi tempore aeger lectulo continuo adjudicandus est.

Sed ut non solum dicti problematis veritatem adstruam, quod tanti est momenti ad minuendum a variolis impendens periculum: verum etiam ut in iisdem a carceribus, ut ita dicam, ad metam pertractandis rationem nostram quasi manu ducam; non abs re fuerit, opinor, quoddam quasi schema totius morbi animo depingere, et diligenter expendere, quae sit ejus natura, ac qualis methodus; quo demum ex certo sensu hominum, fidissimis observationibus utentium, non ex opinione incerto phantasiae fundo innixa rem clare dijudicare valeamus.

In primis itaque ejus essentia (quantum nos rerum

essentias conjectura adsequi valemus) in peculiari quadam sanguinis inflammatione comprehendi videtur, in qua natura primis aliquot diebus id negotii habet, ut particulas inflammatas praeparet, subigatque, quo facilius in corporis ambitum eliminentur; quo tempore, mota seditione, et perturbato jam sanguinis statu, febris ut accedat omnino necesse est: quinimmo incensae ac jam furentes particulae, per omnem circulantis sanguinis ditionem tumultuantes, ventriculi aegritudines, dolores capitis lancinantes, et quaecumque alia symptomata praecedunt expulsionem, necessario excitant, prout has vel illas partes motu agitatae adpellant. At cum jam victrix natura rebelles particulas in corporis habitum propulsaverit, ut prius in sanguine, ita deinceps in carnea mole id, quod superest, tragoediae peragitur. Et sicuti natura non alia quidem methodo, quam accensa febre, materiam in sanguine peccantem novit amoliri, ita etiam non nisi facto apostemate massam carneam a re qualibet extranea liberat: ut si forte sentis aut quidpiam ejusmodi carni inhaeserit, partes circumjacentes mox apostemate obsidentur, nisi id quidquid est molesti protinus extrahatur. Hae itaque particulae in carnibus demum stabulantes, primum phlegmonas haud ita spectabiles excitant, in quibus latitant; quae quidem augescentes in horas, atque efferatiores et inflammatiores redditae, tandem in pus et vomicas desinunt; quo quidem tempore fieri non potest, quin aliquid ex illa apostematum colluvie in massam sanguinis, per venas circulari motu reducti, resorbeatur; quod si sanies ista nimia copia sanguini ingeratur, non tantum febrem accersit, cui aegri vires plane sunt impares, sed etiam omnem ejus massam putredine, ceu veneno quodam inquinat. Sed neque hoc mali caput est: quin etiam ab intensiore febris calore, postremis hisce diebus a nimia puris vi excitato, ptyalismus, qui variolis confluentibus comes indivisus esse debet, praepropere sistitur, unde aegro spiritus continuo intercluditur. Quod si dicta materia purulenta parcius sanguini infundatur, insurgens naturae robur secundariae hujus febris impetum nullo negotio reprimit, et abscessulis indies magis magisque exarescentibus aeger brevi convalescit.

Si vera sit haec et justa hujus morbi historia, coecus sit oportet, qui non videat, omnem ejusdem in utramque partem eventum a curationis fundamento, recte aut secus primis in diebus jacto, pendere. Nam si calidorum, et praecipue jugi lectuli usu calentes hae ac spirituosae particulae acuantur, necesse est, ut adsimilandi facultas (qua jamdiu plus satis pollent) adhuc intendatur et augescat.

Adde quod sanguis et reliqui humores his modis excalefacti fortiori particularum impressioni promtius cedunt, unde plures, quam res postulabat, emergunt pustulae, et aeger, nulla necessitate cogente, in vitae discrimen conjicitur. Quando oppositum huic regimen, et modice frigidiusculum, atque aëris usus liberior non tantum fervidarum ac ferocientium particularum vim retundit, sed etiam condensat obfirmatque humores, quo se validius spiritibus morbificis opponant, atque eorumdem sustineant impetum, unde non major materiae variolosae copia conflatur, quam pro genuina morbi indole.

Sed nec unico hoc incommodo, quod scilicet nimia materiae morbificae quantitas adsimiletur, et superexaltetur fermentum morbi, multatur is, qui justo citius ad lectum damnatur: at ex eodem fonte saepissime profluunt tum mictus sanguineus, tum etiam maculae purpureae, aestivo maxime tempore, atque in juventa adhuc florentibus. Utraque haec symptomata, nisi fallor ego, ortum ducunt ab aestu et furore, in quem agitur sanguis a ferventibus et spirituosis particulis, a quibus exagitatus atque insigniter attenuatus vasorum claustra diffringit; nunc in mictu sanguineo, quoties in renes irruit, nunc purpureis in maculis, quoties per arteriarum extremitates in musculos et cutem terminatas, percolatur; unde totidem quasi sphaceli oboriuntur iis in partibus, in quibus extravasatus sanguis coagulatur. Atque ut praecaveri facile poterant duo haec symptomata, primis morbi diebus, quibus plerumque emicant, regimine et diaeta in frigidum vergentibus; ita ubi jam actu comparuerint, pariter operam ludet, qui iisdem mederi conabitur, aegrum lecto includendo et cardiaca exhibendo, ac luderet anicula, quae nimiam aquae in olla ebullitionem, igni fomitem subministrando, sufflaminare satagat.

Sed ut verum fateamur, utut offendantur dogmatici et hujus rei ignari, ac proinde iniqui judices, non solum male tutum fuerit, aegrum primis diebus lectulo jugiter adfigi; verum enimvero est, ubi aeger libero aëri omnino est exponendus, si aestas scilicet fuerit, atque aeger aetatis florem nondum praetergressus, aut liquoribus spirituosis adsuetus, praesertim si morbus nimiae compotationi originem debeat. His inquam in casibus, praecipitem nimis pustularum eruptionem haud equidem arbitror satis coërceri posse, tum a lectulo abstinendo, tum etiam a cardiacis; at sanguis etiam sine horum subsidio, spirituum praefervidorum, et morbo congenerum largo penu auctus, magno cum impetu, ut explodatur quasi, necesse habet: atque insuper tanta humorum congeries in exanthemata facesset, ut prae nimia puris copia in sanguinem regurgitantis sub fine morbi aeger quasi obrutus fato omnino succumbat.

Quamvis haud raro fermentum immodice exaltatum tantam colluviei variolosae vim conficiat, ut aeger incipiente adhuc morbo e medio tollatur; cum scilicet materia morbum committens tum prae nimia sui copia, tum prae motu inordinato ac confuso, in sanguinis massa excitato, se nequit extricare et foras educere, cujus loco mictus sanguineus, et purpureae maculae tragoediae catastrophe fiunt. Quod etiam et in morbillis, et in febre, scarlatina dicta, saepiuscule occurrit, ubi scilicet intempestiva opera in iisdem ad eruptionem vehementius sollicitandis infeliciter collocatur.

Neque sanguinis missio, quantum mihi videtur, licet mature celebrata, ita efficaciter praeproperam materiae variolosae adsimilationem cohibere valet, ac sanguinis contemperatio ab aëre intromisso, maxime si statim ab emisso sanguine aeger lectulo committatur, et cardiacis calidioribus mactetur; his etenim modis sanguis propensior redditur excipiendis adventitii caloris impressionibus, quam ante venaesectionem fuerat. Et sancte adsero, insignissimum fere omnium, quos mihi umquam videre contigit, e confluentium genere morbum, et qui aegram undecimo die jugulavit, juvenculae snpervenisse; ubi primum a rheumatismo usitata illa methodo copiosae et iteratae venaesectionis fuerat liberata. Atque hinc mihi primum innotuit, phlebotomiam non perinde,

atque ego prius arbitrabar, variolis intra justos limites coërcendis conducere: tametsi saepenumero observaverim, reiteratam catharsin, sanguine nondum inquinato, subsequentes variolas laudabiles et distinctas ut plurimum reddidisse.

Neque vero me fallit, permulta esse, quae contra sententiam hanc nostram, qui aegrum interdiu lecto eximimus, possint objici; eaque haud exigui tum apud hominum vulgus momenti, tum etiam apud minus hac in palaestra exercitatos: quos judices adpellare solet vulgus medicorum, ut eorum auctoritate male fundata theoremata statuminent; utpote quae magis, et quasi ad amussim horum captui quadrent, quam quae ab ingeniis penetrantioribus mature sunt excogitata; unde sequitur, ut cum pars hominum longe maxima exteriori tantum rerum cortici contemplando apta nata sit, paucissimi autem veritati in profundo latitanti inde extrahendae pares sint, scioli isti *τῶν πολλῶν* suffragio adjuti primas facile ferant; hi autem perspicaciores calumniantium maledicentia excipiantur, *Πολλοὶ γὰρ ναρθηκοφόροι, παῦροι δὲ τε Βάκχοι.* Qui tamen aequo id animo ferunt, veritate freti et saniorum, paucorum licet, consensu. Primo itaque objicietur, quod lecto abesse primis morbi diebus pustularum eruptioni officiet, et ex consequenti aegritudinem, aliaque symptomata ab impedita eruptione pendentia in longum ducet. Hoc verum esse minime nego, cum experientia fere quotidiana ei suffragetur. Quaerendum est autem, ubi gravius periculum, vel in sufflaminanda paulisper materia variolosa, atque ea de caussa aegritudinem a non-eruptione pendentem aliquantisper protrahendo; vel ex altera parte nimis urgendo morbi fermentum, et tam insignem materiae variolosae quantitatem adsimilando, ut aeger ad orci fauces sistatur a febre secunda, die morbi undecimo. Si rem recte expendamus, liquebit, opinor, paucissimos ideo fato defunctos, quod exanthemata serius ocyus non efflorescerent, nisi forte ex iis aliquot, quorum sanguis prae nimia excalefactione, motu inordinato quasi oestro quodam percitus, materiae morbificae leniter excernendae otium non concedebat, quod a meis partibus militat, non pugnat mecum. Neque enim extimescendum est, quin, si nihil prorsus agamus, materia variolosa (ut.

ut primis hisce diebus hinc illinc transvolans, quamcumque occupaverit partem, fatiget; unde vehementiora illa symptomata, vomitiones enormes, dolores variis in partibus, etc. enascuntur) tandem tamen a victrice natura debellabitur, et in corporis habitum extrudetur; praesertim cum aegri alvus hucusque utplurimum adstricta pustularum eruptionem, seram licet, certam tamen fore spondeat. Ast e contrario quot quantique leto patent aditus, quoties pustulae intempestive et nimio opere exiguntur! Longum foret omnes percurrere; praecipuos jam indigitavimus. Sunt autem hi, 1°. Nimium auctus exanthematum numerus, cui ex aequo respondet febris, ultimis diebus succedentis, majus minusve discrimen. 2°. Mictus sanguineus et maculae purpureae; quorum utrumque ab extravasato sanguine oritur, qui plus justo attenuatus et quasi prae aestu ferociens, disruptis vasorum repagulis, qua data porta, ruit. 3°. Ut supra dictum est, debitae eruptionis suppressio totalis a nimis sedulo in praecipitanda eruptione conamine; quo non magis scopus medico propositus attingitur, quam si quis id agens, ut densa hominum turba spatiosis aedibus inclusa seriatim, et servato ordine inde exiret, machina chartacea pyrio pulvere referta ac in medio displosa, usque adeo omnes percelleret, in singulis ad portam omni ope contendentibus proindeque constipato agmine in ejus faucibus haerente, exitus universis, quasi cuneo facto, praecluderetur.

Jam si quis roget, quorsum debita materiae variolosae separatio non perinde primis hisce diebus promoveri possit, si aeger moderato lectuli calore foveatur, ac si ab eodem arceatur? sciscitabor ego ex adverso, an non testetur experientia, quemlibet lecto inclusum tempore brumali, stragulis modice contectum, foco non accenso magis percalescere, quam si idem probe vestitus in eodem cubiculo extra lectum versetur. Quodsi de differentia notabili satis constet, tunc erit quaerendum, quaenam ex his methodis magis apta sit ad reprimendam exuberantem fermenti variolosi agitationem; ad quam metam, si quid nostra mediocritas judicando valet, a medico, incipiente morbo, praecipue collimandum est; et prout ab eadem plus minusve is aberraverit, ita cum malis bonisve aegri rebus medicinam fecerit.

Incautioribus id vero praesertim hac in re imposuit, quod scilicet animadverterint, aegrum suapte sponte in sudores proclivem, qui cum jugiter manarent, quoties lecto contineretur aeger, aestus febriles haud parum minuebant, secus ac in iis, qui non sudabant. Primum autem perpendamns, quam ob caussam febri coërcendae ita impensam navemus operam, quum sit illa sollemnis naturae machina, qua tum in praeparanda, tum in eliminanda materia quavis inimica in sanguine latenti praecipue utitur. Quis autem non videt, quod dum ita sedulo sudorem provocemus ad mitigandam febrem, eadem opera, ceu fructum praecocem, humorem crudum et inconcoctum extrudentes, atque iis ipsis sudoribus immaniori postmodum febri ansam praebeamus; cum hoc modo serum sanguinis (quo tum ipse sanguis, tum etiam recens natae, fervidae istae et variolosae particulae, diluuntur) foras propellitur; his interim particulis vires sumentibus et ferociam, eo quod jam liberae sint a colluvie serosa, quam sudores exhauserant. Verbo dicam, febris aliorumque symptomatum allevatio a provocato sudore, et pustulis exinde praemature exactis quamplurimis male cessit, qui eam ob caussam vitam cum morte die undecimo commutarunt.

Observandum est autem, me aegro primis morbi diebus lecto interdicere, ex hypothesi tantum variolarum e confluentium genere subsecuturarum: namque distinctum genus quod attinet, modo certa praevideri possit, ut nulla aegro imperat necessitas se in lecto jugiter continere, ita illum ab eodem nullus abigo; cum exanthematum paucitas sive hanc, sive illam viam incedentem in tuto collocet.

Nihilominus non usque adeo mihi assentior, ut ea, quae jam tradidi, ex auctoritate judicii mei (quod scio quam sit exiguum) credenda autumem. Et profecto, ita parum firmas, et nullius fere ponderis hominum quorumcunque opiniones semper duxi, ut proprias etiam ubique pro suspectis habuerim, quoties cum aliorum sententiis pugnant: quod et hic etiam mihi usu veniret, nisi phaenomena practica, quasi uno ore, rationis judicio suffragarentur. Seclusis enim practicis observationibus, id quod vel mihi, vel alii cuilibet pro ratione habetur, nihil for-

tasse erit aliud, quam rationis umbra aut phantasma, hoc est, mera opinio. Et quoties inter homines fuerim, certior inde redeo, quam sit periculosum vel acutissimo ingenio praeditis, cerebrum in qualibet sive arte sive scientia indaganda agitari perpetim et quasi concalefieri, nisi factum ipsum veri ac falsi judicem ac sequestrum constituant; quodque istiusmodi magni opinatores, ut cum Cicerone loquar, in controversiis pure speculativis, gradibus vel spatiis infinitis, quantum cuiquam possit innotescere, a veritatis scopo aberrent. Cum qui ad illa tantum adplicuerit animum, quae praxis certo determinare queat, si quid forte fuerit hallucinatus, nullo negotio ab errore liberabitur; ad hanc ceu ad Lydium lapidem probatis, quas animo conceperat, rerum ideis. Nam in hoc nostro negotio, an non mihi licet observare, a quo maxime regimine adhibito mitius aut saevius variolarum genus producatur, atque adeo conformem rei evidentiae sententiam animo producere? Quod si alii idem factitaverint, satis habeo. Iniquissimum est autem, cum ne semel quidem per omnem vitam fuerint experti, quantum aegro prosit noceatve jam saepe memorata e lecto interdiu immunitas, me tamquam falsarium convitiis proscindere. Quod si jam olim vera, licet inopinabilia sentientes calumniandi libido obtinuisset, nemo quidquam tentasset, quo invento homines juvari possint. Et sane quorsum ego has mihi facesserem molestias, nisi repetita saepe et fere quotidiana experientia, hanc methodum vulgari ista longe tutiorem esse, inclamaret? Non sum usque adeo delirus atque inops mentis, ut famam mihi quaeram ab exagitata atque explosa eorum opinione, qui, si plausum venarer, omni obsequio mihi ambiendi erant; neque malitiae tam deploratae cuiquam videri possim, ut hominibus, etiam seculis aliquam multis post mea fata nascituris, ex mea, si quae erit illa, auctoritate insidias struam, et vel mortuus, quod horreo referens, perinde ac vivus, illos occidam. Ut ut sit, hac ego methodo meos ipsius liberos, sanguine et propinquitate conjunctissimos quosque, et quotquot se mihi libere permiserunt, omnino curavi. Si quid deliquerim, in eo a me erratum est, quod obstinatae contrasentientium pertinaciae, ne durus

ac praefractus haberer, aliquoties cessi, atque hac de re eorum fidem adpello, quibus maxime familiaribus usus sum. Sed hoc ad infelicitatis meae cumulum accessit, quod aliquoties, etiam ubi adstantes ea quae suaseram omnia per integrum morbi cursum fuerant adspernati, aegri tamen fatum (etiamsi a calore, quem promovebant amici et curatrices, me ad ravim usque reclamante, exstincti) mihi crimini dabatur. Qua de caussa, accedente insuperabili *τῶν πολλῶν* praejudicio, bene mecum agi putarem, si numquam deinceps ad variolis laborantes accerserer.

Haud equidem inficias eo, variolas, quocumque demum modo tractentur, nonnumquam tamen insigniter confluxuras; unde etiam numquam vacant periculo, quidquid suppetiarum adferatur; id autem adsero (quod mihi satis esse debet) diuturna atque iterata saepe saepius experientia innixus, eum in longe minori discrimine versari, qui a primo morbi insultu lecto interdiu, et carnibus omnino abstinuit, nec nisi potum tenuiorem sibi indulsit, quam qui statim lecto adjudicatus, medicamenta etiam cardiaca adsumsit. Haec enim methodus, quod supra etiam innuimus, utplurimum densam nimis exanthematum segetem cohibebit, et ex consequenti etiam immodicam febris secundariae effervescentiam, quae non solum suo Marte perimit, sed etiam salivam (de qua in hujus morbi historia fuse egimus) praepropere incrassando, aegro perniciem ultimis morbi diebus minitatur. Quid quod hoc pacto tum sanguinis mictus, tum maculae purpureae praecaveri possint; quae duo symptomata primis morbi diebus invadunt, idque persaepe nullo adhuc manifesto eruptionis indicio: quod etiam in morbillis, scarlatina febre, atque acutis aliis ab intensiore inflammationis gradu ortis, fieri adsolet. Mitto jam jucundissimum istud refrigerium, quo se aeger perfundi animadvertit ab aëris adpulsu liberiore, quoties a lecto calente dimittitur; quod etiam singuli, quibus id per me licuit (maximas agentes gratias, quasi vita et spiritu receptis, hac aura postliminio vescerentur), pleno ore agnoverunt.

Unde mihi subiit cogitare, quanto saepius fucum nobis facit illa, quam talem esse opinamur, ratio, quam sensus iste certissimo nobis cognitus; quodque

in morborum curatione plus dandum est aegrorum adpetitionibus et desideriis impensioribus (modo perquam enormia non fuerint, et quae vitam ipso facto exstinguant) quam magis dubiis ac fallacibus medicae artis regulis. Exempli gratia, febre ardente laborans tenuioris potus refrigerium liberaliori manu concessum iri vehementer efflagitat; artis jam theoremata hypothesi alicui innixa, quae sibi alium scopum proponit, quocum pugnat liquoris frigentis indulgentia, adpetitui adversantur, et hujus loco medicamentum cardiacum imperant. Idem aeger alimenti omne genus, demto potu tenui, maximopere fastidit; hic ars, maxime illa, quam profitentur curatrices et amici adstantes, omnino comedendum acriter contendit. Alter post diuturnum ab eadem caussa languorem absurdi aliquid, et quod forte nocere posse videtur obnixe petit; ars iterum molesta se opponit, et mortem intentat morem non gerenti; nisi forte ipsius artifex sanum illum prudentissimi Hippocratis aphorismum probe concoxerit: "cibus et potus paulo deterior, suavior tamen, melioribus quidem, sed insuavioribus (hoc est minus gratis) est anteponendus,,. In his omnibus naturae, ut videtur, aberrationibus quilibet in praxi medica vel mediocriter versatus, modo animum diligenter adverterit, facile concedet, aegros haud paucos, ubi primum spreto medici dictamine genio suo obsecundaverint, se melius habuisse. Neque hoc sane mirabitur, qui secum reputaverit, sapientissimum rerum omnium conditorem statoremque universa tam exquisito ordine absolvisse, ut sicuti omnia naturae mala ad concinnandam totius operis harmoniam egregie conspirent, ita eorum singula divino quodam artificio, propriae essentiae quasi intertexto, donantur, quo subjectum eadem mala a se amoliatur: quod in morborum quam plurium acutorum exitu naturali satis cernitur (acutos dico, qui utplurimum Deum habent auctorem, sicut chronici ipsos nos), uti etiam propensionibus istis, quae tales comitantur morbos, et ad aegrum ab illa pernicie liberandum viam struunt; quam ars adfert, quoties in fatuos cadit. Atque in hoc sane bene cum hominibus agitur; quorum genus nniversum aliter se perquam male habuisset, tum cum ars medica intra breves Hellados cancellos tota staret; quae qui-

dem eam fere ad terrarum orbem proportionem habet, quam ignobilis aliqua villa ad nostram hanc Britanniam. Et quid vel in praesentiarum de tot tantarum regionum incolis fiet, cum omnis Asia, Africa omnis, atque omnis etiam America (demtis aliquot nuperis coloniis haud ita populosis atque insuper magna Europae parte) arte medica prorsus destituantur? Attamen ut eleganter comicus, viros rationis ac virtutum usu praestantes ab eorum grege, qui formam humanam vita ad instar brutorum ἀλόγων acta conspurcant, distinguens, Ὡς χαρίεν, inquit, ἐστ' ἄνθρωπος, ἂν ἄνθρωπος ᾖ, ita etiam ars medica, si revera ars fuerit, et non solum nominetenus maximum est donorum omnium, quae hanc vitam respiciunt, tantoque caeteris omnibus praeferendum, quanto ipsa vita iis, quibus in illa gaudemus, praecellit.

Sed ut ad rem redeam: quantumcumque conducat plerumque aegro, ut primis morbi diebus lecto non addicatur, est tamen (quod observandum), ubi etiam ante eruptionem omnino addici debeat. Exempli gratia, infans de symptomatis dentitionem comitantibus jam securus derepente spasmo corripitur: in hoc casu cogitandum est mihi, convulsionem istam fortassis a naturae conatu, quo variolas, scarlatinam febrem, aut morbillos in corporis habitum protrudere satagit, pendere, licet hucusque lateant sub cutis tegmine. Ut itaque tam periculoso symptomati eamus obviam, emplastro epispastico nuchae mox applicito, lecto quamprimum committendus est; exhibito insuper medicamine aliquo cardiaco, cui etiam paregorici pauxillum est admiscendum, quo et potentius morbi caussam eliminet, atque etiam tumultum, a quo oritur paroxysmus, consopiat: verbi gratia, puero trienni guttae v. Laudani liquidi in aquae epidemiae cochleari uno (aut quid simile) sunt propinandae. Et profecto suspicor admodum, ne dicam, certus sum, millenos aliquot infantes, et nonnullos etiam aetate provectiores idcirco leto fuisse datos, quod non satis animadverterint medici, hujuscemodi convulsiones nihil aliud fuisse, quam morborum jam dictorum praenuncios. Cum enim practici paulo incautiores paroxysmos hosce revera symptomaticos pro adfectibus essentialibus habeant, enematis saepe repetitis et aliis evacuationibus eos adgressi, variola-

rum eruptioni officiunt, ac proinde permanentiores etiam reddunt paroxysmos istos, quos tanto molimine opprimere student, quique alias, ubi primum pustulae eruperint, sua sponte certo certius evanescerent. Hic autem, fausto laetoque omine (quod alibi diximus) variolae, quae cum spasmo teneriores pueros invadunt, raro insigniter confluunt, unde aeger longe tutius lecto concreditur primis hisce diebus. Licet observaverim variolas, quoties adfectus comatosos a tergo insequuntur, admodum confluere; quo in casu ipsemet vesicatorium et paregoricum, quale supra descripsi, potius adhiberem, quam ut aegro jugem lecti usum ante eruptionem permitterem. Quinimmo animadverti, ejusmodi convulsiones (oppido tamen raro) intermittentium febrium paroxysmos praecedere; adfectus vero comatosos cum dictis paroxysmis una invadentes, et non nisi cum iisdem terminantes tam in infantibus quam adultis persaepe vidi, quorum similiter nulla in curatione ratio habenda est, sola autem febris, utpote morbus primarius et essentialis, omni ope est expugnanda. Si enim comatosis hisce adfectibus, febrem comitantibus, curandis praecipue incumberem, ac proinde venaesectione, catharsi atque enematis repetitis sopori vincendo operam navarem, febrem inde magis accenderem, et ex consequenti eo usque augerem coma (quod mihi erat tollendum), ut aeger tandem ab eo in aeternum consopiretur; quando si in febre debellanda totis viribus contendam, symptomata omnia ab eadem pendentia nullo negotio una facessent. Quod serio notari velim, cum in hac re tam crebro, tamque fataliter errari soleat. De hoc vero in alio loco fusius dixi.

Aliquando etiam (quod proxime tradam) quantumlibet aegro conferat, ut lecto interdiu absistat, nihilominus non potest id solatii eidem indulgeri, aegritudine scil. vehementiori, intensiori febre, vomitu enormi, vertigine, artuum dolore quasi rheumatismo laboret, et similibus contra indicantibus: quae quidem symptomata omnia saeviora si fuerint, maxime in sanguineis et aetate florentibus, ingentem materiae variolosae copiam intus natam, et discrimen haud vulgare a pustulis exitum certatim quaerentibus, ac mox valde confluxuris praesagiunt.

Cum itaque fraenum fermento ita exorbitanti omni ope injiciendum sit, attamen hinc quidem illud continuo lectuli calore adjutum ferociet magis, illinc vero prae nimia aegritudine eodem abstinere nequeat aegrotans, nisi suppetias adferamus; has ob caussas omnino necesse erit, rebus sic stantibus, sanguinem primum e brachii venis educere, et post aliquot horas emeticum eradicativum ex infusione Croci metallorum exhibere, quod non solum materiam, a qua oritur aegritudo ista insolentior, foras propellit, sed etiam aegrum ita refocillat, ut jam quasi sanus lectulo abesse queat. Neque huic soli methodo innitendum est ad infringendas fermenti vires, sed quo magis aeger in tuto collocari possit, praeter evacuationes jam memoratas, percommodum erit Vitrioli spiritum potui tenuiori, quoties eum haurit, liberalius immiscere, etiam usque ad plenam pustularum eruptionem. Non obstantibus tamen hisce evacuationibus, tum etiam usu potus refrigerantis aeger nihilominus non nisi nocturno tempore lectulo permittendus est, si quidem fieri potest, quoniam haec universa longe minus ad inhibendam praeproperam materiae variolosae adsimilationem faciunt, quam una sanguinis contemperatio a novo aëre per pulmones subinde reciprocato; quae quidem sola mirum in modum aegritudinem symptomaticam, de qua supra, sublevat confestim; quod a me non uno experimento comprobatum est. Haec autem methodus paulo insolentior non nisi in aetate florentibus, quorum quidem sanguis sive a Venere, sive a Baccho incaluit, atque in aliis (infantes tenellulos semper excipio), quos una cum variolis vehementiora atque enormia ista symptomata jam dicta adoriuntur, necessario requiritur. Ubi sanguis non usque adeo accenditur, neque ita urget symptomatum violentia, uti materiae variolosae praemature adsimilandae longe minor est suspicio, ita ex consequenti evacuationes praememoratae, et Vitrioli spiritus omitti possunt.

Longior in his fui, quia sat scio, curationis exitum sive laetum, sive funestum, ab ea potissimum, si non in solidum, ratione pendere, qua aeger primis morbi diebus tractatur. Jam vero omni pustularum acie quasi in campum educta (quod die ab invasione sexto, quarto autem inclusive ab eruptione

prima fieri jam diximus), haud amplius interrumpendus est aegro lecti usus per reliquum morbi decursum: qui quidem ut ante hunc diem concedi non debebat, ita ut diutius differatur, vix patitur aegri status, modo confluentibus variolis laboret. Hoc autem est genus (quod notari velim), de quo hactenus verba fecimus. Quae enim et pauca et distincta emergunt exanthemata, parum habent momenti, sive in hanc, sive in alteram partem, si vel mediocriter in arte valeat is, qui medetur. Quamquam etiam in genere hoc, utut suopte ingenio omni periculo vacet, haud pauci (quod serio dolendum est) Libitinae cesserint, quoties scilicet malo suo fato in eos inciderint, qui in promovendo calore spem omnem ponentes, cum morbo ad jugulandum aegrum, licet inscii, conspirabant.

Tempore ab hoc pustulae augescere, et corporis superficiem undique concalefacere incipiunt, at caput inprimis; unde aeger, nisi fuerit infans, ad somnum difficilior est, et inquietudine vexatur; quod proximo loco in hoc morbo diligenter expendendum esse arbitror; prout enim sedatior fuerit sanguis, ita debitum augmentum et magnitudinem acquirent pustulae; atque ex adverso, pro ratione orgasmi, quo tumultuatur dictus sanguis, pustulae marcescent intercepto ulteriori progressu; unde non solum peccantis materiae eliminatio sufflaminatur, sed insuper singularum phlegmonum oeconomia, et genuina crasis, interturbatur; indeque vel non omnino debito tempore ad separationem pertingunt, vel ichor demum fit puris vice, et loco flavi liquoris favum colore referentis nigricans aliquis humor, vel succus alius non naturalis, et a genuinis variolarum pustulis alienus egeritur. Quapropter medicamenta paregorica aeque indicari in variolis confluentibus mihi videntur, ac indicatur quodvis remedium in quovis morbo; cum hic quasi specifica sint, perinde ac cortex peruvianus in febribus intermittentibus: quamvis haud ignorem paregorica non virtute aliqua praecise specifica operari, sed isti solum indicationi respondendo, qua sanguini et spiritibus consopiendis, et in ordinem redigendis operam damus. Atque hic quidem sanguinis et spirituum motus inordinatior (variolarum confluentium in adultis comes individuus) anodynorum usum prae caeteris deposcit; nec-

dum ei satis innotescit hujusce morbi genius, qui ista vigiliis tantum deberi existimat. Sicuti enim fieri quandoque potest, ut etiam non dormiens bene compositis ac sedatis fruatur spiritibus (quod ab adsumto Laudano persaepe accidit), ita etiam nonnumquam fit, ut spiritus vehementius agitati laudabili pustularum eruptioni officiant, etiam ubi aeger multum dormiat, quod observatione dignum.

Ut de genere anodynorum jam loquar. Tametsi ego a multis annis Laudanum liquidum satis auspicato exhibuerim, quoties huic indicationi satisfaciendum erat, nihilominus syrupum de Meconio ipsi praeferendum censeo; licet enim utrumque ad eumdem scopum dirigatur, tamen Laudanum paulo magis calefacere mihi videtur, syrupus autem minus. Dosin quod spectat syrupi, ea non solum aegri aetati est adaptanda, sed et symptomatum gradui; et quae homini, qui sedatos habet spiritus et probe compositos, nimia forte erit, alteri, cujus spiritus ferociunt magis, vix sufficiet. Exempli gratia, ponamus in genere sex drachmas plerisque convenire; jam in variolosis, quoties id remedii indicatur, vix intra unciam, si quid praestare velimus, est subsistendum; quae quidem quantitas singulis vicibus morbo decurrente imperanda est. De adultis agimus in praesentiarum; etenim si infantibus propinetur, dosis pro ratione aetatis erit minuenda. Et sane paregorica non perinde indicantur in infantibus variolosis, ac in adultioribus, cum illi in somnos perdurante morbo proniores sint. Quamvis et in his, quoties a morbo periclitantur magis, a paregorico abstinere multum extimescerem. At, quod dicere animus mihi erat, difficile est admodum, paregoricorum dosin, quocumque in casu ista indicantur, certo determinare. Etenim sive in quocumque spirituum motu inordinatiori, sive in vomitu enormi et alvi fluxu, sive etiam in dolore atrociore (in quibus adfectibus tribus praesertim usum paregoricorum indicari alibi docui) ea methodo sunt exhibenda, ut si prima dosis metam non attingat, alia atque alia debito tempore adsumatur, donec tandem medicamentum medici votis responderit; non tam ad ingestam anodyni quantitatem, quam ad effectum, quod in aegro producendum erat, respectu habito; quod ubi primum

successerit, nec citius, a paregorici usu ita copioso ac frequenti cessandum est: interposito tamen semper inter singulas doses spatio aliquo, ut pernoscere valeamus, utrum dosis ultima id, quod quaerimus, praestisterit, antequam nova ingeratur. At ubi semel finem propositum obtinuerimus, dosis anodyni in morbi progressu exhibendi, jam minor pro re nata definienda erit.

Exempla haud pauca in promptu mihi sunt, quibus eis, quae hactenus tradidi, fidem adstruam, at unicum in praesentiarum adducam. Aprilis 13. anno 1681. quaedam e nostra vicinia, nomine Crosse, ad me accedens atque flens, obnixe petiit, ut filium ejus decennem adirem, qui a die quarto male habens, variolis, ut ipsa metuebat, jam laborabat. Ego a podagra, quae me tunc temporis excruciabat, detentus, pharmacopolam, quo uti soleo, rogavi, ut aegrum inviseret, ac mihi de ejus statu referret: rediens ille mihi narravit, pueri matrem, e nescio cujus mulierculae consilio, pulverem Comitissae, et alia calidiora remedia filio propinasse; quin et stragula adjecerat matris indulgentia, sub quibus quasi defossus latebat aeger, ut horum pondere sudores (ad quos ceu ad sacram anchoram in hoc morbo feminae confugiunt) exprimeret; ad haec magnam Posseti calentis vim, floribus Calendulae et cornu cervi incoctis, aegro infuderat; unde adaucto febris calore, tantam spiritibus confusionem induxerat, ut praeter modum deliraret aeger, totis adstantium viribus vix lectulo adfixus, ac incondita quaedam furentium ad instar submurmurans. Nondum tamen in lucem prodibant exanthemata, vel saltem obscure, sed denso agmine cutim impetebant; inhibita plane eruptione ab hac methodo violentiore, quae ad eam sollicitandam destinabatur. Jubeo ut e lecto eximatur quanto ocyus, neque eumdem nisi noctu ingrediatur ante elapsum sextum diem: dein ut syrupi de Meconio unciam dimidiam statim sumat, quo ne hilum proficiente, post horae spatium eamdem dosin repeto, at nullo cum fructu; quippe quod sanguis tam immani furebat orgasmo, ut non nisi unciis duabus cum dimidia (spatio tamen inter singulas semiuncias interjecto, quo liqueret, quid postrema dosis praestiterat) introadsumtis fraenari pos-

set; quo facto, unciam dimidiam tantum singulis noctibus hauriendam praescripsi usque ad finem morbi; quae quidem illam spirituum requiem, quam crebrior exhibitio paraverat, tueri jam partam valebat. Unde etiam convaluit aeger.

Hic minime reticendum est, quod in quantacumque demum dosi, et quantumlibet repetita exhibeatur primis hujus morbi diebus narcoticum, modo sanguinis aestus, atque enormis spirituum agitatio magnopere ferociant, vix scopum attingere poterit id, nisi aeger e lectulo eximatur. Calor enim lecti calorem morbi ulterius augescit atque incendit; proindeque vim ita magnam narcotici exhibere necesse erit, cui fortean natura impar fuerit: quod etiam usu venit, etsi haud tanto vitae discrimine, quando cortex indicus exhibetur in febre intermittente, aegro per ejus usum in lecto se continente. Et hoc, ni fallor, in caussa fuit, quod curatio hujusce febris nonnumquam protelata fuerit, quae alias citius absoluta esset; et quandoque etiam si febris remittens tantummodo, et non interstincta erat, eadem adeo intendebatur, ut mortem ipsam aeger haud effugerit.

Missis autem casibus extraordinariis, in quibus nullo non morbi tempore indicari potest hoc remedium, ego ista primum nocte exhibendum suaserim, qua lecto jam in totum addicitur, sexta nempe a prima invasione; a quo tempore usque ad diem decimum septimum omni vesperi est propinandum, vel saltem donec aeger ἔξω βέλων, quod ajunt, fuerit constitutus. Sexto enim die caro phlogosi quasi corripitur, unde caput ab humoribus exinde concalefactis turbari incipit et vacillare.

Curandum est autem sedulo, ut anodynum temporius sumatur hic, quam in aliis morbis; quoniam quidam caloris et inquietudinis quasi paroxysmus variolosos sub vesperam semper adfligit; et quandoque accidit, quod, nisi maturius exhibeatur sub ultimis morbi diebus, aeger derepente paulo hebetior factus mox incalescat, post de aegritudine queratur, quae brevi in ipsa morte terminatur; attonitis haud parum amicis, qui paulo ante magnam de aegro, ceu convalituro, spem foverant. Cui tanto malo occurri fortean poterat anodyno confestim ingesto. His itaque diebus, undecimo vero prae ceteris, paregoricum

temporius propinandum impero, etiam hora quinta, sextave pomeridiana, atque in promptu sit, si quando forte aegritudo ex improviso invaserit. Quinimmo persuasissimus sum, nonnullos ex mihi notis ideo fato functos, quod dicto medicamento, re jam postulante, destituerentur; cujus ope, si adfuisset, adhuc inter vivos numerari potuissent. Atque hoc in loco maxime, si in quo umquam alio, occasio praeceps est.

Quapropter cum tam ingens discrimen impendeat, si narcoticum vel sat cito non fuerit propinatum, vel si e diverso ita praemature, ut ejusdem vis paregorica et spirituum sedatrix prius exoleverit, quam illud repetendum veniat; idcirco cum res in lubrico sit, tutissimum omnino est, anodynum statis horis tam mane quam sero exhibere, ultimis scilicet et periculosissimis morbi diebus. Neque hoc tempore syrupi dicti uncia semper sufficit, cum ea quantitas nihil magis praestet in intensiori sanguinis inflammatione, et spirituum animalium exorbitantia insigniore, quam uncia dimidia in morbo mitiore. Quinimmo iterata experientia me edocuit, sesquiunciam in juvenibus, et sanguineo temperamento praeditis, pro singula dosi, violentiae symptomatum, quae tunc ingruunt, et in quibus praecavendis toti sumus, frangendae parem tantum esse; quodque haec ipsa dosis in talibus subjectis, atque iis temporibus mane et sero non tuto tantum, sed cum magno etiam aegrorum commodo, repeti possit, donec illi convaluerint.

Neque vero hoc reticebo, quod in ultimis diebus variolarum egregie confluentium quandoque necesse habui etiam ter in spatio diei naturalis, i. e. octava quaque hora narcoticum exhibere; quando scilicet vel ob violentum spirituum orgasmum, vel ob eorumdem confusionem, aegritudinem aliqualem inducentem, longiora ab usu ejus intervalla haud concederentur. Hoc autem notandum, quod si tam frequens Diacodii exhibitio aegro nauseam creet (quod in dictis diebus saepe accidit) hoc in casu Laudanum liquidum propinandum, cujus gutt. xvj. idem valent, ac unc. un. syr. de Meconio, nempe si eodem modo praeparetur, quem in libro de morbis acutis, et in cap. de dysenteria ibidem (pag. 157) descripsimus.

Objicient, sat scio, illi, quibus haec minus placent, materiam peccantem a narcotico toties et in tam larga dosi repetito fixam iri et ptyalismum retundi. Quibus respondeo, omnino fatendum esse, salivationem aliquatenus imminui, numquam tamen ita penitus cessare, ut non longissimis ab adsumto anodyno intervallis, atque ejus vi jam fatiscente nonnihil recrudescat, immo vero gemino hoc commodo stipetur. Primo quod aeger, viribus a narcotico instauratis, pituitam validius expectorare valeat. Dein quod saliva, quae excreatur, licet parcior sit, rectius tamen excocta est, quam si anodynum non fuerit exhibitum. Proximo loco, ptyalismi defectus hic partialis plusquam compensatur faciei manuumque tumore, qui ex repetito paregorici usu et certior est et major in iis diebus, quibus hae partes solent intumescere: facies scilicet ab octavo die usque ad undecimum (quo tempore fere incipit subsidere), manus vere ab undecimo, usque dum pustulae eas obsidentes maturuerint. Atque fidenter adsero, neminem in hoc morbo probe versatum posse negare utriuslibet horum tumorum absentiam, quo tempore se debent ostendere, pejoris esse ominis, quam ptyalismum interceptum. Me quod attinet, longe tutius esse autumo, ptyalismi compescendi discrimen subire, quam a narcotico abstinere, quod ita impense morbus hic efflagitat, ut in eo rudis sit oportet et parum observationi deditus, qui aegros suos subsidio tanto defraudat.

Non vero ita capienda sunt, quae hactenus disserui, ac si ego quotidianum Diacodii usum, vel ea quae convenit dosi, in tenellulis infantibus, qui variolis confluentibus laborant, suaderem, nisi morbus periculum grave intentat, idque duabus de caussis; primo, quia usque adeo non calent infantes, atque illi, quorum vitae fax plenius accensa jam luculentius ardet; dein quod narcoticorum jugiter adsumtorum vim non ita bene ferat aetas mollior et magis infirma. Adde quod sponte sua somno fere perpetuo morbi taedia fallunt infantes. Nihilominus quoties vel phrenesi illi corripiuntur, vel pustulae male moris sunt, anodyna omnino indicantur; horum enim utrumque sanguinis, atque spirituum animalium motum interturbatum plus satis evincit.

Duo haec, quae adeo prolixe tractavimus, nempe ista methodus, qua inhiberi debet praepropera materiae variolosae primis in diebus adsimilatio; tum et altera, qua motus spirituum inordinatus ab externarum partium inflammatione excitatus est praecavendus, duo sunt quasi cardines, in quibus omnis hujus morbi curatio vertitur: quandoquidem quae ex eo oriuntur mala, quod utrique huic discrimini non satis occurreretur, funesta illa symptomata invitant, quibus variolarum tragoedia absolvitur. Quocirca cum praecipue hae fuerint indicationes curativae, ubi iis modo jam tradito fecero satis, nihil amplius mihi restat agendum; in quantum scilicet medicus sum, non vero formularum medicarum praescriptor; quas ego duas, sive artes, sive dotes, sive etiam provincias adpellare libeat, toto coelo a se invicem distare arbitror.

Unum adjicio, si epispastico opus fuerit, id peramplum et satis acre aegri nuchae adplicandum; quod ita opportuno tempore fieri debet, ut neque praemature adpositum vim epispasticam ante diem undecimum, in quo de summa rerum agitur, amiserit; neque in eum ipsum diem rejiciatur, quo jam tardius adveniens illo temporis articulo obesse possit prae calore et aestu, quem sanguini inprimit, cum febre secundaria vix pari Marte decertanti. Opportunissime itaque adplicabitur epispasticum nocte illa, quae magnam morbi crisin praecedit, mox ab adsumto paregorico, quod tunc erat exhibendum. Adposito per id temporis vesicatorio, dolor, quem ejusdem morsus adferet, desinet ante diem illum, quo aeger vel agonizaturus, et materiae peccanti eo ipso tempore dabitur exitus, quo eo est opus ad vincenda mala ista, quae illum diem praestolantur. Hoc enim primum tempore, quod in hujus morbi historia fuse deduxi, facies, quae hactenus inturgescebat, jam detumescere incipit, et salivatio, quae hucusque pleno amne fluebat, decrescere; condensato jam et non nisi aegre excreto, qui eam excitabat, humore. Ut vero mittamus, epispasticum illud tum faciei detumescentiae, tum etiam imminutae salivationi quadamtenus substitui, febri insuper secundariae perdomandae aliquatenus conducit, quae nunc temporis invalescit, sanguine quasi obruto et

penitus infecto puris copia a totidem abscessulis resorpta; adeo ut in omnibus fere, quos umquam tractavi variolis laborantes, observaverim pulsum in carpo salientem aegre percipi posse hoc tempore, utut facile se pridie hujus diei, et postridie etiam, digito exploratori se proderet.

Sed inter ea, quae a capite sive derivant, sive revellunt, nihil aeque mihi videtur operari ac allium, pedum plantis adplicitum. Quod allium revera attrahat, manifestum est a vesiculis, quas saepe excitat, et a dolore illo non ferendo, quem nonnumquam, licet raro adfert, etiam non excitatis vesiculis, humores scilicet in partes illas invitando; unde dolor tam vehemens quandoque exortus est, ut cataplasmate e mica panis similaginei, in lacte cocti, eumdem sedare necesse habuerim: in adultis itaque, qui variolis confluentibus laborant, allium incisum et linteo involutum plantis pedum admovere soleo a die octavo, in quo primum facies intumescit, donec jam morbus periculo omni vacet, singulis diebus renovandum.

Neque interim istud mihi praetereundum est, aegrum scilicet a carnibus, durante morbo, arcendum omnino esse, et cerevisiam lupulatam eamque tenuissimam tantum pro potu concedendam. Jusculis avenaceis, pomis coctis, et jam dicta cerevisia commodissime interea vitam tolerabit. At vero instante jam maturatione, ubi particulae purulentae in sanguinis massam regurgitantes eamdem tabo suo inquinaverint, utile erit cochlearia vini aliquot singulis auroris et noctibus aegro indulgere. Stragula quod attinet, et lodices, quibus aeger in lecto est contegendus, neque plura sint illa, neque pauciora, quam quibus sanus utebatur. Quin et liberum ei sit, quoties voluerit, se ab hac in illam lecti partem transferre, quo praepediri possint sudores isti symptomatici, quos aegro nocere, satis, opinor, evici. Eodem pacto etiam praecavebitur efferatior exanthematum phlogosis, excitata a nimio calore, quem carnes contrahunt, quoties aeger semper eodem in loco, ceu palo defixus, jacet. De hoc autem alias prolixius disserui.

Casum nuperrimum, ceu specimen integrae hujus praxeos, subnectam. Hac ipsa hyeme me accersebat

femina nobilis, domina Dacres, ut quemdam suum nepotem, dominum Thomam Cheut, temperamento perquam sanguineo, et aetate florentem medicus curarem. Pridie coeperat febricitare vehementer; colluviem biliosam in magna copia per vomitum rejiciebat; dorsum plurimum dolebat. His malis solatium quaerens et levamen, lectum petebat, et tum stragulis acervatim injectis, tum calidis adsumtis liquoribus sudores per diem integrum omni ope sollicitabat, sed frustra; cum tanta ad vomendum proclivitas, et alvi fluxus, licet modicus, omnem sudorificorum vim eluderent: oleum interea febris igni adfuderat, quo illa multum increverat. Ego jam variolas brevi exorituras suspicabar, easque insigniter confluxuras, tum ob aetatis vigorem, tum etiam quod sanguinem multum excalefecerat irrito sudoris extorquendi conatu (quo quidem, si modo aestate aegrotaverat, et mictum sanguineum et maculas purpureas certo advocaverat), tum vero maxime, quod semper observaverim in juvenibus immani vomitione, aegritudine, et dolore praeter solitum vexatis variolas insequentes ultra modum confluxisse. Meum itaque esse ratus, ut nullum non lapidem moverem, quo praeproperam materiae variolosae adsimilationem obstruerem, a lecto illum arcebam, nisi statis prius horis somni. Die sequenti (tertius is erat) variolis nondum comparentibus, sanguinis uncias octo e dextro brachio mane extrahi curabam: optimus erat ille, floridusque, cum adhuc spirituosum tantum μίασμα exceperat, nondum vero putredinem illam, quam conciliat longior morbi mora, et in eorum sanguine utplurimum conspicitur, qui nuper ab hoc morbo convaluerint. Hora quinta post meridiem diei ejusdem, infusionis Croci metallorum unciam unam exhibui, ex qua satis commode vomebat, et aegritudine levatus longe melius habere visus est, jam haud invitus a lecto abstinens, a quo prius aegerrime se divelli patiebatur, aegritudine et vertigine mactatus. Die quarto mane accedens, exanthemata, quibus praecavendis tanta fueram molitus, eo numero prodeuntia conspexi, ut ab insigniori, quem minitabantur, confluxu aegri vitae metuendum esset. Diligenter itaque cavebam, ne lecto interdiu committeretur, consulebam etiam, ut cerevisiam tenuem

spiritu Vitrioli instillato acidulatam potaret. In his ad sextum usque diem perseverabat; quibus diebus licet non aegrotaret, sed aura liberius vescens multum reficeretur, tamen alvo subinde laxiore fuit. Jam sub meridie non valebat ulterius, quod hic fieri adsolet, se a lecto abstinere; decubuit itaque usque ad finem morbi, me non reluctante, cum nunc erupissent pustulae omnes, quae, non obstante meo omni conamine, plus satis confluebant. Quamvis enim pauciora erant exanthemata iis, quae in nonnullis observavi ab hoc morbo exstinctis, plura erant tamen, quam plerisque eorum, qui sanantur, solent prodire. Hac primum nocte syrupi de Meconio unciam unam in aq. flor. Paralys. propinabam, singulis deinceps noctibus repetendam; suadebam etiam, ut non aliis stragulis, quam quibus sanus adsueverat, tegeretur; ut jusculis avenaceis et hordeaceis, nonnumquam etiam pomo cocto vesceretur; cerevisiam etiam tenuem hauriret. Die octavo allium incisum, et panno lineo inclusum pedum plantis adplicandum curavi, et renovandum quotidie, donec extra aleam consisteret. Post haec pro augescentium pustularum genio omnia cedebant, usque ad decimum diem; quo tempore mane eum invisens, licet mediocriter se haberet, febris tamen secundariae quemdam quasi prodromum deprehendi, cum jactatione aliquali. Mox itaque procellam veritus imminentem, paregoricum supra laudatum exhibui, a quo tranquilla omnia et pacata; eadem nocte syrupi de Meconio sesquiunciam praescripsi. Sequente aurora, diei scilicet undecimi, cum post exolescentem vim anodyni, quod hesterna nocte sumserat, jam de novo esset irrequietior, Diacodii iterum sesquiunciam extemplo ingessi, vesperi item tantumdem; atque eamdem dosin mane et sero ut assumeret quotidie consulebam, donec omnino convalesceret. Paruit aeger; neque aliquod nos deinde symptoma exteruit, nisi quod urina ei quandoque supprimeretur (malum junioribus hoc in morbo familiare), quam tamen genubus innixus in lecto reddebat. Ptyalismum quod spectat, quantumvis salivae copia frequenti anodynorum in tam larga dosi repetitione aliquantulum interciperetur; tamen longiore ab eorum usu intervallo pituitam concoctam exscreabat, ac facies manusque debito tempore pro votis intume-

scebant. Die decimo octavo e lecto surgebat, et tunc primum jusculum e pullorum carnibus indulgebam, a quo per gradus indies ad victum consuetum redibat. Die vicesimo primo sanguis mittebatur e brachio dextro ad uncias octo, qui pleuriticorum sanguinem aemulabatur, et puris fere instar erat. Denique ad quatuor vices, spatio interposito, purgatus fuit.

Hic subinnuam, quod quoties in his pagellis dies ab invasione v. g. sextum, undecimum, etc. nominaverim, non ita accipi id velim, quasi variolae confluentes tertio numquam non die erumperent; cum satis sciam quandoque ita accidere, etiam in iis, qui vel maxime confluunt, ut pustulae non nisi post aliquod a die tertio temporis spatium se exserant. Eruptio autem utplurimum in diem tertium ab invasione incidit; et utplurimum, qui ex. gr. die lunae confluentibus variolis primum laborare incipit, die Mercurii sequenti pustularum primitias in cute summa deprehendet, et Jovis dies ab illo die lunae secundus undecimus ille erit, periculi plenissimus, nisi interposuerit se medicus.

Atque hic iterum repeto, theoremata haec omnia ad confluentes tantum variolas referri debere, quae in genere distincto nullum prorsus usum habent, nec ab illo exposcuntur. Et tam sibi quam aliis imponunt, qui attollunt cristas, quoties eos sanaverint, quibus exanthemata numero pauca, eaque interstincta, exflorescebant. Si tentare libeat, quantum in arte valeant, in variolis confluentibus vires experiantur; maxime quoties vel florentes aetate, vel eos, qui immodica vini ingurgitatione nimium incaluerint, hic morbus invaserit: ne in levioribus exercitati, ita toto coelo aberrent, ut se eos servasse existiment, quos ipsi adstantes non occiderint.

Verum dissertatiunculam hancce non prius finiam, quam ubi retulero, quae mihi, dum haec scriberem, suo ore narravit amicissimus dominus Carolus Goodall, M. D. Collegii medicorum socius, atque in praesentiarum censor: quod mihi ideo faciendum duxi, quo melius iis fidem conciliem, quae tum hic, tum alibi et de petechiis, et de mictu sanguineo adfirmavi: utrumque nempe hoc symptoma, quoties acutis morbis accedit, atrociori sanguinis inflammationi omni-

no deberi, ac proinde refrigerantia indicare remedia. Casus ita se habuit.

Juvenis annorum quasi 27., habitu corporis extenuato, et calido temperamento praeditus, febre violenta et continua correptus est mense Junio, anno 1681. Lingua erat sicca et scabra, sitis vehemens; pulsus celer; dolor regionem cordis scrobiculo vicinam discruciebat, dorsum vero inprimis, in quo jugiter desaeviebat; sanguinem mejebat; tum et petechiae coloris subfusci collum, pectus, et carpos dense insidebant. Die sexto accersitus medicus, et aegrum de vita periclitari a nimia urinae sanguinolentae excretione comperiens, indicationes curativas ad sanguinem refrigerandum incrassandumque, tum etiam ad vasorum oscula, quae in renibus relaxata dehiscebant, obturanda dirigendas censebat.

Praemissis itaque tum venaesectione, tum bolo lenitivo, aegrum, ut a lecto, quantum fieri potuit, se abstineret, serio monuit, cum a continuo lectuli calore mictum sanguinis promoveri non dubitaret: suadebat etiam, ut in culcitra corio tecta aeger potius dormiret; supinus non nisi rarissime jaceret; lac aquae permistum ut potaret, panatella, oryza lacti incocta, pomis coctis, sive solis, sive aquae fontanae intritis, et saccharo edulcoratis vesceretur. Medicamenta ordinabat sequentia.

Rec. Fl. Ros. rub. drachm. vj. Cort. inter. Querc. unc. sem. Sem. Plantag. parum contus. drachm. tres, Aq. font. libr. duas, Sp. Vitriol. q. s. ad gratam aciditatem: infundantur in vase clauso, calore leni, per quatuor vel sex horas. Colat. add. aq. Cinnam. hord. unc. tres, Sacch. albiss. q. s. ut F. Tinctura gustui grata, de qua saepiuscule bibat die noctuque.

Enema ex lacte cum syrupo violaceo injiciebatur, hora a meridie secunda; et hora somni sequens haustus propinabatur.

Rec. Aq. fl. Paralys., Plantag., Cinnam. hord. aa. unc. sem., Aceti stillat. drachm. duas, Syr. de Meconio drachm. vj. M.

Die septimo, symptomatis vix se remittentibus, enema jam descriptum singulis diebus injiciendum curabat, tum etiam emulsionem, haustumque ad hunc modum praescribebat.

Rec. Sem. Cichor., Endiv., Lactuc., Portulac. aa.

drachm. duas. Sem. Cydon. Papav. alb. aa. drachm. un. sem. Amygd. dulc. excort. n° iv. Contundantur simul in mortar. marmor. sensim adfundendo Aq. Hord. libr. un. sem. colat. add. Sacchar. crystall. q. s. F. Emulsio, de qua bibat cochl. xij. quarta quaque hora.

Rec. Aq. fl. Paralys. Nymph. germin. Querc. Plantag. aa. unc. sem. Aceti stillat. Aq. Cinnam. hord. aa. drachm. tres, Conf. de Hyacinth. unc. sem. syr. de Meconio unc. un. M. F. Haustus, hora somni sumendus.

Die octavo, cum adhuc instaret febris, sanguis urinae immistus copiosius exiret, et petechiae in praememoratis partibus numerosae comparerent, omnia haec symptomata a sanguinis calore, tenuitate et acrimonia oriri conjectans, sanguinem secunda vice detraxit, liberaliorem cerevisiae tenuis usum, cui Vitrioli spiritus ad gratum acorem prius instillabatur, concessit: quam cum fastidiret aeger, possetum e succo limonum et lacte ei indulsit, uti etiam limonum pulpam in taleolas divisam et saccharo involutam. Addebat et sequentia:

Rec. Cons. Lujul. Cynorrhod. aa. unc. sem. Confect. de Hyacinth. drachm. tres. Diascord. drachm. un. sem. Corall. rubr. praeparat. Sang. Dracon. Bol. Armen. aa. scrup. un. Syr. e Symphyt. et Pilosell. aa. q. s. ut. F. Opiata, de qua capiat quantitatem avellanae sexta quaque hora, superbibendo haustulum seri lactis succo limonum facti et sacch. albo edulcorati, vel decocti vulnerarii spiritu Vitrioli acidulati.

Haustus hesterna nocte praescriptus repetatur cum Syr. de Mecon. drachm. x.

Nona die petechiae paulatim evanescebant, urina minus sanguine scatebat, quique inerat sanguis, facilius separabatur, et matulae fundum libentius petebat: hortabatur itaque aegrum, ut in remediorum horum usu perseveraret, et diebus aliquot elapsis sequentia adjiciebat ad eumdem scopum collimantia.

Rec. Cons. Ros. rubr. per setaceum traject. et vitriolat. unc. iv. Balsam. Lucatel. unc. duas. Bol. Armen. Sang. Dracon. Spec. Electuar. Diacoral. aa. drachm. un. Syr. e Corall. q. s. ut F. Elect. de quo

cap. quant. nuc. moschat. bis de die, superbibendo haustum Emulsionis sequentis.

Rec. Sem. Lactuc. Portulac. aa. drachm. tres; Cydon. drachm. un. sem. Papav. alb. unc. sem. Amygd. dulc. excort. n° v. Contund. in mortar. marmor. sensim adfundendo aq. Plantag. libr. duas Aq. Cinnam. hord. unc. duas. Colat. adde Sacch. q. s.

His remediis, favente numine, aeger intra septimanas tres a febre et horrendis illis, quae memoravimus, symptomatis liberatus, petechiis abolitis, atque urina tum colorem naturalem, tum consistentiam recipiente, paulatim ad sanitatem et vires pristinas rediit.

Quamvis autem symptomata ista jam dicta febri continuae accrescerent, non vero illi morbo, de quo nos supra egimus; cum tamen, quoties utrumlibet ea comitantur, a vehementi inflammatione et sanguinis nimia attenuatione, unde sanguis per oscula vasorum quasi vi exigitur, semper ortum ducant; nullus dubito, quin par methodus in tanta caussarum paritate omnino sit adhibenda, quantum scilicet fert utriusque morbi genius. Quamobrem virum optimum rogabam, ut mihi per illum liceret hanc ejus curationem hic subnectere. Quam quidem si quis vel mihi infensissimus (cum tamen alienos mores e propriis aestimans, nullum inimicum habere sperem) praestiterat, tamen veritate victus, praeclarissimam eam fuisse omnium, quas umquam novi, curationem, lubens faterer: cum jamdiu compertum habeam, quam sit fatale febricitantibus, sanguinem cum urina excernere. Cum vero idem amicitia mihi sit conjunctissimus, quanto cum animi prolubio et veritati et viri amantissimi famae mihi litandum erat? Hic enim ille est, qui cum pauci admodum me vel minimum quid in re medica sive indaganda sive etiam excolenda profecisse adserere auderent, maledicorum torrenti se medium objicere sustinuit, atque me pari zelo ac fide tutabatur, quo parentem filius. Quantumlibet autem beneficio tam insigni devinctus, numquam tamen nisi eas, quas commeruit laudes, praedicarem, cum perinde fere sit improbum sive opprobrio sive laudatione indignos adficere, quandoquidem utrimque a veritate discedatur. Nemo itaque mihi vitio vertat, si virum hunc ego nemini inter eos, qui mihi hactenus inno-

tuere, probitate secundum fidenter adfirmaverim, cum in tot annorum spatio, quibus eo familiariter usus sim, nec dicto quemquam laedere, quanto minus facto, sibi permiserit. Quantum vero in ea, quam profitetur, arte praecellat, modo Deus vitam ei concesserit, brevi satis elucescet; cum eruditioni haud vulgari, qua omnes medicinae tam antiquae, quam modernae tractus perlustraverit, exquisitissimam in subtilioribus praxeos minutiis indagandis sollertiam (sine qua nemo umquam medicinam merita cum laude faciet) cautus attulerit. Unde etiam aegrorum suorum votis bonus felixque cum primis respondet.

Haec demum sunt, quae ipse de hoc morbo sentio, quae non mihi subgessit phantasiae imaginatricis temeritas, sed phaenomena practica edocuere. Neque sane capio, qui fieri possit, ut fallatur is, qui cogitationes suas omnes mera ac nuda ejus sive artis, sive facultatis praxi limitat et determinat, quam sibi perdiscendam et cum laude exercendam proposuit: aut e contra qui possit fieri, ut non tam in ipso se, quam in aliis decipiendis omnes vitae annos prodigat ille, qui in iis excogitandis operam disperdit, quae cum praxi nihil prorsus habent commune. Et sicuti haudquaquam faustus probusve navis ad clavum gubernator fuerit ille, qui non tam ad brevia et saxa submarina adgnoscenda evitandaque, quam ad caussas fluxus refluxusque maris speculandas animum adverterit (quod quidem cum philosopho sit dignissimum, ab eo tamen perquam est alienum, cui id tantum negotii datum est, ut navis non submergatur), ita neque medicus, cui non alia, quam curandorum morborum provincia decernitur, quantumlibet ingenio caeterisque animi dotibus valeat, in arte vere medica proficiet, qui non tam in occulta et tortuosa illa methodo, qua natura morbos parit alitque (a qua etiam eorumdem historia pendet), indaganda, atque in remediis eidem adaptandis omnes animi vires intendat, quam in curiosis et *παρέργοις* speculationibus cerebrum fatiget, ad homines orco eripiendos (quod spondet medicina) ne hilum facientibus. Quae quidem praevaricatio non solum in caussa est, quod genus humanum commodis illis et emolumentis privetur, quibus a plurimorum ingenio,

animique dotibus augeri potuisset; sed etiam effecit tandem, ut quae medica adpellatur, revera confabulandi garriendique potius sit ars, quam medendi. Atque eo tandem deventum est, ut aegris vivendum moriendumve sit, prout philosophus vel conjectando scopum attigerit, vel ab eodem aberraverit; quod in lubrico semper est atque ancipiti, cum primi isti speculationum repertores non minus quam eorum mancipia, et servum pecus de cerebrosis istis commentis bello quasi internecino invicem digladientur, attamen nemo fortasse omnium ipsam veritatem adsequatur. Quamvis enim, si mentem serio adplicuerimus, quid de facto agat natura, et quibus in operatione sua utatur organis, deprehendere valeamus; modus tamen, quo illa operatur, mortales, aut ego fallor, semper latebit. Neque hoc mirum est, cum longe (immo supra omnem humanum captum longe) credibilius sit nos misellos homunciones ab illustri vitae lucisque regione exsulantes, methodum, qua in fabricanda machina usus est sapientissimus artifex, capere nullatenus posse; quam fabrum ferrarium rudem prorsus et imperitum nescire, quo pacto concinnetur automaton horarum index, cujus structura et motus exquisitissimam artis elegantiam prae se ferunt. Sicuti de facto constat, cerebrum omnis tam sensus, quam motus fontem esse, tum etiam et cogitationum et memoriae officinam; et tamen non est possibile a diligentissima ejus inspectione contemplationeve mentem usque adeo illuminari, ut intelligere possit, quo pacto substantia ita crassa et quasi pulpa quaedam, neque operis, ut videtur, usque adeo affabre elaborati, usui ita nobili et facultatibus tam praecellentibus queat sufficere; neque exinde adsignare quis potis est, qua ratione ex naturae ejus vi et structura partium sive haec, sive altera ista facultas necessario fuerit exserenda.

Atque haec de variolis confluentibus. Quibus si adduntur, quae in historia morborum acutorum de hoc adfectu tradidi, summam habes eorum, quae mihi hactenus innotuere, eaque omnia diligentissime, quod a me fieri potuit, trutinata atque expensa.

Accingo me jam (quoniam tu id postulas, vir eruditissime) ad ea exponenda, quae de adfectionibus hystericis hactenus observatione comperi. Quas

quidem, perobscuram et difficilem prae caeteris, qui homines vexant, morbis diagnosin habere, tum etiam aegrius curationem admittere, lubens fateor. Attamen ut potero morem tibi geram, ea, quae epistolae convenit, brevitate; quam sane a me exigit valetudo infirmior, et quasi vacillans; hac praesertim anni tempestate, qua mihi verendum est, ne si pertinacius cogitationibus indulsero, podagrae mox paroxysmum accersam. Paucis itaque expediam, quae hic habeo dicenda, methodo, qua uti soleo, insistens; brevem scilicet morbi historiam tradens secundum vera naturae phaenomena; tum etiam medendi rationem subnectens, quae mihi optime cessit, quamque non librorum lectio, quam experientia propria, magistra haudquaquam infida, jam olim suggessit.

Hic morbus, si recte calculum pono, chronicorum omnium frequentissime occurrit; et sicuti febres cum appendicibus suis duas partes tertias, ad chronicos morbos simul sumtos si comparentur, complent, ita adfectus hysterici (vel isti saltem, qui eo nomine insigniuntur) ad reliquae partis tertiae dimidium adsurgunt, hoc est, chronicorum pars media sunt. Feminarum enim paucissimae (qui sexus adultorum dimidia est pars) ab omni horum adfectuum specie prorsus liberae sunt, si istas excipias, quae laboribus adsuetae dure vitam tolerant. Quinimmo non pauci ex iis viris, qui vitam degentes sedentariam, chartis solent inpallescere, eodem morbo tentantur. Et quamlibet omnis retro antiquitas symptomata illa adfectibus hystericis adnascentia utero semper vitio verterit, si tamen adfectiones hypochondriacas vulgo dictas, quas splenis aut viscerum nescio quorum obstructioni imputamus, cum mulierum hystericarum symptomatis conferamus, vix ovum ovo similius, quam sunt utrobique phaenomena, deprehendemus. Neque tamen reticendum est, feminas multo crebrius hoc morbi genere corripi, quam solent mares, non quod se uterus magis male habeat, quam alia quaevis corporis regio, sed ob caussas infra explic ndas.

Sed nec spectabilior est hujus morbi frequentia, quam varietas illa multiformis, qua se ostendit, et nullos fere non aemulatur ex iis affectibus, quibus

atteruntur miseri mortales. Quamcumque enim corporis partem insederit, symptomata, qualia ei competunt parti, statim producit. Et nisi medicus tam sagaci quadam sollertia et *δεινότητι*, quam in arte peritia valeat, fraus ei fiet, atque ista symptomata a morbo aliquo essentiali hujus vel illius partis, non vero ab adfectione hysterica pendere arbitrabitur.

Quandoque v. gr. capitis arcem occupans, apoplexiam facit, quae similiter hemiplegia solvitur, eam omnino referens apoplexiam, qua tum aetate, tum mole corporis grandiores siderantur, et quae ex eo nascitur, quod cerebri cortice pituitae copia referto ac scatente spirituum animalium meatus ac semitae intercludantur: a qua quidem caussa, quae feminis hystericis accidit apoplexia, oriri nullatenus videtur, cum easdem haud infrequens adoriatur confestim a partu, magna sanguinis vi simul ejecta, et vel partui laboriosiori, vel vehementiori alicui animi commotioni debeatur.

Quandoque spasmos horrendos gignit, epilepsiae persimiles, ventre et praecordiis guttur versus intumescentibus, et nixus ita fortes edente aegra, ut, licet alias mediocrium tantum fuerit virium, jam omni adstantium ope vix retineri queat; incondita interim atque inarticulata quaedam vociferans, et pectus feriens. Feminae, quibus haec species, quae uteri strangulatus vulgo audit, familiarior est, temperamento sunt utplurimum plus quam solet sanguineo, et habitu corporis ad viragines accedente.

Nonnumquam exteriorem capitis partem occupat, pericranium inter craniumque dolorem vix tolerabilem adferens, in quadam tantum particula, quae transverso pollice contegi possit, jugiter defixum. Dolorem hunc etiam comitantur vomitiones enormes. Haec species clavus hystericus mihi est, istas prae caeteris fatigans, quae chlorosi laborant.

Nonnumquam in partes incidens vitales ita vehementem cordis palpitationem excitat, ut quae eam patitur femina pro indubitato habeat, sonitum cordis in costas arietantis etiam ab adstantibus omnino debere percipi. Haec species eas maxime infestat, quae extenuato sunt corpore et crasi minus firma, quaeque extabescentium pene formam prae se ferunt; tum etiam juvenculas febre alba pallescentes.

Nonnumquam pulmones obsidet, unde aeger cre-

berrime tussit, et fere sine intermissione, nihil prorsus expectorans: et quantumlibet haec tussis species non ita valido nisu thoracem concutiat atque illa, quae convulsiva dicitur, explosiones tamen longe frequentiores sunt, aeger praeterea non ita sensu valet. Haec autem tussis hystericae species oppido rara est, et feminas pituita scatentes prae caeteris exagitat.

Nonnumquam in colon et regionem scrobiculo cordis subtensam impetum faciens, dolorem vix ferendum infligit, iliacae passioni haud absimilem; ubi immodice vomit, colluviem quamdam viridem, bili, quam porraceam adpellant, fere parem, nunc etiam insoliti alicujus coloris rejiciens. Saepe etiam postquam aegra ad multos dies jam dicto dolore (qui vel stoicorum ἀπάθειαν expugnaret) et continuo vomiturition is conatu tantum non fuerit enecta, tandem ictero intensiore omnem corporis superficiem ad instar croci tingente solvitur paroxysmus. Aegra interea diris mentis angoribus pressa omnem recuperandae sanitatis spem prorsus abjicit: quae quidem animi dejectio et quasi desperatio quaedam non magis, quantum ego observavi, ab hoc hystericorum adfectuum specie sejungitur, quam sive dolor, sive vomitus praememorati. Atque hoc genus in istis praecipue locum habet, quae corporis habitu laxiore crudoque sunt; tum et in iis, quae infantes grandiusculos cum ingenti sui et naturalium vitae staminum dispendio sunt enixae.

Quandoque hoc malum in alterutrum ex renibus incursans atrocissimo, quem illic parit, dolore paroxysmum nephriticum omnino mentitur, idque non solum doloris genere locoque, quo saevit, sed et adscitis vomitionibus immanioribus, tum etiam nonnumquam ex eo, quod dolor per ureterum ductus propagetur ita, ut aegre admodum dignosci queat, utrum haec symptomata ab incluso calculo, an vero ab effectu aliquo hysterico enascantur; nisi forte casus aliquis acerbior aegrae animum paulo antequam corriperetur discrucians, aut materiae viridis per vomitum rejectio symptomata ista adfectioni potius hystericae, quam calculosae tribuenda esse docuerint. Sed neque vesica ab hoc pseudosymptomate atque ementito adfectu immunis est, cum non tan-

tum ipsa ab eo doleat, sed et urina supprimatur, perinde ac si calculus eam obstrueret, qui tamen nullus est. Rarissime autem cernitur postrema haec species vesicam attingens, quae vero renum calculum imitatur, non ita raro. Utraque eas solet invadere feminas, quarum vires repetitis saepe paroxysmis hystericis jam fractae sunt, et sanitas corporis detrita.

Nunc in ventriculum decumbens continuas vomitiones excitat, nunc etiam diarrhoeam, quoties scilicet in intestina effunditur: at neutrum horum symptomatum sequitur dolor, licet in utroque persaepe compareat dictus ille succus viridis. Utraque haec species iis familiaris est, quas frequentiores paroxysmi hysterici debilitaverunt.

Atque ut hic morbus omnes ferme partes internas infestat, ita etiam nonnumquam exteriores carnemque musculosam occupat, maxillas scilicet, humeros, manus, crura, tibias, nunc dolorem adducens, nunc tumorem: in quo genere is, qui tibias distendit, tumor prae reliquis conspicuus est. Cum enim in hydropicorum tumoribus duo haec semper observari possint, ut tumor scilicet sub vesperam se majorem exhibeat, tum etiam ut, pastae instar madentis, vestigium digiti fortius impressi formamque referat; jam in hoc altero tumor matutino tempore protuberantior est, nec digito cedit prementis, aut vestigium ullum manet. Plerumque etiam tibiarum alterutram tantum inflat: de caetero sive magnitudinem spectes, sive etiam superficiem, hydropicorum tumores ita ad amussim aemulatur, ut aegrae se haud facile ab ea, quae insedit sententia, dimoveri patiantur.

Sed neque ipsi dentes (quod vix credas) ab hujusce morbi insultu se possunt defendere: licet neque vel minima cavitas, neque humoris alicujus defluxus, saltem, qui percipi queat, dolori sive ansam praebuerit, sive vehiculum; qui nihilominus nec mitior est, nec contractior, aut expugnatu facilior. Isti vero tum dolores, tum tumores, quibus adficiuntur partes exteriores, quas supra memoravimus, eas praecipue feminas adoriuntur, quae longa paroxysmorum hystericorum serie ac impetu violento tantum non exanimatae, vitam ducunt vix vitalem.

Inter omnia vero morbi hujus tormenta nullum se tam crebro ingerit, quam dolor in dorso; quem certo certius persentiscunt, quotquot vel levissime hoc adfectu tanguntur. Quinimmo id habent effectum commune dolores praedicti, quod illa, cui inhaeserant, regio etiam post eorum discessum tenera sit, et quasi fustibus probe fuerit dedolata, tactum refugiat; quae quidem teneritudo sensim evanescit.

Hoc interim observatu dignissimum est, quod non raro notabilis quaedam externarum partium refrigeratio symptomatis his omnibus viam quasi sternit, et plerumque non nisi paroxysmo finito dispellitur: quam quidem refrigerationem haud semel isti fere, qua rigent cadavera, parem comperi, pulsu nihilominus recte se habente.

Addo, quod hystericae fere omnes, quotquot ego hactenus tractavi, de spirituum dejectione sive subsidentia (ut cum illis loquar) conqueruntur: pulmonis regionem indigitantes, quoties locum, in quo haec spirituum contractio seu subsidentia sentitur, volunt designare.

Demum mulieres adfectione hysterica laborantes nunc in risum effundi, nunc in lacrymas pariter immodicas solvi, nulla προφάσει manifesta sive illum, sive has extorquente, nemini non est notum.

Inter omnia vero, quae in hoc morbo comparent phaenomena, illud maxime proprium est, atque ab eo fere inseparabile, quod scilicet aegrae urinam subinde reddant plane limpidam, ad instar aquae e rupibus scaturientis, idque satis copiose; quod quidem ego sigillatim percontando, in omnibus fere didici signum esse pathognomonicum eorum adfectuum, quos in feminis hystericos, in maribus hypochondriacos adpellandos censemus. Atque in masculis nonnumquam observavi, quod mox ab excreto lotio coloris citrini (immo proximo fere temporis momento) violentiori aliquo animi motu derepente perculsi statim urinam, crystallum claritate aemulantem, magna copia et impetu diu continuato ejecerint, eo usque se male habentes, donec urina pristinum colorem induerit, et paroxysmus simul evanuerit.

Quin et omnibus tam hystericis, quam hypochondriacis, quibus scilicet jam malum inolevit, id accidit, ut flatus quandoque nidorosos e ventriculo emit-

tant, quoties aliquid comederint, licet moderate tantum et pro ratione adpetitus, tum etiam aliquando acidum eructent, acetum sapore referens, quoties in os adscenderit; laesa nempe utrobique concoctione, et succis proinde a naturali statu interversis.

Neque hoc tantum nomine infelices sunt, quod corpus ita male adfectum et quasi conquassatum, adinstar aedium ruinas undiquaque minitantium, tantum non corruat et fatiscat, cum magis adhuc animo aegrotent, quam corpore. Cum enim desperatio plane insanabilis de hujusce morbi natura sit, indignantur admodum, quoties aliquis vel minimam de sanitate recuperanda spem injecerit; facile interim credentes, omnia se quaecumque in homines cadere possunt incommoda, quaeque adeo fert rerum natura, perpessuras; tristissima quaeque sibi ominantes, atque timorem, iram, zelotypiam, suspiciones, et si quae atrociora sunt animi pathemata, vel ex levissima, vel etiam nulla data ansa adripientes, et sinu foventes irrequieto anxioque; ab omni interim gaudio, spe, laetitia abhorrentes: quae si forte occurrant, quando hae rarae aves sunt, velocissime avolant, animum interim haud minus vehementer exagitantia, quam solent moestiora illa πάθη, ita ut nullibi mediocritatem servent in una levitate constantes; nunc amant praeter modum, mox odio eosdem sine caussa prosequuntur; nunc hoc illudve sibi agendum proponunt, mox a proposito resiliunt, et quod cum eo pugnat, adgrediuntur, sed neque hoc peragunt, ita animi pendentes, ut numquam liceat quieta mente consistere. Quodque de superstitiosis adserit orator Romanus, nostris hisce melancholicis pulchre quadrat. Perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus, at ex eo ipso plurimae curae metusque nascuntur; dum funera tantum in somniis et denatorum amicorum umbrae repraesentantur. Ita tam animo quam corpore excarnificantur, quasi haec vita omnis ignis esset expurgatorius, in quo scelera, alio in statu perpetrata, jam luerent atque expiarent. Neque hoc tantum maniacis accidit et furiosis, quos dicimus, sed etiam illis, qui, si hos animi impetus excipias, prudentia ac judicio valent, quique et meditationum profunditate et sapientia orationis longe eos supe-

rant, quorum mentes his cogitationum aculeis numquam fuerint excitatae. Ita ut non sine ratione observaverit ARISTOTELES, melancholicos caeteris ingenio praestare.

At vero tam horrendus animi status, qualem supra delineavimus, non aliis competit, quam iis, qui diu multumque cum hoc morbo conflictati, tandemque subjugati quasi victas manus dant: maxime si res adversae, animi moerores, sollicitudinesve, nimia in literarum studio assiduitas, atque animi contentio, cum prava corporis diathesi conspirantes, oleum camino adjecerint.

Dies me deficeret, si omnia, quae adfectus hystericos gravant, symptomata enumerare velim, tam diversa atque ad invicem contraria specie variantia, quam nec Proteus lusit umquam, nec coloratus spectatur chamaeleon. Proinde recte mihi videtur rationem subduxisse DEMOCRITUS (quantumlibet in morbi caussa hallucinaretur), ubi in epistola ad HIPPOCRATEM missa diserte adserit, sexcentarum aerumnarum innumerarumque calamitatum auctorem esse uterum. Neque tantum multifaria sunt illa, sed nec regula aliqua aut typo uniformi se contineri patiuntur, quod in aliis hominum adfectibus tamen usu venit, sed quasi farrago sunt quaedam *φαινομένων* incomposita atque inordinata; unde perarduum est hujus morbi historiam describere.

Caussae autem hujus morbi procatarcticae, seu externae vel sunt vehementiores corporis motus, vel etiam multo saepius violenta quaedam animi commotio, a repentino aliquo, sive irae, sive doloris, sive etiam timoris, et similium pathematum insultu. Quoties itaque me consulunt feminae de hoc illove corporis adfectu, cujus ratio e vulgaribus morborum dignoscendorum axiomatis nequeat reddi, numquam non diligenter ab eis exquiro, an non eo, de quo conqueruntur, malo tum praecipue fatigentur, cum tristitia, aerumna, aut alia aliqua perturbatio eas male habeat? quod si annuerint, jam satis superque mihi constat, morbum in hac, de qua agimus, tribu censendum; praesertim vero si diagnosin id clarius illustret, quod scilicet certis aliquot temporibus urinam limpidam et crystalli aemulam, eamque copiosam simul excernant. His vero animi motibus, qui

usitatiores sunt hujus morbi προφάσεις, accedunt vel stomachi vacuitas ab inedia pertinaciori, vel nimiae humorum evacuationes, sive a sanguine intemperanter effuso, sive ab emetico aut cathartico, cui impares erant aegrae vires.

Jam vero ab hac totius morbi imagine, secundum vulgatissima ejus φαινόμενα depicta, proximo loco ejus caussae efficientes internae sive προηγουμέναι mihi veniunt pensitandae, quantum eas ex omnibus, quas descripsimus, circumstantiis simul junctis expiscari valeam. Pendent ergo adfectiones istae, quas in feminis hystericas, in maribus hypochondriacas insignire libet, quantum ego judico, a spirituum animalium ἀταξίᾳ, unde facto impetu in hanc illamve partem plus quam pro rata densi nimiique feruntur, spasmos uti et dolorem excitantes, ubi in partes sensu exquisito praeditas irruunt, atque organorum, tum ejus, in quod se ingerunt, tum istius, a quo abscedunt, functiones pervertentes; cum utrumque ab hac tam iniqua partitione, quae naturae oeconomiae penitus adversatur, haud parum detrimenti capiat.

Cujus quidem ἀταξίας origo atque caussa antecedens est debilior dictorum spirituum crasis, sive nativa ea fuerit, sive etiam adventitia, unde quavis προφάσει dissipatu faciles sunt, et eorumdem systema nullo fere negotio dirimitur. Quemadmodum enim homo quidam exterior conspicitur ex partibus sensui obviis compaginatus, ita procul dubio et interior est quidam homo, e debita spirituum serie et quasi fabrica constans, solo rationis lumine contemplandus. Hic vero cum temperie corporis intimius conjunctus et quasi unitus tanto aegrius faciliusve de statu suo dejicitur, quanto major est minorve ea, quam a natura sortimur, principiorum constituentium firmitas. Quamobrem feminas longe plures quam masculos hic morbus adgreditur, quoniam videlicet istas natura magis delicatulo rarioreque corporis habitu (ceu vitae molliori, et hominum deliciis destinatas) blanda donavit; mares autem toroso corporis robore, utpote qui laboribus exantlandis in tellure colenda, repastinanda, et feris, quibus alantur, capiendis aliisque similibus apti nati sint.

Dictam autem spirituum ἀταξίαν hujus morbi

caussam esse, phaenomena jam descripta satis probant, quorum praecipua tantum attingam, a notissimo illo adfectu hysterico, qui uteri strangulatus vulgo dicitur, initium faciens. Hic jam spiritus, facto quasi agmine in ventre inferiore, catervatim magnoque impetu in fauces irruentes, spasmos excitant per omnem quam transeunt regionem, ventrem inflantes ad instar globi praegrandis, qui tamen nihil aliud est, quam partium spasmo tentatarum convolutio et quasi conglobatio quaedam, quae non nisi magna vi reprimi potest et coërceri. Partes interim externae massaque carnea a spiritibus jam alio raptis magna ex parte destitutae, eo usque frigescunt persaepe, non in hac sola adfectus hysterici specie, sed in aliis omnibus (quod prius adnotatum), ut cadavera non frigeant magis. Pulsus interim qualis sanarum est, nec aegra ab hoc frigore de vita periclitatur, nisi illud ab evacuatione aliqua enormiori praecedente originem ducat.

Idem etiam dici potest de violentiori isto adfectu hysterico, qui externa facie colicam biliosam, vel etiam passionem iliacam aemulatur: in quo aegra dolore vix tolerando in regione cordis scrobiculo circumposita, una cum immani materiae herbam colore referentis evomitione discruciatur. Quod quidem symptoma haud aliunde nasci existimo, quam a vehementi spirituum dense conglomeratorum in dictas partes impulsu, unde et spasmus, et dolor, et earum totalis facultatum subversio.

Neque ex eo, quod ista, quae in hoc adfectu sive per os, sive per sedem egeruntur, colore quandoque viridi tingantur, statim conficitur, morbum hunc in humoribus residere, aut atrocissimum illum dolorem ab humoris alicujus acrimonia, partem cui inhaeret dilaniantis, produci; quem idcirco pro minera morbi habeamus, ac proinde remediis tam ἄνω quam κάτω catharticis radicitus exstirpandum censeamus. Etenim de facto constat, aegritudinem illam, qua laborant navigantes (a spirituum animalium agitatione ortam, in fluctuanti ac irrequieto mari), colluviem coloris plane herbacei ex hominum vel sanissimorum ventriculo exantlare, ubi primum in mare longius sunt provecti, quibus tamen ante semihoram ultimo elapsam non inerat bilis haec, quam porraceam

adpellare libet. An non et infantes in paroxysmis convulsivis, in quibus spirituum animalium maxime res agitur, tam per superiora, quam per inferiora materiam ejusdem plane coloris ejiciunt? Quibus addendum est id, quod experientia ferme quotidiana docet, scilicet quantumlibet ejusmodi sive feminas, sive infantes iterata catharsi exhauserimus, attamen color jam dictus in eis, quae vel per vomitum, vel per sedem exeunt, usque visetur. Quin etiam a pharmacis tam emeticis quam catharticis frequentius propinatis uberior materiae viridis nascitur seges, cum ab utroque genere spirituum ἀταξία provehatur: quae vel nescio, quomodo istarum partium fermentum destruit ac pervertit, vel in ventriculum intestinaque vi spasmorum succum aliquem alienae indolis intorquet, qui humores ejusmodi coloribus inficere potis est. Chemiae sectatores, licet nondum ita bene cum illis sit, ut quae in organis suis πολυτέχνοις medicamenta elaboraverint, majus aliquid in morbis debellandis praestent, quam quae contunduntur in mortario, vel in olla decoquuntur, tamen curiosorum περιεργίᾳ eousque gratificari norunt, ut duos liquores aeque limpidos clarosque ostendentes, ex iisdem invicem commistis saturatum colorem aliquem, quasi praestigiantes, possint exhibere. Et profecto ita lubrica est et evanida colorum speculatio, ut nihil certi ex illis de corporum, in quibus adparent, natura queat deprehendi. Neque magis sequitur, ea, quae colore viridi sunt, acria esse omnia, quam omnia, quae sunt acria, viridi esse colore. Re itaque undique perpensa, satis liquet, dolorem immanissimum, qui hac colica hysterica laborantes pene exanimat, tum etiam materiae viridis rejectionem a spiritibus, nimio impetu in partes sub cordis scrobiculo positas incursantibus, atque easdem spasmo contrahentibus, omnino excitari.

Huic etiam spirituum enormitati tribuendum est symptoma istud, quod superius clavi hysterici nomine indigitavi, in quo spiritus ab omni corporis ambitu in certo pericranii quasi punctulo concentrantur, dolorem haud minus perterebrantem, quam si clavus ferreus in caput vi adigeretur, accersentes, una cum insigni materiae viridis evomitione. Quae quidem spirituum ab universo corpore quasi in pun-

ctum contractio non multum abludit ab ista radiorum solis collectione, quae fit ope vitri incensorii: utque hi vi unita exurunt, ita et isti ob eamdem rationem dolorem infligunt, membranas quasi discerpentes lacerantesque junctis viribus.

Deinde ab hac inordinata spirituum agitatione sanguinem perturbante exoritur symptoma illud, tam hystericis, quam hypochondriacis haud insolens, ut supra notavimus, quod nempe saepenumero urinam reddant claram, limpidamque simul et copiosam: cum enim sanguinis oeconomia subinde interpellatur, quod importatur serum satis diu retinere nequit aeger, sed illud prius dimittit, quam istis particulis salinis, quarum ope color ad citrinum traduci debuerat, inpraegnari potuerit. Cujus rei quotidianum habemus experimentum in eis, qui, cum plus satis liquoris, maxime tenuioris atque attenuantis, ingurgitaverint, lotium mox limpidissimum excernunt. Quo in casu sanguis ab ea seri quantitate, cui retinendo prorsus impar est, plane devictus illud omnino limpidum amittit, necdum a corporis succis infectum ob moram justo breviorem.

Tertius jam agitur annus, a quo nobilis quidam me sibi medicum volebat, qui colicam hypochondriacam pati mihi videbatur, ad passionem iliacam fere accedentem dolore et vomitu enormiori; quo morbo diu multumque fuerat vexatus, et tantum non fractus. Per omnem morbi decursum sedulus animadverti, quod ubi pessime se habuerit, urina limpida et exors coloris semper fuerit, quando vero paulo melius, ad citrinum vergeret illa. Hunc die quodam adiens, urinam conspexi, quam tribus vicibus excreverat, in matulis totidem reservatam, citrino colore praeditam: laetus ipse hilarisque cibum ex εὐπέπτοις aliquem jam adsumere meditabatur, invitante, quod mihi dicebat, adpetitu; in quo temporis articulo superveniens quidam eousque bilem commovebat, ut extemplo aegrotans matulam deposceret, quam urina limpidissima, crystallum colore aemulante, fere implevit.

Forte etiam a spiritibus sanguinem ita molestantibus pendet ptyalismus ille hystericis familiaris, cum ad multas septimanas salivam exspuant tenuem, perinde ac si unguento ex Mercurio fuerint delibu-

tae: durante enim hoc turbido sanguinis statu, in quo excretionibus ad naturae methodum exigendis impar is est, serum motum hunc inversum forte sibi vendicans, non jam in renes pro lege naturae exoneratur, sed per arteriarum extremitates in glandulas deponitur, et per ductus salivales salivae forma prodit. Idem dici potest de nocturnis istis sudoribus, quibus feminae hystericae nonnumquam perfunduntur, qui non ab alia caussa fluunt, quam a seri sanguinis diathesi, qua in corporis habitum gestit effundi, ob modo memoratam sanguinis ἀταξίαν.

Frigus quod attinet, quo toties algent partes externae in adfectibus hystericis, luce clarius est, illud ex eo accidere, quod spiritus suam in illis stationem deserentes se nimio opere in hanc illamve partem inserant. Nec est dubitandum, quin tam fletus, quam cachinnus, quem tollunt haud raro hystericae, etiam nulla data ansa, a spiritibus animalibus procuretur, organa, quae his functionibus animalibus inserviunt, magna vi pulsantibus.

Obiter dicam, mares etiam, quamvis rarius id eveniat, fletui ex nulla προφάσει quandoque obnoxios reperiri. Accersebar aliquando ad virum tam ingenio, quam genere nobilem, qui non nisi paucis diebus a febre convaluerat, alterius medici consilio usus, qui et sanguinem detraxerat, et pharmacum catharticum ter exhibuerat, tum etiam carnibus illi interdixerat. Hunc ubi vestitum conspexerim, et de rebus quibuslibet cum judicio disserentem audierim, rogabam, quorsum me conveniret; respondit familiaris quidam ejus, modo exspectarem paulisper, res ipsa loqueretur; considens itaque et sermones cum aegro trahens, mox observavi labrum inferius pendulum protrudi, cum motitatione crebra (uti solent infantes morosiores fletum adornare), et exinde aegrum in tantas solvi lacrymas, quantas vix alias vidi umquam, cum gemitu ac suspiriis tantum non convulsivis. Qui tamen repentinus torrens non ita multo post detumuit prorsus. Hanc ego adfectionem a spirituum ἀταξίᾳ (partim a morbi diuturnitate, partim ab evacuationibus, quas θεραπεία necessario exigebat, orta) pendere existimabam, partim etiam ab exinanitione et abstinentia a carnibus, quam etiam ad dies aliquot, posteaquam convaluerat, imperaverat

medicus, quo eum a recidiva praestaret securiorem. Hinc eum pronunciavi extra omnem febris aleam jam constitutum; symptomaque praedictum inanitioni tantum deberi: ac proinde suadebam, ut pullum gallinaceum assum in prandium juberet parari, et simul vinum modice hauriret; quo facto et carnibus deinceps moderate vescens numquam deinceps fletum hunc convulsivum passus est.

Ut tandem finiam (caetera enim, quae in hoc morbo spectantur phaenomena, jam missa facio), ab hac ipsa spirituum inordinatione nascitur perturbatio illa, et varians subinde tam animi quam corporis intemperies, quae tum in hystericis, tum hypochondriacis dominatur: cum enim utrisque desit ea spirituum firmitas, quae in robustioribus atque iis, quorum facultates jugi spirituum vegetorum subsidio actuantur, semper invenitur, impressiones rerum minus gratarum nequeunt perferre; sed vel ita, vel dolore subito perciti perinde sunt irritabiles, atque illi, quorum *ἡγεμονικὸν* mollius et debilius vel natura primo procudit, aut longior aegritudinum sive series, sive mora tandem reddidit. Etenim animi robur et constantia, quamdiu hoc corporis luto is incrustatur, a firmitudine spirituum eidem famulantium maxime pendet; qui quidem supremum in scala materiae gradum constituunt, in ipso entis immaterialis confinio positi. Cumque animi compages, si fas est ita dicere, longe magis affabra sit et delicata, quam est corporis structura, utpote quae in harmonia facultatum praestantissimarum et pene divinarum consistat, si hujus *σύστασις* quoquo modo fuerit interrupta, conturbataque, major inde sequetur ruina, quanto praecellentius erat et magis exquisitum opificium, dum integrum perstaret. Et hic quidem miserorum, quos depinximus, animoque fractorum status est; cui malo non citius remedium adferet pertinax aliquod vel insolentissimi Stoici decretum, quam *ὀδονταλγίαν* praecaverit is, qui firmiter statuerit, se nullo modo permissurum, ut dentes dolore pertententur.

Satis itaque jam constat, opinor, omnem hunc morbum ad spiritus animales non rite dispositos referri debere; nec a semine aut sanguine menstruo corruptis (quod adserunt nonnulli auctores) et hali-

tus malignos in partes adfectas elevantibus produci, nec a succorum nescio qua perversa depravatione, sive etiam humorum acrium congestione, ut alii volunt, sed ab iis, quas modo adsignavimus, caussis. Quod enim morbi fomes in materia non delitescat, unica hac instantia satis elucescet. Femina v. g. quae rectissima semper valetudine uti solet, modo delicatula sit illa, et teneriore corporis habitu, si forte errore aliquo, sive emetico, sive cathartico quovis fortiore, nimium fuerit debilitata exhaustaque, certo certius symptomate aliquo ex iis, quibus hic morbus stipatur, multabitur; quod tamen ejusmodi vomitio vel catharsis amoliretur magis quam invitaret, si morbi minera in humore contineretur. Idem dici potest de immodico sanguinis dispendio, sive phlebotomia is fuerit extractus, sive in puerperio debito copiosius manaverit, uti et de exinanitione et justo longiore a carnibus abstinentia; quae omnia ad adfectus hystericos praecavendos potius facerent, quam ad eosdem accersendos, si illorum fomes in materia aliqua involveretur: cum e diverso non alia caussa ita constanter pariat hujusmodi adfectus, ac solent dictae evacuationes.

Quamvis autem satis pateat, originarium hujus morbi fomitem in humoribus nullatenus stabulari, fatendum est tamen (quod res est), spirituum ἀταξίαν illam, cui morbus debetur, humores putridos in corpore coacervandos gignere, cum tam illarum partium functio, quae vehementiori spirituum impulsu distenduntur, quam earum, quae illis privantur, omnino pervertatur. Cumque harum pleraeque organa sint quasi separatoria, excipiendis cruoris recrementis designata, si earum functiones quovis modo laedantur, fieri non potest, quin ingens faeculentiae colluvies accumuletur; quae quidem eliminata fuisset, totaque proinde sanguinis massa depuratior facta, modo singula organa munus suum explevissent; cui nullo modo defuissent, si debita spirituum oeconomia universas invigorasset. Huic ego caussae adjudico cachexias insigniores, ἀνορεξίαν, sive adpetitus prostrationem; in juvenculis chlorosin, sive febrim albam (quam quidem speciem esse adfectionis hystericae nullus dubito), aliamque omnem malorum Lernam, in qua immerguntur misellae, quotquot hoc morbo

diu elanguerunt: quae omnia a succis putrescentibus in sanguine congestis, atque exinde in organa varia depluentibus succrescunt. Hujus farinae est hydrops testium in feminis, quae jam diutius adfectu hysterico laboraverint, natus a succis depravatis e sanguinis massa in organa rejectis; unde perversis eorumdem facultatibus, primo steriles fiunt mulieres, et destruitur prorsus oeconomia partium, indeque serum et sanies gignuntur, quae non tantum nodulos ovaque testium interficiunt, sed etiam in tunicarum interstitia se insinuantia, testes in molem ingentem elevant; quod in earum dissectionibus cernitur, quae hoc morbo pereunt. Diathesis interim hysterica horum aliorumque humorum similium caussa est primaria, quamlibet ejusdem cum illa prosapiae non fuerint.

Quemadmodum in febre quartana, qua vel pancratice valens quispiam corripietur, si modo duos tresve dies in locis paludosis ac lacustribus egerit, primo spirituosum quoddam μίασμα morbi hujus sanguini imprimitur, quod diuturnius inhaerens, laesa tandem naturae oeconomia, omnes corporis succos inquinat, aliena prorsus indole eos imbuens; unde aeger (maxime si aetate grandior fuerit, ac in senium jam vergat) cachexiis aliisque malis obnoxius redditur, quae febribus intermittentibus diu adfligentibus superveniunt. Quae tamen febres non sunt profligandae remediis, quibus rectissime expurgantur hujusmodi humores, sed specificis iis, quae abigendis febribus immediate dicantur.

Ex omnibus, quae nos hactenus congessimus, abunde mihi constare videtur, praecipuam in hoc morbo indicationem curativam eam esse, quae sanguinis (qui spirituum fons et origo est) corroborationem indigitat; quo facto spiritus invigorati eum servare possint tenorem, qui et totius corporis, et singularum partium oeconomiae competit. Cum vero haec spirituum ἀναξία (quod supra fieri posse concessimus) mora longiore humores vitiaverit, e re fuerit, eosdem jam corruptos et phlebotomia et catharsi prius imminuere, modo aegrae vires permiserint, quam ad sanguinem corroborandum nos adcingamus; quem quidem scopum vix adsequi poterimus, quamdiu faeculenta humorum colluvies se mediam, quasi obicem interposuerit. Quandoquidem autem dolores atro-

ciores, vomitiones, et diarrhoeae enormes ita nonnumquam effervescant, ut inducias non ferant, usque quo primariae illi fortificandi sanguinis intentioni possit satisfieri, quandoque ab effectis consopiendis (missa aliquantisper caussa) curationis tela necessario ordienda est, exhibito scilicet medicamine anodyno: dein spiritibus, quorum crasis infirmior morbi caussa est, rectificandis opera danda est, quo ejusmodi symptomatis deinceps occurratur. Cumque experientia doceat permulta esse, quae foetoris exhalatione repellendis spiritibus seditionem molientibus, et in loco suo continendis apta nata sint (quae idcirco hysterica audiunt), neque illa sunt negligenda, quoties dictis intentionibus implendis operam navamus.

Ad hanc ego metam collimans, venam in brachio secari jubeo, dein ut purgetur aegra tribus quatuorve auroris continuis. Per hos dies, in quibus venaesectio et catharsis celebrantur, ita plane nihil emolumenti capere aegra, ut in pejus ruere sibi videatur, cum dictae evacuationes tumultu concitato ἀταξίαν promoveant; qua de re aegram diligenter praemoneo, ne animum despondeat, suadente morbi genio. Utut fuerit, vitiosi isti humores, quos a morbo diuturniore coaggeratos supponimus, quadamtenus sunt detrahendi, antequam primariae intentioni percommode satisfacere queamus.

Post has evacuationes ad sanguinem confortandum, et proinde etiam spiritus ex eo prognatos, remedium aliquod martiale seu chalybeatum ad dies triginta praescribo adsumendum, quo non aliud certius hic votis respondet. Etenim massae sanguineae jam effoetae et languescenti volatile quoddam fermentum, ceu calcaria, subdit, a quo excitantur et quasi eriguntur spiritus antea jacentes, et suo pondere pressi. Cujus rei indicium est vel apertissimum, quod quoties chalybs in chlorosi propinatur, pulsus derepente major fit et celerior, exteriora corporis incalescere, facies non amplius pallida et mortuis concolor, sed vivida cerni et sanguine purpurata. Attamen hic notandum, quod non semper venaesectio et cathartica chalybis usui sint praemittenda, cum viribus admodum imbecillis et diuturnitate morbi attritis fractisque omitti ea possint ac

debeant, et cum chalybe statim incipiendum; quod diligenter advertendum.

Commodissime vero, aut ego fallor, in substantia exhibetur; atque ut nec observavi umquam ipse, nec fando accepi, eum ita sumtum cuivis nocuisse, ita certiorem me fecit experientia multiplex, nudam chalybis substantiam et felicius, et breviore temporis spatio curationem absolvere, quam si is quovis ex iis, qui vulgo feruntur, modo fuerit praeparatus. Cum tam in hoc, quam in aliis melioris notae remediis id quandoque praestiterit chemicorum officiosa sedulitas, non tantum ut δραστικώτερα non sint, sed etiam a perversa eorumdem diligentia et opera plusquam otiosa magis evilescant. Audivi etiam (quod, si modo verum sit, adsertionem hanc nostram fortiter sustinebit), ipsam mineram, prout a terrae visceribus effoditur, crudam efficacius in morbis subjugandis operari, quam ferrum ignem jam passum et fusione depuratum: cujus rei fides tamen penes auctorem sit, me nondum experto, siccine se res habeat, an vero aliter. Id certo scio, nullum remedium praeclarum atque ἐξαίρετον uspiam gentium fuisse procusum, quod non a natura praecipuas vires acceperit: unde Θεῶν χεῖρας, non vero hominum, praecellentiora quaevis medicamina antiquitas grata compellavit. Quod vero nativa quidpiam bonitate praestans et efficacia mirandos edat effectus, quacumque demum forma ingeratur, testes hic adduco par illud nobile, papaveris lacrymam sive opium, et corticem peruvianum. Neque enim tantum in medicamentis praeparandis medica cernitur peritia, quam in iis seligendis adpropriandisque, quae natura suo igne elaborata atque evecta liberali manu porrigit. Id tantum nobis agendum restat, ut medicamenta in eam formam reducantur, qua vel eorumdem substantia, vel saltem vis et efficacia melius corporibus nostris impertiri queat: cui muneri obeundo facultates nacti sumus plus quam pares. Post chalybis substantiam ejusdem syrupo lubentius, et prae caeteris utor. Fit autem e ferri aut chalybis limatura, in vino rhenano in frigido infusa, usque dum vinum satis impraegnatum fuerit, quo facto liquor colatus cum sacchari quantitate sufficienti in syrupi consistentiam excoquendus est.

Nec mihi solemne est, toto illo spatio, quo aegra chalybeata sumit, catharticum aliquod statis intervallis exhibere, cum tam in genere hysterico, quam hypochondriaco, chalybis vires a cathartico interdici atque infringi mihi videantur. Quando enim id mihi palmarium sit, ut spiritus in ordinem redigam, atque eorum systema redintegrem, firmemque; quod toto vix octiduo resarciveram chalybis ope, cathartico vel lenissimo exhibito die unica rursus demolior; atque ita diruta exstruendo, atque a me exstructa subruendo et aegros et operam ludo vanus et infelix ardelio. Qui quidem mos cum etiam in usu aquarum mineralium obtineat, quae ferri minerae sunt participes, haud mihi dubium est, easdem exinde minus efficaces reddi. Non sum nescius, quosdam fuisse sanatos, catharticis non tantum intercalatis, sed etiam quotidie cum chalybe propinatis; quod tamen non tam medici prudentiam, quam chalybis virtutem ἐνεργητικὴν mihi comprobat, cum, si ea omittantur, breviori temporis spatio curatio succedat.

Neque sane video in aliis adfectibus multis praeter jam dictum, quid emolumenti, sive potius quid non incommodi tam repetita catharticorum exhibitio aegris adferre queat. Quamvis enim haud negandum est, quin intestina ex impuritatibus liberent ea, et pariter e massa sanguinea humores noxios in ea stabulantes aliquantulum extrahant; e contra tamen haud minus certum est, quod frequenter repetita in corporibus imbecillis (maxime vero in aetatibus tenellis) plurimum officiant; cum ex hac προφάσει ingens humorum colluvies in viscera eliciatur, atque iis in partibus deposita fermentationes praeternaturales invitet; ex quibus deinceps tumores in infimo ventre oriuntur, tanto magis indies mole augescentes, quanto saepius aeger purgetur. Atque id demum accidit, ut istae partes prae imbecillitate et caloris nativi (jam sub humorum onere quasi obruti) defectus tabe facile adficiantur ac putrescant. Quandoque etiam, oeconomia viscerum ob caussas jam dictas penitus eversa, glandulae praeternaturales, strumae soboles, et id genus similia mesenterio adcrescunt, et ad mortem viam sternunt. His rationibus adductus tutissimum esse judico, in infantibus

post evacuationes universales, easque perpaucas eo indicationem curativam dirigere, ut confortentur sanguis et viscera. Quod vinum hispanicum vel solum, vel herbis corroborantibus alteratum, efficere potis est, modo mane et sero cochlearia aliquot (pro ratione aetatis aegri) satis diu exhibeantur. Cum vero, quae exterius admoventur, tenera infantium corpora facile penetrent, proindeque sanguinem ipsum qualicumque virtute sua penitus adficiant, e re erit in tumoribus, qui ventrem eorum occupant, sive scrophulis, sive rhachitidi verae originem illi debeant, linimentis uti, quae sanguinem ac viscera corroborandi, ac pariter labem aliquam morbificam iis inductam delendi vi pollent. Ut Rec. Fol. Absinth. vulg. Centaur. min. Marrub. alb. Chamaedr. Chamaepit. Scordii, Calaminth. vulg. Parthenii, Saxifrag. pratens. Hyperic. Virgae aur. Serpill. Menth. Salviae, Rutae, Card bened. Puleg. Abrotan. Chamomel. Tanacet. Lilior. Convall. (omnium rec. collectorum et incisorum) aa. m. j. Axungiae porcinae libr. iv. Sevi ovini, et Vini Clareti aa. libr. duas. Macerentur in olla fictili, super cineres calidos per horas xvj. Deinde ebulliant ad humiditatis consumtionem, et postea colentur, ut fiat unguentum, quo venter ac hypochondria illinantur, mane et sero, per 30. vel 40. dies continuas, uti etiam axillae utraeque. Quoad rhachitidem autem hoc notandum, quod in tumoribus istis, qui ventres infantium post longas intermittentes febres infestarent, verae rhachitidi non multum abludentes, repetita catharsis omnino videretur indicari; cum ante usum corticis peruviani istae febres in diuturnitatem longam se extenderent, ac proinde sedimentum deponerent, hujusmodi tumorum caussam, quae ideo non nisi purgatione repetita abigi poterat. Attamen in rhachitide vera cathartica locum non habent, nisi ut semel vel bis ad plurimum aeger purgandus, antequam usum alterantium adgrediatur. Per totum autem tempus, quo partes illinuntur, intus adsumat vel vinum modo dictum, vel, si fieri possit, pro potu omni bibat cerevisiam, in qua quantitas sufficiens herbarum praedictarum, vel earum saltem aliquam multarum una in dolio inclusa fuerit. Denique hoc, quod innui, diligenter advertendum volo, cum non

paucos infantes atque pueros a catharticis saepe repetitis (quae forte ventris tumor invitaverat) interemptos fuisse satis sciam. Sed haec obiter.

Si quis objecerit, limaturam chalybis, nisi aeger subinde fuerit expurgatus, in visceribus haerentem ei, qui illam devoraverit, nocere posse; respondeo primum, me nihil umquam tale in quoquam deprehendisse; deinde longe verisimilius esse, eamdem muco, et excrementitiis partium humoribus involutam una cum istis tandem omnem elabi, quam medicamentis purgantibus exagitatam, quae adstrictiones insolitas et viscerum torsiones contractionesque adferunt; qua quidem compressione chalybis particulae, viscerum tunicis impactae, in iisdem penitius defigi possunt.

Interea dum chalybs administratur (ad confortandum scilicet sanguinem et spiritus animales), remedia, vulgo dicta hysterica, in usum quasi obiter revocanda sunt, idque eo modo atque ea forma, qua maxime conveniunt aegris; quae quidem si in forma solida fuerint deglutita a minus fastidiosis, potentius longe spiritus in officio et loco suo retinebunt, quam si in liquida hauriantur, hoc est, sive decocta, sive infusa. Ipsa enim substantia ventriculum diutius sapore suo adficit, et corpus inficit penitius.

In summa indicationibus, quas supra attigi, universis satisfacturus, paucula haec et vulgaria praescribere soleo; quae licet nihil magnifici prae se ferant, utplurimum tamen id praestant, quod volo.

Mittatur sanguis e brachio dextro ad unc. viij.

Rec. Galban. in tinctura Castor. solut. et colat. uncias tres. Tacamahac. drachm. duas. F. Emplast. umbilico admovendum.

Sequenti mane adgrediatur usum sequentium pilularum.

Rec. Pilul. Coch. maj. scrup. duos Castor. pulv. gr. duo, Balsam. peruv. gutt. iv. F. Pilulae n. iv. Cap. hora quinta matutina superdormiendo. Repetantur per duas vel tres alias vices, idque singulis vel alternis auroris, pro ratione virium aut operationis.

Rec. Aq. Ceras. nigr., Rutae, et Bryon. comp.

aa. unc. tres; Castor. in nodulo ligat. et in vitro suspens. drachm. sem. Sacchar. crystall. q. s. F. Julapium, de quo capiat cochlearia iv. vel v. in omni languore; instillando primae dosi, modo paroxysmus urgeat, spir. C. C. gutt. xx.

Post pilulas purgantes modo supra descripto sumtas utatur et sequentibus:

Rec. Limatur. Chalyb. gr. viij. cum. s. q. extracti Absinth. F. Pilulae n. duo; sumat summo mane; repetanturque hora quinta pomeridiana, per dies xxx. superbibendo haustum Vini Absinthitis.

Vel pro usu quotidiano, Rec. Limatur. Chalyb. et extract. Absinth. aa. unc. iv. Massa asservetur pro usu. Capiat iisdem temporibus gr. xvj. vel scrup. un. in Pilulas tres redacta.

Vel si forma boli magis adrideat, Rec. Conserv. Absinth. roman. et Conserv. flaved. Aurantior. aa. unc. un. Angelic. condit. Nucis moschat. condit. et Theriac. Andromach. aa. unc. sem. Zinzib. condit. drachm. duas cum s. q. syrup. Aurantior. F. Electuarium. Rec. Electuarii praescript. drachm. un. sem. Limaturae Chalybis probe triti gr. viij. cum s. q. syrup. Aurantior. F. Bolus, sumendus mane, et hora quinta pomeridiana, superbibendo haustum Vini Absinthitis.

Rec. Myrrh. elect. et Galban. aa. drachm. un. sem. Castor. gr. xv. Asae foet. scrup. sem. cum s. q. Balsami Peruv. F. Pilulae, e singulis drachmis xij. sumat. tres singulis noctibus, superbibendo Aq. Bryon. comp. cochlear. tria, vel iv. per totum decursum hujus processus.

Sin autem pilulae ultimo praescriptae ventrem moverint, quod in corporibus, quae facillime purgantur, prae gummi, quae insunt, quandoque fit; tum sequentes substituantur.

Rec. Castor. drachm. un. Sal. Succini volatil. drachm. sem. cum s. q. extract. Rutae F. Pilulae exiguae, numero xxiv. Cap. tres singulis noctibus.

Hic autem observandum, quod chalybeata, in quacumque forma aut dosi exhibeantur, feminis quandoque magnas tum animi, tum corporis perturbationes inducant, idque non solum primis diebus (quod fere omnibus solemne est), sed etiam per totum tempus, quo illis utuntur; in hoc casu

non statim chalybis usus dictis temporibus interrumpendus; sed quo melius eumdem ferre poterint, Laudanum aqua aliqua hysterica mistum singulis noctibus ad tempus aliquod propinandum.

At ubi symptomata mitiora sunt, et res sine ferro introsumto transigi posse videatur (in minore scil. morbo), satis habeo sanguinem mittere, atque alvum solvere ad dies tres quatuorve, ut supra diximus: dein pilulas hystericas alterantes praememoratas mane et sero per x. dies capiendas imperare. Quae quidem methodus in adfectu leviore raro a scopo aberrat. Immo pilulae istae solae, vel omissis phlebotomia et catharsi, saepe magnos effectus edunt.

Serio interim animadvertendum est, nonnullas feminas idiosyncrasia quadam ab hystericis illis medicamentis (quae plerisque hujus morbi symptomatis levamen adferunt et solatium) ita penitus abhorrere, ut non solum non juventur, sed etiam insigniter ab eorum usu laedantur. In his itaque omnino sunt omittenda ista: *φύσεως γὰρ ἀντιπραττούσης*, ut divinus senex, *κενεὰ πάντα*. Invita Minerva nihil quidquam moliendum.

Quae quidem idiosyncrasia adeo insignis ac frequens est, quod, respectu ad eam non habito, aegrae in discrimen vitae conjici possint; idque non solum quoad hysterica, sed quoad multa remedia alia: cujus in praesentiarum instantiam unicam adferam. Feminae nonnullae, variolis laborantes, syrupi e Meconio usum ferre non possunt, utpote a quo vertigines, vomituritiones, et id genus symptomata ad adfectus hystericos pertinentia accersantur, quibus tamen Laudanum liquidum apprime conveniat. Quod et, dum haec scriberem, in adolescentula nobili observavi, cui variolis laboranti cum sexta ac septima nocte syrupum dictum exhibuissem, symptomata prius memorata singula exhibitione ei ingruebant, neque pustularum inflammatio debito modo procedebat; sed cum in posterum Laudano uteretur, a symptomatis dictis prorsus immunis erat; faciei tumore ac pustulis indies augescentibus, et, quod non minus laeti ominis erat, anxietas ista, cum inquietudine quadam tam mentis quam corporis (quae quasi paroxysmus variolarum solet esse) prorsus tolleretur,

quoties paregoricum hoc propinabatur, aegra mox vires atque animum exinde recipiente. Hoc obiter.

Atque ita hysterici adfectus quoad plurimum sanantur, ut et pleraeque mulierum, quas appellant, obstructiones; at prae caeteris chlorosis seu pallidi virginum colores uti etiam mensium suppressiones qualescumque.

Attamen si sanguis usque adeo effoetus fuerit, tantaque proinde spirituum ἀταξία, ut chalybs, praescripta methodo usurpatus, malo vincendo par non sit, adeundae aquae minerales aliquae, ferri minera saturatae, quales sunt nostrae Tunbrigienses, aut aliae nuper repertae. Harum enim virtus chalybeata, tum ob insignem quantitatem, qua hauriuntur, tum etiam ob earumdem cum natura convenientiam, intimius sanguini permiscetur, et potentius morbos expugnat, quam ferrum quocumque demum artificio nobilitatum, ut volunt ciniflones imprudentiores.

Hoc autem prae caeteris inter bibendum observandum; si aegritudo quaevis ad symptomata adfectionis hystericae referenda accidat, hoc in casu per diem unum alterumve aeger aquis absistat, donec symptoma illud transitum aquarum alias impediturum penitus abeat. Etenim tametsi hae aquae humoribus agitandis, ac proinde spiritus confusioni inducendae minus aptae natae sint, quam cathartica vel lenissima ex officinis depromta, aliquantulum tamen idem praestant, quatenus scilicet diureticae sunt; ut taceam, quod saepe etiam ventrem movent. Quod si ipsae aquae humores ac spiritus exagitando turbandoque aditum sibimet ipsis praecludant, quo minus facile transeant, videant illi, quam importune agunt, qui medicamenta purgativa per harum usum imperant, semel aut bis in septimana adsumenda, vel, quod adhuc ineptius, ipsis aquis immiscenda praecipiunt; unde fit tam in his, quam in aliis aquis mineralibus, ut non solum non promptius, sed et plane tardius, ac difficilius eaedem operentur.

Hic mihi non reticendum, quod tametsi his aquis ferrum inesse in principiis solutis nonnullis videatur (quod idem plane est ac si ferrum liquidum supponamus), nullus tamen dubito, quin eaedem nonnisi simplices aquae exstant virtute minerae, per quam transeunt, impraegnatae ac infectae. Quod

cuipiam liquido constabit, si aquae communis congiis aliquot satis magnam vim clavorum veterum, ex calceis equinis extractorum infuderit. Sentiet scilicet, aquam hanc, cui pulvis gallarum, fol. thee vel similia fuerint immista, eodem plane colore infici, ac si aqua esset fontis mineralis. Neque sane diversos effectus hae aquae sive artificiales, sive inartificiales (utrum enim mavult quis, adpellet) epotae edent, modo tempore aestivo atque aëre salubri adsumantur.

Sed utut hoc sit, si ob contumaciam ejus hic adfectus ferreis aquis minus cedat, adeundae sunt aquae calidae sulphureae, quales sunt nostrae Bathonienses; atque aegra, postquam tribus auroris continuis eas intus adsumserit, sequenti die balneum ingrediatur, et postero die iterum eas bibat; idem faciendo alternatim per duos menses integros. Etenim tam in his quam aliis, cujuscumque demum generis sint, hoc sedulo notandum, quod in earum usu eousque aegrae persistendum, donec non tantum levamen aliquale sentiat, sed, quo minus symptomata omnia brevi postliminio revertant, donec omnino convalescat.

Theriaca Andromachi, vel sola, si crebro diuque usurpetur, magnum est in hoc morbo remedium. Neque vero in hoc solo, sed in aliis quamplurimis a caloris, et concoctionis, sive digestionis defectu ortis, omnium forte potentissimum, quae hactenus nobis innotuere, utut a plerisque fastidiatur, quod et pervulgata sit, et a tot jam seculis cognita.

Vina hispanica gentiana, angelica, absinthio, centaureo, corticum aurantiorum flavedine, aliisque corroborantibus infusis medicata, si ad aliquot cochlearia ter in die potentur, admodum conferunt, modo aegra tenui non fuerit biliosoque corporis habitu. Profecto vel vini hispanici simplicis liberalior haustus hora somni, aliquot noctibus meo suasu propinatus, hystericis nonnullis perquam salutaris fuit, cum ex eo robustior universi corporis habitus redderetur, ipsaeque adeo feminae e cachecticis vividae simul ac vegetae fierent.

Adhaec peruvianus cortex eximias mirandasque vires in sanguine, et spiritibus confortandis invigorandisque habere nonnumquam deprehenditur, cu-

jus scrupulum unum, mane et sero ad septimanas aliquot deglutitum, sanam firmamque corporis crasin (tam viris hypochondriacis, quam hystericis feminis, diu multumque aegrotantibus, dejectaque jam quasi corporis oeconomia) restituisse, ipse observavi. In nullo hystericorum adfectuum genere felicius succedit, quam in illo, quo spasmis adficiuntur feminae, nixus edentes fortissimos et plusquam muliebres, pectora simul ferientes. Interim tamen confitendum est, quod hoc medicamentum non ita certo crebroque huic malo succurrat, ac febribus intermittentibus. Quamvis vero (ut id obiter dicam) in harum curatione egregia praestet, ne dicam miracula, dictus cortex, atque eodem tum ipsi nos libenter utamur, tum uxoribus liberisque usurpandum imperemus, quoties res postulet; sunt tamen, quibus haud minus jam displicet, quod tam certo subitoque morbos expugnet, quam olim displicebat, quod non nisi nuper his terrarum oris innotuerat. Quo quidem fato tum optimi quique viri, tum etiam praestantissima quaeque ac δραστικώτατα remedia semper fere urgentur. Verumtamen ad hanc notam, seu Lydium lapidem, indolem nostram licet adductam experiri, atque exinde dignoscere, hominesne boni simus, an vero probrosi; pro gradu scilicet, quo vel exultamus, vel dolemus ac ringimur, quoties publica res hominum communi aliquo beneficio, numinis favore, augetur.

Si quae vero ex remediis supra recensitis minus conveniant, quod temperamento bilioso ac tenui praeditis saepe accidit, tunc diaeta lactea posset usurpari. Etenim mulieres aliquot (quod prima statim fronte mirabitur quis) cum adfectibus hystericis diu conflictatae etiam iis, qui omnes medicorum conatus spreverant eluserantque, tandem lacte solo aliquamdiu vescentes convaluere. Atque illae quidem maxime, quae ea specie laborabant, quam ego colicam hystericam adpello quae non nisi a narcoticis potuit deliniri; quibus itaque per intervalla repetendis multum adsueverant hae feminae, dolore recrudescente, ut primum emarcuerit anodyni virtus. Id vero in hac curandi methodo praecipue mirandum, quod cum lac frigidum tantum crudumque alimentum praebeat, spiritus nihilominus ejus usu corrobo-

rentur invigorenturque. Nec tamen hoc a ratione abhorrere illis videbitur, qui secum reputaverint, lac, cum simplex omnino nutrimentum suppeditet, naturae minus in coquendo negotium facessere, secus ac solent cibi ac liquores magis compositi; quodque perfectissimam illam concoctionem aequalis sanguinis spirituumque crasis necessario sequatur. Illud etiam est animadvertendum, quod non nuda spirituum debilitas per se considerata, sed eorumdem debilitas ad sanguinis statum comparatorum ἀταξίας, quam patiuntur, caussa sit. Fieri enim potest, ut infanti spiritus satis firmi robustique sint pro sanguinis ratione, qui tamen debitam ad sanguinem adulti hominis proportionem non teneant. Jam vero cum ex jugi lactis usu et diaeta, quantumvis illa sit cruda atque invalida, sanguis mollior et tenerior evadat, si spiritus ab eo nati sanguini pares tantum sint, satis bene se res habet. Non omnibus tamen contingit, quantumlibet a lacte alias juvari potuerint, ea incommoda superare posse, quae primis fere diebus adportat, quod nempe tum in ventriculo coaguletur, tum etiam viribus corporis in statu conservandis sustentandisque minus sufficiat.

At vero nihil ex omnibus, quae mihi hactenus innotuere, adeo impense sanguinem spiritusque fovet firmatque, ac diu multumque singulis fere diebus equo vehi. Cum enim in hac gymnasticae specie impetus ferme omnis in ventrem inferiorem fit, in quo vasa excretoria (quotquot faeculentiis, in sanguinis massa stabulantibus, educendis a natura instituuntur) sita sint: quae tanta functionum perversio, aliave organorum naturalis impotentia vel fingi potest, cui tot succussationum millia eodem die ingeminata idque sub dio opem non attulerint? Cujus calidum innatum usque adeo deferbuerit, ut hoc motu non excitetur et denuo effervescat? Quae vero sive praeternaturalis substantia, sive succus depravatus in aliquo harum partium sinu recondi potest, qui non hoc corporis exercitio vel in statum naturae consentaneum perducatur, vel quaquaversum dissipetur elimineturque? Quid, quod sanguis perpetuo hoc motu indesinenter exagitatus ac permistus quasi renovatur ac vigescit. Quae quidem methodus licet

feminis vitae desidi atque imbelli adsuetis minus accommoda sit, utpote quae a motu, maxime in principio, possint laedi, viris tamen est aptissima, et sanitatem prae caeteris conciliat.

Nostrorum quidem in sacris antistes, vir prudentia atque eruditione celeberrimus, postquam diu studiis intemperantius incubuerat, omnesque animi, qui permagnus ei est atque excelsus, nervos seriis cogitationibus nimio opere intenderat, tandem in adfectum hypochondriacum incidit; quo diutius lacessente omnia corporis fermenta erant vitiata, concoctionesque penitus subversae. Medicamentorum chalybeatorum taedium plus semel devoraverat: aquas minerales fere omnes cum catharsi saepe repetita fuerat expertus, uti etiam antiscorbutica omnium generum, pulveresque testaceos quamplurimos, sanguinis edulcorationem promittentes. Ita partim morbo, partim medicatione per tot annos continuata tantum non fractus diarrhoea colliquativa (quae in tabe, aliisque morbis chronicis, ubi omnes omnino digestiones sunt prostratae, mortem anteire solet) demum corripiebatur. Ubi me tandem consuleret, statim mecum reputavi, pharmacis nullum amplius locum relinqui, cum tot tantaque nullo cum fructu jam deglutiverat. Suadebam itaque ob caussas supra memoratas, ut statim se equo vehendum curandumque traderet; modico primum itinere, quale ferre possit valetudo ita infirma, ut, nisi judicio valuisset rerum interiora altius penetrante, nec ad tentandum quidem illud exercitii genus potuisset adduci. Rogabam autem, ut quotidie in eo persisteret, donec ex animi sententia convalesceret; majora indies spatia gradatim conficiens, donec tandem ad tot milliaria adscenderet, quot uno die percurrunt prudentiores ac moderati viatores, qui iter longiusculum negotii alicujus gratia susceperunt; nullo interim sive ad cibos, sive potum, sive etiam aëris temperiem respectu habito, sed ad instar itinerantis omnia, prout sors dederit, exciperet. Ne longior sim, hanc ille viam incessit, productis gradatim itinerum spatiis, donec tandem ad vicesimum, immo ad tricesimum usque lapidem quotidie vectaretur: cumque se longe melius habere post pauculos dies experiretur, ipso rei eventu pene mirabili animatus, in

eodem cursu ad menses aliquam multos perseverabat; quo temporis spatio plura milliarium millia, quod ipse mihi narrabat, emensus est; donec tandem non convaluerit modo, sed satis validum etiam vegetumque corporis habitum fuerit adeptus.

Neque magis hypochondriacis prodest hoc exercitii genus, quam tabidis phthisicisque, quorum nonnulli mihi sanguine juncti, multum terrarum equo vectore peragrantes ex meo consilio sanitati sunt restituti; cum certo sciam, me vel medicamentis quamtivis pretii, aut alia methodo, quaecumque demum ea fuerit, nihil magis iisdem proficere potuisse, quam si multis verbis hortatus fueram, ut recte valerent. Neque in levioribus tantum malis, crebra tussi et macie stipatis, id remedium obtinuit, sed et in tabe tantum non deplorata, ubi nocturnis sudoribus jam etiam accesserat diarrhoea ista superius dicta, quae phthisi confectis mortis praenuntia solet esse, atque adeo utplurimum ultima rerum linea. Verbo dicam. Quantumcumque exitialis phthisis et sit et audiat, utpote qua intereunt duo fere trientes eorum, quos morbi chronici jugulant, hoc tamen sancte adsero, quod neque Mercurius in lue venerea, neque cortex peruvianus in intermittentibus efficaciores exstent, quam in phthisi curanda exercitium jam laudatum; modo aeger curet, ut linteamina lecti probe fuerint arefacta, atque etiam ut satis longa itinera emetiatur. Attamen hoc notandum, quod vitae ἀχμὴν praetergressis multo diutius in hoc exercitio persistendum, quam infra istam aetatem positis. Atque hoc multiplici experientia, quae vix me fefellit umquam, didici: et licet equo vehi phthisicis praecipue conferat, tamen et itinera curru facta mirandos sane effectus quandoque ediderunt.

Sed ut ad propositum revertar. Haec est generalis hujusce morbi curandi ratio, qua caussae originariae, quae est debilior sanguinis crasis, occurritur; ac proinde extra paroxysmum tantum locum habet. Quoties vero paroxysmus invaserit adjuncto quolibet ex praedictis symptomate, si tale aut tantum sit malum, ut inducias ferre nolit, donec sanguine et spiritibus corroboratis quasi per ambages sanari possit, confestim ad remedia hysterica ista confugiendum est, quae odore viroso ac gravi spiritus, ut dixi,

exorbitantes ac desertores in proprias stationes remandant sive intra corpus sumantur, sive naribus admoveantur odoranda, sive exterius adplicentur; cujusmodi sunt asa foetida, galbanum, castoreum, spiritus salis ammoniaci, et quidquid est denique, quod odorem tetrum admodum ingratumque spirat.

Hic enim quod res est dicam. Quaecumque foetent, ea omnia intentioni huic apprime inserviunt, sive natura, sive etiam ars ea putido odore donavit. Atque, ni fallor, spiritus C. C. sanguinis humani, urinae, ossium, ac similium inde praecipuas suas vires adquirunt, quod, dum vi ignis praeparentur, empyreuma contrahant tetrum ac male olens, quasi essentiae eorum intimius annexum. Quod pariter cernitur in fumis a corio, pennis, et id genus animalium partibus, cum exuruntur, exhalantibus. Etenim id habent commune singulae animalium substantiae, ut inter exurendum fumum emittant olidum et olfactui ingratum, qui si importuno igne affatim eliciatur, ac organis excipiatur, condensatus is in liquores istos abit ac convertitur, qui spirituum volatilium nomine insigniuntur, quique facultates eas facile reportant, quae subjectis suis haud primitus inerat; utpote qui ignis solummodo creaturae existunt, et singuli eorum eamdem plane virtutem cum caeteris nanciscuntur, ex quacumque demum substantia (modo animalis ea sit) procudantur extrahanturve.

Proximo loco animadvertendum est; quod si paroxysmum comitetur dolor aliquis intolerabilis in quacumque demum parte, aut vomitio enormior, aut etiam diarrhoea, tunc praeter hysterica jam laudata Laudanum in usum revocari debet, quod solum vires habet his symptomatis cohibendis prorsus pares.

At vero in iis doloribus sedandis, qui vomitiones excitant, cavendum est sedulo, ne illi sive laudano, sive alio paregorico mitigentur, non praemissis debitis evacuationibus, nisi patientiam fere humanam omnem vicerint. Primum quia tanta nonnumquam sanguinis et humorum copia est adgesta (maxime in feminis sanguineo, et masculis propriore habitu praeditis), quanta narcotici vel efficacissimi, ejusque saepius repetiti operationem valeat sufflaminare. Unde in talibus sanguis e brachii venis ne-

cessario est extrahendus, et cathartieum eis propinandum est, antequam ad Laudani usum accedamus; his enim rite peractis, quod prius vel in maxima dosi exhibitum nihil proficiebat, jam in dosi mediocri scopum attinget. Deinde quia multiplici experientia edocti sumus, quod quoties aegra paulatim Laudano adsueverit, non praemissa evacuatione debita necesse habuit, ob dolorem mox ab evanescente remedii virtute denuo revertentem, paregoricum rursus ingerere, idque quotidie ad annos aliquot continuos, dosi subinde per gradus aucta; ita ut nullo modo jam a Laudano abstinere queat, licet omnes ab illo digestiones vitientur et functiones naturales debilitentur. Quamvis non sentiam laudani usum sive cerebro, sive nervis, sive facultatibus animalibus immediate nocere. Judico ita ego, quod expertus loquor, evacuantia anodynis debere praemitti: v. g. viraginibus et feminis, in quibus sanguis praedominatur, vena secanda est, et alvus subducenda: praesertim si non jam a longo tempore paroxysmo fuerint correptae. Si vero feminae debiliores, et quae temperamenti a prioribus illis plane diversi sunt, hujuscemodi paroxysmo et dolore adfligantur, atque eodem subinde haud ita pridem laboraverint, sufficiet eorum ventriculos congio uno plus minus lactis cerevisiati hausto, et mox per vomitum rejecto detergere; dein largam dosin imperare sive Theriacae Andromachi, sive electuarii orvietani, et cochlearia aliquot liquoris alicujus spirituosi et gustui non ingrati cum paucis Laudani liquidi guttulis superbibenda.

Quod si aegra jampridem vomuerit, antequam accerseretur medicus, et metus sit, ne, si emeticis ulterius sollicitetur, in furorem agantur spiritus, et aegrae vires nimium dejiciantur; hoc in casu Laudanum sine mora propinari debet eo dosis modo numeroque, quae symptomatis magnitudinem, ac durationem non tantum exaequare possit, sed et vincere.

Duo autem hic prae caeteris diligenter sunt notanda. Primo, quod, cum semel post evacuationes justas et necessarias Laudano uti coeperimus, ea dosi, atque illa toties repetita sumendum est istud pharmacum, donec symptoma omnino fuerit debella-

tum; interjecto tantum spatiolo inter singulas doses, ut, quid prior praestiterit, ante noscamus, quam alteram repetamus. Sed de hoc fusius alibi egimus. Deinceps dum Laudano morbum adgredimur, nihil prorsus movendum est, nihil evacuandum; cum vel mitissimum illud enema e lacte saccharato possit destruere, quidquid reparaverat paregoricum, et tam dolorem quam vomitionem postliminio revocare.

Utut vero dolores, quod jam innuimus, supra memorati importuni sint in anodyno efflagitando, tamen vomitiones enormes, et dosin ejusdem longe maximam, et saepissime repetitam indicant, cum ab inverso motu ventriculi peristaltico (quo in eo contenta versus inferiora erant protrudenda) remedium paregoricum prius eliminetur per oesophagum, quam opis aliquid adferre queat, nisi post singulas vomitiones narcoticum de novo toties quoties iteretur, idque in forma potissimum solida; aut si in liquida detur, vehiculum ita parcum esse debet, ut ventriculum imbuat tantum, et prae materiae inopia ab illo sursum evehi nequeat; v. g. guttae aliquot in cochleari uno Aq. Cinnamoni fortioris, aut similis. Monenda interim est aegra, ut statim ab adsumto conquiescat, ac caput praesertim, quantum fieri potest, immotum teneat; quando vel levissimus capitis motus prae caeteris omnibus, vomitionem provocet, unde medicamenti modo deglutiti jactura fit. Quinimmo etiam cessante et quasi perdomita vomituritione, expedit anodyno ad pauculos dies mane et sero exhibito, ceu injecto fraeno recidivam praecavere. Quod itidem post dolorem hystericum narcotico sedatum, aut diarrhoeam omnino observari debet.

Atque ita demum, methodo jam tradita, et dolori et vomitioni symptomaticis mederi in promptu est; a quibus, cum aliorum persaepe morborum speciem prae se ferant, medicis facilius imponitur, quam ab aliis quibuslibet symptomatis, quotquot manum medicam deposcunt, de quo pauca subjungam. v. gr. In ista hystericae adfectionis specie jam descripta, quae paroxysmum nephriticum imitatur, quis non videt, quanta sit paritas morbi utriusque et similitudo, tum quod pars eadem utrobique doleat, tum quod in utroque adfectu vomituriant aegrae; cum tamen a caussis ita ab invicem variantibus pen-

deant, et tam impari methodo debeant sanari, ut quod in hoc laedat, in illo juvet, et e contra? Si enim sive calculus, sive arenulae renum substantiam atterentes dolorem inferant, atque ex partium consensu vomitionem, nihil aeque conducet ac praelarga, et frequens caussae antecedentis per phlebotomiam revulsio, tum ut dilatentur, laxenturque meatus, per quos calculus excludendus est, enematis emollientibus saepenumero repetitis, aliisque ejus generis remediis internis, quibus medicamenta diuretica et lithontriptica addenda sunt. Jam si dicta symptomata a calculo nullatenus oriantur, sed a spiritibus animalibus nimia copia renes impetentibus (quo in casu paregorica tantum indicantur, nec vel enema e mitioribus post primas evacuationes sine periculo injicitur), in quanto vitae discrimine versetur infelix ista, de cujus jam corio luditur, non opus est dicere. Idem potest adfirmari de adfectu illo hysterico, qui colicam biliosam, vel iliacam passionem simulat. Hic ubi pro concesso habeatur, adfectum istum (licet indolis omnino sit diversae, immo contrariae) colicam biliosam esse, et ab humore acri in viscera per arteriarum mesentericarum oscula excreto nasci (in quem errorem dolor intolerabilis, et viridis color, qui in materia cernitur, tam per os quam per sedem expulsa, medicum incautiorem et cogitationibus minus adsuetum haud aegre perducant), quae methodus tam commoda, quam ut in contemperanda, remediorum refrigerantium atque incrassantium ope, humorum acrimonia operam locemus, atque quo humores e visceribus exterminentur, praeter enemata quotidiana, ut cathartica frequenter propinemus; inter caetera vero etiam Mercurium dulcem dacrydiatis permixtum ad pleniorem materiae morbificae eradicationem. Quam male autem cum aegris agatur, quantumque eis periculum immineat, dum huic methodo insistamus, si adfectus, qui colica biliosa censetur, re ipsa hystericus tantum fuerit, aut hypochondriacus, nemini non liquet: cum clamet experientia, quod post primas evacuationes universales (quae humorum putrescentium, quos peperit *ἀταξία* jam saepe dicta, quique anodynis obstaculo esse possint, saburrae amoliendae dicantur) nihil jam restat, nisi ut tumultuantes spiritus consopiamus, donec tandem

symptomata evanuerint, atque iis cessantibus opportune chalybeata imperemus; vel si quod aliud est remedium, quod sanguinem accendendo atque invigorando morbum radicitus exstirpet. Meum non est, plurimas atque ingentes illas calamitates enumerare, quas feminis contigisse ipse novi, ubi colica haec hysterica a bile ortum ducere existimaretur. Verumtamen adfirmo evacuationes saepe repetitas, quae quidem in colica biliosa omnino indicantur, dolorem vomitumque non solum non compescere, sed irritare magis spirituum scilicet perturbationem, quae vera horum symptomatum caussa est, promovendo. Tandemque malum ad menses aliquot prolongatum, metathesi derepente in cerebrum facta, desinit in spasmos, a quibus aegra brevi e medio tollitur; idque vel maxime, ubi post alias evacuationes diutius repetitas, suadente colore viridi eorum, quae per os e ventriculo excernuntur, emeticum fuerit propinatum. Verbo dicam. Si quid ego observando didici, inprimis cavendum est, ne symptomata feminis hystericis familiaria ab aliis, quos saepe aemulantur, morbis diagnosi errante putentur oriri.

Hic non est reticendum, quod praeter errores jam recensitos, a quibus feminae adfectibus hystericis obnoxiae de vita periclitantur, permultae insuper, errore non minus funesto, dictis adfectibus multantur ea tempestate, qua hic morbus, licet sua natura non sit letalis, tamen vi malorum *ἐπιγινομένων*, ac subsequentium haud paucas e medio tollat. Exempli gratia: femina teneriori atque infirmo corporis habitu infantem parit, cui omnia feliciter et secundum naturam cedunt: obstetrix, sive rudis et imperita, sive jactabunda, et quam praeclare suo illa munere functa sit palam ostentans, suadet, ut puerpera paucis a partu diebus surgat, et se a lecto aliquamdiu abstineat; haec morem gerens, statim a primo corporis motu adfectione hysterica corripitur, et pro ratione, qua morbus inaugescit, lochia primum imminuuntur, deinde sistuntur penitus, quorum suppressionem praematuram longa symptomatum series excipit: quae, nisi permagna tam diligentia, quam in medendo peritia intercedat, aegram brevi perimunt. Nonnumquam enim phrenesi laborant ex

hac occasione, quae indies efferatior reddita spasmos primum, dein mortem adfert. Si vero mortem evadant, mitius aliquantulum insaniunt, quandoque ad ultimum vitae terminum. Nonnumquam post lochiorum suppressionem in febrem incidunt, quae vel in earum, quae tum grassantur, epidemiarum castra transit, vel ab ea sola pendet origine. Adde quod iidem adfectus hysterici, quibus lochiorum suppressio inprimis debetur, jam magis saeviunt, tamquam ex se denuo nati. Diu est, a quo mihi subiit in mentem, quod ex eis, quae moriuntur, puerperis vix decima quaeque, ut modeste computemus, vel ex eo perit, quod vires partui necessariae eam defecerint, vel ex doloribus partum laboriosiorem comitantibus; at eo maxime nomine, quod debito citius lecto exsurgat, excitatis a motu illo paroxysmis hystericis, a quibus cum sistantur lochia, mox ingens ineluctabilium symptomatum turba ingruit. Quamobrem istis, quae me audiunt, ubique auctor sum, ut ad diem saltem decimum usque in lecto se contineant, si modo natura paulo debiliores sint; praecipue si vaporibus, qui vulgo dicuntur, jampridem fuerint tentatae. Praeterquam enim, quod ista, qua in lecto fruuntur, quies a malis jam toties commemoratis eas immunes praestet, non interruptus lecti calor spiritus pariter reficit, tum a pariendi doloribus, tum ab evacuationibus in hoc casu solemnibus exhaustos fractosque; quinimmo et naturae suppetias fert, atque omnes, quas gestationis tempore mulier congesserat, cruditates digerit et amolitur.

Verum, si ab admisso hoc errore quodvis e dictis symptomatis supervenerit, indicationes curativae eo dirigendae sunt, ut spiritus, ab hoc motu jam irrequieti redditi sedentur et ut lochia rursus fluant; quandoquidem eorumdem suppressio horum symptomatum caussa sit proxima atque immediata. Neque tamen huic methodo pertinacius insistendum, sed exhibitis aliquamdiu remediis, quae in hoc casu cum successu usurpari solent, si votis ea non respondeant, religiose ab iis temperandum est; cum neque fortiora hic locum habeant, neque in mitiorum usu perseverare debeamus, propter attritas et fere prostratas puerperarum ita adfectarum vires. Exempli gratia, ubi primum lochia jam supprimi constat, e

re fuerit, feminam e vestigio lecto addicere, mox emplastrum hystericum umbilico admovere, atque quamprimum electuarium sequens propinandum imperare. Ut Rec. Conserv. Absinth. roman. et Rutae aa. unc. un. Trochisc. e Myrrha drachm. duas Castor. Croci angl. Sal. volatil. salis Ammoniaci, et Asae foetidae aa. drachm. sem. cum s. q. Syr. de 5 radicibus F. Electuar. Cap. ad magnitudinem nucis moschat. majoris, tertia quaque hora, superbibendo seq. Julapii cochl. iv. vel v. Rec. Aq. Rutae, Bryon. comp. aa. unc. tres, Sacchar. cand. q. s. M. F. Julap. Atque haec, si statim a primo suppressionis indicio exhibeantur, hoc malum plerumque devincent. Sin autem dictis remediis eousque continuatis, donec tota quantitas adsumta fuerit, lochia adhuc supprimantur; hoc in casu Laudanum, una saltem vice, tentandum. Quod quantumlibet suapte indole adstringat, cum tamen spirituum perturbationem, a qua solemnis lochiorum evacuatio fuerat interrupta, compescat, quandoque plurimum juvare, et, emmenagogis nihil proficientibus, lochiorum fluxum postliminio revocare possit. Commodissime vero narcotica una cum hystericis et emmenagogis propinantur; v. g. Laudani liquidi guttae xiv. in aqua Bryoniae composita; vel Laudani in forma solida granum unum et semis, cum scrupulo dimidio Asae foetidae, in pilulas duas redactum. Sedulo interim animadvertendum est, quod si telo hoc semel misso scopum non attingamus, nec sequantur lochia, opium nullo modo est repetendum, ut in aliis casibus fieri solet ac debet. Etenim si reiteretur hic paregoricum, lochia ita potenter sistet, ut ea nulla deinceps arte provocari queant. Verum enim vero, si et hoc minus succedat (interjecto aliquo temporis spatio, quo certiores simus, quid istud praestiterit), ad medicamenta iterum ἐμμηναγωγὰ, hystericis permixta, redeundum est, et dein ad enematis ex lacte saccharato injectionem. Verum quod de Opio supra, hic de enematis dicendum est; nisi enim primo injectum lochia educat, nihil prorsus a pluribus est sperandum: cum unum humores leniter sollicitando, ut fluant lochia, efficere possit, plura vero eadem alio divertant. His itaque peractis (quae tamen leviter tangenda sunt), tutissimum est, et prudentis medici offi-

cium, temporis συμμαχίαν praestolari; cum singulo quoque die curationis negotium magis magisque extra aleam ponatur, et si aegra vicesimum diem superaverit, jam fere in vado est. Etenim cum a morbo, quisquis is fuerit, jam diuturniori femina aliquantisper respiraverit, viresque quadamtenus receperit, eam methodum valebit ferre, quae aptissima videbitur isti malo averruncando, quod a lochiorum suppressione adcreverat: quando remedia obstinatius ingesta, primis ne hilum promoventibus, tum ipsum morbum, tum etiam spirituum perturbationem, a qua morbus oritur, augere possint; quod sedulo advertendum velim.

Nuper matrona, tam natalibus quam moribus honestis ac probis, me sibi medicum volebat: huic ex modo dicta occasione statim a partu paroxysmis hystericis adfectae, lochia penitus defecerant. Conabar medicamentis supra memoratis eadem proritare; at frustra, adfectione hysterica vehementiore omnem opem medicam respuente. Unde, cum ita demum eam salvam fore praeviderem, si nihil prorsus molirer, rem omnem tempori, medicorum facile principi ac coryphaeo, committendam censui. Hoc meum consilium ad diem usque decimum quartum optime illi cessit; quotidie enim illam invisens, nullo die eam in pejore loco, quam pridie fuerat, deprehendi. Post hunc, mulierculae adstantes, quas hactenus a noxa illi sub officii specie inferenda aegre arcueram, maritum impellebant, ut sine mora sanguinem e pede uxoris extrahi curaret: quo facto paroxysmi hysterici adeo invalescebant, ut intra paucas horas spasmi accederent, et non ita diu postea aerumnarum requies, mors.

Et si fas mihi sit, libere quae sentio effari; jamdiu in ea haeresi fui, ut arbitrarer, me non tantum in dictis puerperarum morbis, sed etiam in acutis omnibus, ubi curationem ab hac illave, qua uti placet, methodo certo insecuturam polliceri nequeam, et viri et medici boni, probique pulchre defungi munere, quoties nihil omnino tento, modo aegrum invisens, illum non se pejus habere hoc die, quam heri habuit, comperiam nec cras habiturum quam hodie conjectura adsequi possum. Cum si in aegro curando ea methodo incedam, de cujus efficacia nondum

mihi certo constet, tam ab experimento, quod ex eo capturus sum, quam ab ipso morbo is periclitabitur. Neque ita facile geminum discrimen effugiet, ac simplex erat evasurus. Quamvis enim in praesentiarum nullum vel incipientis convalescentiae signum manifestum se prodat, certissimus tamen sum, morbi acuti cujuslibet naturam non ferre, ut quis eo semper laboret: ac proinde dies quilibet res aegri magis magisque in tuto collocat vel saltem medico ansam praebet, ex qua opportunius ac certius morbum feriat confodiatque, quam in praecedentibus liceret. Quod quidem uti de acutorum plerisque vere adfirmatur, ita praecipue de puerperarum morbis; quibus error vel leviusculus fatalis esse possit; et in quibus ita parum valeamus naturalem illam evacuationem regere, a cujus suppressione mala, de quibus diximus, proveniunt.

Cum vero adfectus hysterici, non semper primariae caussae, spirituum nempe debilitati nativae, sed adventitiae aliquando originem suam debeant, hujusmodi itaque caussam, antequam finiam, hic recensere libet, quae frequentissime vaporum, quos adpellant, pararia existit. Atque ea est fluxus mensium immodicus, sive in puerperio, sive extra idem invadat. Quoad primam speciem, ea primis diebus post partum laboriosiorem maxime infestat, et longa symptomatum hystericorum caterva stipatur. Et sicuti in primis hisce diebus solum ingruit ac urget, ita etiam brevi se proripere solet. Etenim si victus paulo incrassans instituatur, facile abigitur; cui et sequens potus addi poterit.

Adsumatur Aq. Plantag. et vini rubri aa. libr. un. Coq. simul ad tertias, et deinde edulcoretur s. q. Sacchari albiss. Cujus, cum frigescat, capiat. libr. sem. bis vel ter in die. Interim julapium aliquod hystericum, ut satis mite, subinde propinetur, et nodulus seq. naribus admoveatur. Rec. Galbani et Asae foetid. aa. drachm. duas, Castor. drachm. un. sem. Sal. Succini volatilis drachm. sem. M. F. Nodulus. Vel Rec. Spir. salis ammoniac. drachm. duas quem saepius olfaciat.

Quod vero ad hujusmodi extra puerperium fluxum attinet, licet idem omni tempore feminis accidere soleat, eas tamen paulo ante tempus illud, quo spon-

te sua omnino menses cessaturi, saepissime invadit; circa aetatis scilicet annum 45., si modo temporius fluere inceperant; circa autem 50., si serius in vita prius prorumpebant. His, uti dictum, paulo ante totalem eorumdem discessum (instar candelae jam vere absumtae deflagrataeque, quae subito flammam edit insigniorem mox penitus disparituram) cum magno impetu affatim excidunt, et ob copiam sanguinis ingentem, qui continuo excernitur, in paroxysmos hystericos fere continuos miseras dejiciunt. Hic licet hysterica tam interna, quam externa obiter usurpanda (fortiora devitando, ne fluxum ulterius ea provocent), omnis tamen curationis cardo in menstruis cohibendis vertitur, quae hunc in modum quam primum sistenda.

Mittatur sanguis e brachio ad unc. viij. Seq. mane exhibeatur potio purgativa communis, quae repetenda est tertia quaque die, per duas alias vices; et singulis noctibus per totum morbi decursum sumat paregoricum ex syr. de Meconio unc. un.

Rec. Conserv. Rosar. siccar. unc. duas, Trochisc. de terra Lemn. drachm. un. sem. Cort. Granator. et Corall. rubr. praep. aa. scrup. duos, Lapid. haematit. Sang. Dracon. et Bol. armen. aa. scrup. un. cum s. q. syr. e Corall. simpl. F. Electuar. de quo sumat ad magnitud. nuc. moschat. maj. mane et quinta pomerid. superbibendo seq. Julapii cochl. vj.

Rec. Aq. germin. Quercus et Plantag. aa. unc. tres, Aq. Cinnamom. hord. et syr. de Rosis siccis aa. unc. un. spir. Vitriol. q. s. ad gratam aciditatem.

Rec. Fol. Plantag. et Urticae aa. s. q.; contundantur simul mortario marmor. et succus exprimatur, qui postea clarificetur. Cap. cochl. vj. frigide ter vel quater in die. Post primam purgationem adplicetur emplastr. seq. regioni lumborum. Rec. Emplastr. Diapalm. et ad herniam aa. part. aequal. M. extendatur super alutam, et F. Emplastr.

Diaeta refrigerans incrassansque imperanda, nisi quod e re erit, semel vel bis in die vini clareti haustulum aegrae indulgere, quod etsi minus conveniat, in quantum ebullitionem ciere aptum natum sit, ad vires tamen refocillandas concedi possit. Atque haec quidem methodus, ut feminis hoc modo adfectis apprime proficua sit, ita eadem iis, quibus abor-

tus periculum imminet, non minus confert. Atqui cathartica et succi omittantur.

Est et alia, etsi minus frequens, adfectuum hystericorum caussa. Nempe post partum laboriosiorem uteri procidentia, magnam hujusmodi malorum Iliada secum trahens, quae tamen cito ac facile hoc modo sanatur. Rec. Cort. Quercus unc. duas. Coq. aq. font. libr. iv. ad libr. duas; sub finem addendo Cort. Granator. contus. unc. un. Rosar. rubr. flor. Granator. aa. M. duos; deinde adde Vini libr. sem. Colatura sit pro fotu, qui cum pannis laneis parti adfectae admoveatur, mane horis duabus antequam e lecto adsurgat, et nocte post decubitum, donec symptomata penitus evanuerint. Sed de his plus satis.

Habes tandem, humanissime vir, eorum summam, quae a me in hujusce morbi sive historia, sive curatione, hactenus fuerint observata. Restat, ut, si quid forte peccaverim, ista minus quam oportuit accurate describens, veniam a te petam; tum ut opellam hanc eo animo exaratam, ut gratias tibi referrem, quod alia nostra conamina, qualia qualia illa fuerint, tuo calculo probare haud dedigneris, aequi bonique consulas. Quae quidem gratulatio mihi ita raro obvenit, ut vel nihil prorsus ab hominibus sim promeritus; vel candidi ingenuique isti, quos ea mentis praestantia natura effinxit, ut grati esse norint, perpauci sunt; vix tot idem, quot Thebarum portae, vel divitis ostia Nili. Quo non obstante pergo adhuc, immo et pergam in ediscenda promovendaque, quoad potero, methodo curandorum morborum, atque iis, qui me minus in praxi valent (si qui sunt ejusmodi) instruendis. Famae meae interim arbitrium penes alios sit. Aequa enim lance et scrupulose expendens, hominesne juvare praestet, aut ab iisdem celebrari, prius illud praeponderare comperio, et maximi sane momenti esse ad animi tranquillitatem; famam vero populique halitum pluma leviorem aut bulla, atque umbra insomnii magis evanidum. Quod si opes ejusmodi nominis celebritate partae, majus aliquod pondus habere videantur, fruantur illis per me licet, qui jam corraserint; meminerint tamen mechanicorum nonnullos, artes vel sordidissimas exercentium, uberiorem quotidie quaestum facere, et majorem auri, argentique vim poste-

ris legare; neque tamen in hoc brutis animalibus superiores evadere, qui sibi suisque pro sua indole prospiciunt; et, si recta ex animi arbitrio et virtute nata excipiamus (quorum non est capax brutorum natura), hos plane exaequant belluae, immo et alios omnes, qui non eum sibi vitae scopum proponunt, ut prosint quam plurimis. Commendatum me habeas, rogo, viro sagaci et eruditissimo domino D. KENDRICK, tibi mihique amicissimo; utpote cui debeam, quod tuum in me ita propensum animum resciverim, eamque qua me complecteris, amicitiam eo internuncio didicerim. Conabor, quantum in me est, mutuas officiorum vires reddere, et par pari referre, utpote qui sim jure meritoque, vir dignissime,

Tibi devinctissimus, tuique
semper studiosissimus
THOM. SYDENHAM.

Londini,
Jan. 20. 1682.

TRACTATUS
de
PODAGRA et HYDROPE.

Doctissimo viro
THOMAE SHORT, M. D.
Coll. Med. Lond. Soc.

En tibi, humanissime vir, tractatulum de podagra et hydrope, loco spissioris voluminis quod animo destinaveram; historiam intelligo morborum chronicorum, eorum maxime, circa quos mea praxis potissimum versata est. Cum vero omnem cogitandi vim, atque omnes nervos his rebus plus satis intendendo, atrociorem podagrae paroxysmum mihi accersiverim, quam quo alias, ut puto, fueram mulctandus; res ipsa monebat, ut has lucubrationes vel invitus ponerem, et mihi tandem ipse consulerem, hos tantum morbos duos quadamtenus expedivisse contentus. Quoties enim ad haec studia me recipiebam, toties et podagra recurrebat. Hoc itaque operis, quale quale demum id est, accipere digneris, quod tibi duabus potissimum de caussis dicandum censeo. Primum quod earum, quas jam olim in publicum dedi, observationum, a quibusdam despectarum, utilitatem aliquam, non tantum me coram atque in os, sed etiam coram aliis agnoscere atque adserere nullus dubitaveris. Deinde quod ex aliquali consuetudine, quam mutuam habuimus, consilia in commune pro aegrorum commodis conferentes, ego tuum genium deprehenderim ad praxin medicam apprime factum: quodque tametsi doctrina omnis generis inclarescas, te tamen natura ad eas potius subtilitates determinaverit, quae e praxi nascuntur, quam ad inanes speculationes: quae duo haud minori inter-

vallo a se invicem distant, quam sapientum res seriae ac maximi momenti a puerulorum ludo ac crepundiis disterminantur: et fortasse (nisi me fallit observatio mea) perraro in eodem subjecto conveniunt. Quae tua sagacitas juncta opportunitati, quam tibi suppeditavit ingens medicandorum copia, ad experimenta stabilienda, te ad artis nostrae fastigium evexit: et morum comitas versus omnes haud vulgaris existimationem, quam nactus es, facile tuebitur. Si quae hic disserui, neque tibi, cui ista inscribo, nec paucis illis, at spectatae probitatis viris, quos amicos habeo, vitio dari possint, haud multum alios morabor, qui nulla alia de caussa mihi infensissimi sunt, nisi quod aliter tam de ipsis morbis, quam de eorum curationibus sentiam, atque illi sentiant. Quod ut ita non fieret, penes me nullo modo fuit; quando sic a natura factus atque dispositus sim, ut quod temporis alii libris legendis, id ego omne meditationi impendere soleam: neque tam quaeram, an alii eadem mecum adserant, quam utrum quae ego trado cum veritate consentiant: utpote qui rumores et vulgi plausum haud magni faciam. Et sane quid tanti est, si officio civis boni strenue perfunctus, et publico commodo etiam cum privato damno inserviens nullam tamen exinde gloriam reportem? Cum, si rem recte perpendam, consulere existimationi meae, qui jam senex sim, brevi perinde erit ac si non-enti consuluissem. Quid enim mihi post obitum prodesse queat, ut octo elementa alphabetica in istum ordinem redacta, ut nomen meum componant, eorum linguis jactentur, qui non magis aliquam mei ideam animo possint effingere, quam ego jam queam concipere qualesnam tandem illi futuri sunt, qui omnes et mortuos prioris seculi ignorabunt, et aliis tum dialectis tum moribus utentur, pro rerum humanarum omnium inconstantia ac vicissitudine. At quorsum ego de aliorum judicio sollicitus sim? Si meo aliquo conatu in promovenda et morborum, et eorumdem curationum scientia aliquantulum promeritus fuerim, haud diu ista laude fruar. Atque e diverso, si cui minus placuerint mea scripta, vix puto me alia additurum; cum non patiatur ratio sanitatis meae, ut mundo ulteriores rem medicam tractando molestias facessam. Et pro-

fecto, vel in hoc tractatulo, quem jam edo, cum manus tremula calamum regere nequiret, operam mihi commodatam ab amicissimo viro Dno. Johanne Drake, baccalaureo in medicina, ex Aede Christi, apud Cantabrigienses, gratus agnoscere debeo, quem quidem virum, et nativus morum candor, et vitae integritas amicum perquam exoptabilem; animi vero dotes tam a natura subministratae, quam studio excultae humano generi utilem admodum reddent et beneficum, ubi eam artem exercere placuerit, quam ita probe callet. De caetero rogandus es, vir spectatissime, ut huic meo in te officio, si permolestior fuerim, veniam concedas: quod tamen non aliunde nasci existimes velim, quam ex illo honore et obsequio, quibus te merito atque ex animo prosequitur

Tibi addictissimus
Tuique observantissimus
Thom. Sydenham.

TRACTATUS *de* PODAGRA.

Procul dubio aestimabunt homines, vel morbi, de quo agimus, naturam *δυσνόητον*, ac fere incomprehensibilem esse, vel me, quem jam ab annis triginta quatuor vexavit, ingenii tardissimi ac prorsus hebetis, cum meae tam de ipso morbo, quam de ejus curatione observationes ita parum votis respondeant. Utut tamen se res habeat, ego bona saltem fide tradam, quae hactenus rescivi omnia; difficultates salebrasque, sive rationem morbi ipsius, sive curationis methodum spectantes, tempori, duci veritatis, evincendas complanandasque relinquens.

Podagra eos plerumque senes invadit, qui postquam meliores vitae dies mollius, ac delicatius transegerint, epulis lautioribus, vino, aliisque liquoribus spirituosis liberalius indulgentes, tandem ob pigritiam aetatis ingravescentis semper comitem ea corporis exercitia penitus omisere, quibus juvenes adsueverant. Ad haec isti, qui huic morbo sunt obnoxii, crania habent grandiuscula, habitu corporis utplurimum sunt pleniori, humido, et laxo, et constitutionem habent omnes luxuriantem virosamque, ditissima atque optima vitae stamina.

Non quod podagra eos solum adoriatur, qui crasso et corpulento habitu donantur, cum aliquando etiam, etsi rarius, graciles ac macilentos invadat; neque quod hic morbus in omnibus senium praestoletur: quandoque enim etiam aetate florentes corripit, quoties scilicet infelicia morbi semina a parentibus quasi ex traduce acceperint; vel si hoc non fuerit, immodicae Veneri praematurius indulserint, aut exercitiis omnino valedixerint, quibus prius, etiam vehementioribus, utebantur; edaciores insuper fuerint et liquores spirituosos immoderatius hauserint, postea derepente ad liquores tenues et refrigerantes se contulerint.

Si quem non nisi jam senio confectum primum adoriatur, numquam postea vel tam statas habet periodos, vel tam immaniter saevit, quam si junio-

rem occupaverit; tum quod vita utplurimum elabitur antequam morbus naturalibus symptomatis stipatus ad ἀκμὴν pervenerit, tum etiam quia calore nativo et vigore corporis imminutis, nec ita jugiter nec vehementer in articulos displodi potest. At si quem maturius lacessat, quamvis nec sedem adhuc figat, nec eum ita male tractet, sed incerta periodo pro data ansa ingruat, leviter ad paucos dies torquens, et nulla methodo invadens recedensque, sensim tamen castra metatur, legem sibi ponens, typumque praeformans, tam quoad anni tempus, quo arma quotannis movebit, quam quoad paroxysmi durationem; ad haec ferocius quam primo insultu debacchatur.

De hoc morbo, dum ita regulam typumque servat, libet primo disserere: postea de ejusdem phaenomenis anomalis atque incertioribus, quoties scilicet vel praepostero inidoneorum medicamentorum usu de statu suo dejectus fuit, vel ob subjecti debilitatem et languorem ad propria et genuina symptomata nequit adsurgere. Quoties itaque regularis est podagra, hoc fere modo aegrum adgreditur. Januario exeunte, aut incipiente Februario derepente, et nulla fere praesensione antecedente ingruit, nisi quod ventriculi cruditate atque ἀπεψίᾳ ad septimanas aliquot aeger laboraverit, corporis insuper intumescentia quasi ventosa et gravitate, quae indies augetur, donec tandem detonet paroxysmus; quem paucis diebus praeit torpor et quasi flatuum descensus per femorum carnes, cum adfectione σπασμοειδεῖ, tum etiam pridie paroxysmi adpetitus voracior, non tamen naturalis. Sanus lecto somnoque committitur; hora vero secunda post mediam noctem excitatur a dolore pollicem pedis utplurimum occupante, quandoque vero calcaneum, suram, aut talum. Hic dolor eum refert, qui ossium dictorum dislocationem comitatur, cum sensu quasi aquae tantum non frigidae partis adfectae membranis adfusae. Mox sequitur rigor cum horrore et febricitatione aliquali. Dolor autem hic primo remissior gradatim intenditur (et pari passu rigor atque horror recedunt), idque in singulas horas, donec tandem sub noctem ad apicem pervenerit, se ad varietatem ossiculorum tarsi et metatarsi, quorum ligamenta obsidet, perbelle accommodans; nunc tensionem violentam, vel

ligamentorum istorum dilacerationem, nunc morsum canis rodentis, quandoque pressuram et coarctationem exprimens: ad haec, ita vivum exquisitumque habet sensum pars adfecta, ut nec linteorum superincumbentium pondus, nec cubiculi a fortiori ambulatione concussionem ferre valeat. Atque hinc fit, ut nox non tantum in cruciatu transigatur, sed etiam cum irrequieta partis adfectae hac illac rotatione, et mutatione situs quasi perpetua. Neque minor est totius corporis jactatio incessans, quae semper paroxysmum, maxime vero accedentem, comitatur, quam torti membri agitatio et dolor. Hinc etiam mille conamina, situs tum ipsius corporis, tum membri adfecti mutatione adsidua doloris sedationem incassum exambiunt: quae tamen non contingit ante horam secundam tertiamve matutinam (decurso scilicet nychthemeri spatio a primo adpulsu paroxysmi), quo tempore aeger post materiae peccantis modicam digestionem et diffiationem aliqualem subito a dolore respirat; licet hanc ille liberationem isti membri adfecti positurae, qua postremo usus erat, immerito acceptam referat. Jam leni madore perfusus somno concedit, a quo evigilans, dolore multum imminuto, partem adfectam tumore recenter occupatam cernit; cum solum antehac (quod in omnibus podagricorum paroxysmis solemne est) insignior intumescentia venarum membro vexato intertextarum se in conspectum dederat. Sequente die, forte etiam ad biduum triduumve, si materia, podagrae generandae apta, fuerit copiosior, dolet nonnihil pars adfecta, idque vehementius die jam advesperascente, levatur autem sub galli cantu. Intra paucos dies, alter pes eodem dolore torquetur, quo is, qui prior doluit; vel si prior iste jam dolere desierit, debilitas, quae eum infirmaverat, mox evanescit, tam viribus quam integra sanitate isti pedi statim restitutis, perinde ac numquam laboraverat, si modo dolor pedem nuper tentatum ferocius lancinet. Nihilominus easdem hic excitat tragoedias, quas prius in altero pede, tam quoad doloris vehementiam, quam durationem. Quandoque etiam primis morbi diebus, cum materia peccans adeo exuberat, ut ei capiendae pes unus impar sit, utrosque simul pari vehementia fatigat: sed utplurimum pe-

des successive, uti diximus, adgreditur. Postquam utrumque pedem exercuerit, qui sequuntur paroxysmi, abnormes sunt tum quoad tempus invasionis, tum etiam quoad durationem; hoc tamen ubique servant, quod dolor noctu recrudescat, mane vero remittatur. Atque ex serie horum paroxysmulorum (sit verbo venia) constat paroxysmus, qui dicitur podagrae, diuturnior breviorve pro aegri aetate. Neque enim censendum est, quoties quis cum hoc morbo ad menses duos vel tres fuerit conflictatus, unum illum paroxysmum fuisse, sed seriem potius et catenam paroxysmulorum, quorum posterior quilibet priore et mitior fuit et contractior, donec tandem materia peccante prorsus absumta, aeger pristinam obtinuerit sanitatem: quod in vegetioribus et iis, quos podagra rarius invisit, diebus saepe quatuordecim fit; in senioribus, atque iis quos saepius adflixit, duobus mensibus; iis vero, qui vel annis, vel diuturniore morbi mora, fractiores jam sunt, non prius valedicit, quam aestas jam adultior eam fugaverit. Ad quatuordecim primos dies urina coloratior est, quae post separationem sedimentum rubrum, et quasi arenulis refertum, deponit; nec aeger utplurimum nisi tertiam potulentorum, quae adsumsit, partem per vesicam reddit; alvus item ad dictos primos fere dies constipata est. Appetitus prostratio, rigor totius corporis sub vesperam, partium etiam non adfectarum gravitas et molesta sensatio integrum paroxysmum comitantur. Recedentem paroxysmum excipit pedis adfecti pruritus vix ferendus, maxime inter digitos, unde decidunt furfures, et pedes ipsi quasi ab epoto veneno desquamantur. Morbo jam discusso, aegri tum εὐεξία, tum appetitus redeunt pro rata doloris, qua saeviebat paroxysmus nuper elapsus, et in eadem proportione servata vel acceleratur vel differtur sequens paroxysmus. Nam si hic ultimus aegrum pessime multaverit, sequens paroxysmus non nisi anno ad idem punctum revertente denuo accedet.

Atque hoc se habet modo podagra regularis phaenomenis genuinis propriisque se ostendens. Cum vero vel ab indebita medicatione turbatur, vel ob diuturniorem morbi pertinaciam corporis substantia quasi in morbi fomitem pervertitur, neque par est

natura eidem, methodo consueta eliminando, phaenomena multum sunt diversa a jam descriptis. Nam cum hactenus dolor pedibus tantum fuerit infestus (qui peccantis materiae sedes sunt genuina, quae cum alias quaslibet partes occupat, certissimum est vel morbi methodum inversam esse, vel corporis vigorem paulatim jam imminutum), jam itaque manus, carpos, cubitos, genua, aliasque regiones occupat, ea jam, sicut pedes olim solebat, discrucians. Quandoque enim unum pluresve digitos distorquens fasciculo radicum pastinacae similes eos reddit, motu paulatim privans, tandemque concretiones circa articulorum ligamenta tophaceas generans, quae articulorum cuticulam ipsamque cutem destruentes, nudos tophos cretam vel oculos cancrorum aemulantes, acicula eruendos, exhibent conspectui. Nonnumquam materia morbum committens cubitis impacta tumorem subalbum excitat, fere ad ovi magnitudinem, qui sensim inflammatur cum rubore. Est ubi femur occupans sensum exhibet quasi ingentis ponderis appensi, sine dolore tamen notabili; ad genu exinde petens id acrius urget, motum omnem inhibens, ut quasi clavo transacto lectulo adfixum ne latum pilum a loco, in quo est, se queat dimovere. Et quando vel propter totius corporis inquietudinem huic morbo ita familiarem, vel urgente necessario aliquo vitae officio, aeger aliorum opera est movendus, omni cautela opus est, ne forte vel minima motus contrarietas dolorem accersat, qui eo tantum nomine potest tolerari, quod confestim evanescat. Quae quidem corporis latio ita caute et delicate peragenda, haud exigua pars est aerumnarum, quibus podagra oneratur. Dolor enim vehementior non per omnem paroxysmum extenditur, si modo pars adfecta omnino quiescat.

Cum podagra antehac non nisi exeunte hyeme soleret invadere, post duos tresve menses pro more recessura; jam per annum integrum vexat aegrum, demtis duobus vel tribus mensibus calidioribus atque aestivis. Et quod insuper est observandum, quemadmodum paroxysmus major sive generalis jam protractior, quam olim fuerat, inveniatur, ita etiam paroxysmi isti particulares, ex quibus generalior componitur, singuli diutius saeviunt. Cum enim an-

tehac particulares isti non ultra unum alterumve diem excruciarent; jam ubicumque sedem figant, maxime si pedes vel genua occupaverint, non ante diem decimum quartum castra movent: primo ad haec, aut secundo post adpulsum die, aeger praeter dolorem, aliqualem etiam aegritudinem patitur, atque simul omnimodam appetitus postrationem.

Postremo, cum, antequam malum usque adeo incruduerat, aeger non solum longioribus frueretur paroxysmorum intervallis, sed etiam durante ista intermissione recte valeret tam artubus quam reliquo corpore, facultatibus singulis naturalibus officio suo debite fungentibus; jam artus habet fere undiquaque contractos atque impeditos, ita ut, quamlibet stare possit, forte etiam aliquantisper procedere, gressu tamen ita claudicante ac permolesto prorepit, ut etiam cum ambulet quiescere videatur: et si ultra vires ambulare perstiterit, quo pedibus rectius valeat, quanto magis ipsos ambulando confirmat et dolori excipiendo minus obnoxios reddit, tanto morbi fomes, numquam per hoc omne intervallum perfecte dissipatus, visceribus periculosius imminet, cum in pedes ita libere nequeat effundi: qui hoc morbi tempore vix umquam doloris sunt expertes, sed sensatione aliqua plus minusve molesta perpetuo tentantur. Quin etiam multis aliis symptomatis infestatur aeger, ut venarum haemorrhoidalium dolore, ructu nidoroso, cibi jam manducati et in ventriculo putrescentis gustum referente, quoties vel aliquid e dyspeptis adsumserit, vel eam tantum cibi quantitatem, quae sano competit. Appetitus languet, uti et totum corpus prae inopia spirituum. Denique ideo tantum vivit, ut calamitosus sit et miser, non ut vitae dulcedine vel minimum fruatur. Urina, quam prius coloratiorem maxime in paroxysmis et in pauca quantitate solebat reddere, jam illam tam colore imitatur, quam copia, quae in diabete excernitur. Dorsum aliaeque partes moleste pruriunt maxime sub horam somni.

Id etiam in hoc morbo, quoties jam confirmatior est, incommodi accidit, quod ab oscitatione, in primis vero matutina, ligamenta ossium metatarsi vehementer convelluntur, cum sensu quasi coarctationis vel compressionis fortissimae a manu valida. Quan-

doque etiam nulla oscitatione praecedente, aeger jam se somno committens ictum quasi clavae metatarsum confringentis derepente persentiscit, unde cum ejulatu expergiscitur. Tendines musculorum, quae tibias suffulciunt, subinde spasmo corripiuntur ita acri et violento, ut dolor, quem excitat, si vel tantisper duraret, omnem humanam patientiam dejiceret vinceretque.

Post multos dirosque cruciatus, carnificinam diuturniorem, ceu pignus missionis, quam mors jam in propinquo stans mox est datura, paroxysmi subsequentes aegrum quoad dolorem clementius tractant (natura partim ab onere materiae peccantis oppressa, partim ob senium, eamdem in corporis extremitates jugiter ac strenue relegare non amplius valente); at loco doloris consueti aegritudo quaedam cum dolore ventris, lassitudo spontanea, quandoque etiam propensio ad diarrhoeam superveniunt. Haec symptomata, dum vigent, artuum dolorem leniunt, quae pariter evanescunt, quoties articulos dolor fatigat: ita nunc dolore, nunc aegritudine quasi alternatim lacessente, paroxysmus longas moras nectit. Animadvertendum est enim, quod ubi quis ad multos annos podagra laboraverit, dolor singulis paroxysmis gradatim imminuitur, tandemque aegritudine potius conficitur, quam dolore. Quem enim in his patitur dolor, quamlibet sint productiores, vix ad decimam partem ejus adsurgit doloris, quem pati solebat, cum viribus esset magis integris. Nihilominus haec ipsa morbi inclementia pensabatur utplurimum longiore intercapedine, quae paroxysmos intercedebat, tum sanitate, qua interea satis commoda utebatur. Namque hoc in morbo dolor amarissimum est naturae pharmacum, qui quo vehementior est, eo citius praeterlabitur paroxysmus; atque insuper et longior erit intermissio, et magis perfecta, et vice versa.

Neque tamen dolor, claudicatio, atque impeditus partium adfectarum motus, aegritudo, aliaque symptomata jam descripta hujusce morbi tragoediam absolvunt. Calculum insuper renum in quamplurimis parit hic adfectus; tum ex eo, quod aeger diu supinus recumbat, tum etiam quod ferientur organa secretoria a debitis sibi functionibus; sive etiam quod calculus ejusdem materiae morbificae in genere por-

tio quaedam sit, quam ego litem non dijudico. Quaecumque vero sit hujus mali origo, nonnumquam aegri animum moestissima interpellit contemplatio, calculusne an podagra immitior sit. Quandoque etiam calculus lotii per meatus urinarios in vesicam transitum impediens, aegrum de medio tollit, lentas podagrae moras haud amplius exspectantem.

Nec satis est aegrum ita miseris modis dilaniari, ut nec sui jam fuerit compos, alienae opis prorsus indigens; sed et hic accedit miseriarum cumulus, quod durante paroxysmo animus etiam ceu contagio adflatus, eo usque corpori compatitur, ut haud facile sit dictu, utro horum aeger calamitosius doleat. Non enim rectius podagrae, quam iracundiae, paroxysmus omnis dici potest, cum mens et ratio usque adeo ab infirmato corpore enerventur, ut vel levissimo adfectuum motu impellantur et vacillent: unde non magis ipse sibi quam aliis gravis est. Quid quod et caeteris quoque passionibus est obnoxius, timori videlicet sollicitudinique atque aliis id genus. A quibus pariter torquetur, donec morbo evanescente, animus quoque, pristina tranquillitate recepta, una convalescet.

Tandem aeger (ut funestissimi hujus morbi catastrophen semel expediam) visceribus a materiae peccantis incubatu complexuque ita laesis, ut secretionis organa non amplius suo munere fungi queant, unde et sanguis quasi limo et faeculentiis refertus stagnat, et materia peccans non jam, ut olim solebat, in corporis extremitates disploditur atque rejicitur; tandem inquam ὁ τοῖς ἄθλιος vitam adflictissimam et jam diu non vitalem cum morte, aerumnarum requie, feliciter commutat.

At vero (quod mihi aliisque, licet tam fortunae quam ingenii dotibus mediocriter instructis, hoc morbo laborantibus solatio esse possit) ita vixerunt atque ita tandem mortem obierunt magni reges, dynastae, exercituum classiumque duces, philosophi, aliique his similes haud pauci. Verbo dicam, articularis hicce morbus (quod vix de quovis alio adfirmaveris) divites plures interemit quam pauperes, plures sapientes quam fatuos; natura quasi digito monstrante, quam parum iniqua sit omnium parens et arbitra, quam partibus non studeat, cum eos,

quibus alicubi defuit, alio aliquo bonorum genere cumulatius ditare soleat, profusiorem vero erga alios munificentiam, aequa malorum parte admixta, diluat et contemperet. Adeo ut ubique gentium rata sit lex atque inviolabilis, nullum hominem vel ex omni parte beatum, vel per omnia miserum ac calamitosum posse inveniri, singulos utramque experiri sortem. Quae boni atque mali contemperatio, fragilitati nostrae et mortalitati ita propria, nobis fortasse adprime conducit.

Podagra feminas perraro infestat, easque non nisi jam vetulas, et viragines seu corpore masculorum habitum aemulantes. Graciliores quae vel in adolescentia, vel constanti aetate symptomata patiuntur podagram mentientia, ea ipsa vel adfectibus hystericis, vel rheumatismo, quo jam olim laborarunt et cujus fomes non satis initio fuerat eliminatus, accepta referunt.

Neque pueros, neque juvenibus minores podagra vera atque genuina vexatos hactenus observavi: nonnulli tamen mihi noti sunt, qui priusquam eam aetatem attigissent, leviculam aliquam quasi velitationem praesenserant, quorum nempe patres etiam tunc hoc morbo tenerentur, cum iis generandis operam darent. Atque hic explicit morbi hujus historia.

Omnes animi nervos variis hujusce morbi phaenomenis contemplandis acriter intendens, illum ἀπεψία seu labefactatae tam in partibus quam succis corporis universis concoctioni ortum debere existimo. In istis enim, qui huic morbo sunt obnoxii, cum jam vel aetate fuerint confecti; vel effraenata morum licentia senectutem praematurius accersiverint, spiritus animales per totum corpus deficiunt, immodico functionum in juventutis calore vegetissimarum exercitio consumpti; verbi gratia, praepropero nimioque Veneris usu, insanis improbissimisque laboribus, quibus ardenter atque indefesse voluptatibus inserviunt, et his similibus. Accessit etiam sive ab annis sive ab inertia, exercitiorum corporis, quibus olim adsueverant, intermissio vel cessatio repentina (quorum usu tum sanguis invigoratior, tum partium tonus firmior et constantior solebat reddi), unde jam corpus flaccescit, et concoctiones non

amplius recte promoventur; e contra vero, succorum corporis recrementa, quae talium exercitiorum ope prius excernebantur, dehinc in vasis, ceu morbi seminium, reconduntur. Nonnumquam et studium, seu meditatio de re quapiam seria ac diuturna malum auxit, quo scilicet spiritus defaecatiores et magis volatiles a concoctionum penso, quod debuerant absolvere, nimium avocantur. Adde quod huic morbo obnoxii non solum ciborum in genere fere sunt adpetentiores, sed et eorum maxime, qui difficillime ventriculo cedunt; quos cum haud parcius devorent, quam tum solerent, cum exercitiis uterentur, non jam iis digerendis pares sunt. Neque tamen dicta voracitas et liberalior ciborum ingestio ita frequenter (licet id haud raro contigerit) podagrae viam stravit ac vesana et immoderatior vini compotatio, unde fermenta coctionibus variis dicata penitus prosternuntur, praecipitantur ipsae coctiones, et spiritus naturales ab halituum adventitiorum copia subjugantur disperguntur que. Jam vero cum uno eodemque tempore et spirituum (qui coctionis instrumenta sunt) vigor imminuatur atque insuper ingens humorum colluvies sanguinem opprimat, omnino necesse est, ut singulae concoctiones haud rite peragantur, dum ita obruuntur singula viscera, unde spiritus jamdiu fatiscentes nunc etiam suffocantur. Nam si a sola spirituum debilitate penderet hic morbus, infantes, feminas atque eos, quos aegritudo diuturnior maceravit, pariter invaderet; cum fere virosissimos quosque adoriatur, et robustissimis naturae principiis praeditos: quos tamen non adgreditur, donec caloris et spirituum naturalium defectum sive declinationem humorum quoque congestio excipiat; a quibus simul conjunctis concoctiones vitiatae pervertuntur.

Porro ut caussarum, quas enumeravimus, singulae indigestionem promoverant, ita earum pleraeque laxitati habitus et musculorum corporis procurandae nonnihil contulerant, unde porta crudis indigestisque humoribus intromittendis panditur, quoties isti ad exteriora protruduntur. Quoties enim in sanguine diutius stabulantes tam mole quam prava diathesi macti fuerint, tandem calorem putrescentem adquirunt; et cum non amplius a natura regi possint, pro-

rumpunt in speciem, et in articulos depluunt, calore atque acredine dolores exquisitissimos in ligamentis membranisque ossa contegentibus excitantes; quae vel a senio, vel luxu, atque intemperantia labefactata laxataque facile humoribus imperium facientibus locum concedunt. Hic vero humorum podagram generantium prolapsus, qui paroxysmum constituit, serius ocyusve contingit, prout ansa hujusmodi humoribus in motum ciendis data fuerit.

Jam vero curationem quod spectat; (ut primo quae sunt omittenda subinnuam) licet, si humores respiciamus, atque indigestionem, unde isti trahunt originem, prima fronte videri possit indicationes curativas in primis ad humores jam factos evacuandos, dein ad coctiones roborandas, (unde aliorum humorum succrescentium adgestio possit praecaveri), collimare debere, quandoquidem hae sunt indicationes magis generales, quibus in plerisque aliis morbis humoralibus satisfaciendum est: in podagra nihilominus naturae quasi praerogativa est, materiam peccantem suo modo exterminare, et in articulos deponere, per insensibilem transspirationem difflandam. Namque haud plures tribus proponuntur modi, quibus caussam podagrae continentem ejicere valeamus; venaesectio scilicet, catharsis, ac diaphoresis per sudorem: nulla vero ex his methodus scopum attinget umquam.

In primis venaesectio, quantumvis magna polliceatur, tum in humoribus, qui in procinctu stant et quasi descensum meditantes, tum in istis, qui jam jam articulos obsiderunt, evacuandis; manifesto tamen pugnat cum indicatione illa, quam caussa antecedens, quae est indigestio a spirituum (quos sanguinis detractio magis imminuit opprimitque) depravatione ac defectu orta sibi vendicat. Non est itaque adhibenda phlebotomia, vel ad praecavendum paroxysmum, qui timetur, vel ad istum qui jam adest mitigandum, in iis nempe, qui aetate jam sunt provectiores. Quamvis enim qui educitur sanguis pleuriticorum et rheumatismo laborantium sanguinem utplurimum referat, attamen venaesectio haud minus insigniter in hoc morbo officere aegro, quam in duobus praedictis prodesse cernitur. Etenim si sanguis in intermissione, quantumlibet diu post par-

oxysmum, fuerit extractus, periculum est, ne a sanguinis et humorum agitatione novus succrescat paroxysmus, qui et priore diuturnior futurus est, et symptomatis enormioribus stipandus, sanguinis robore et vigore, quibus adjutoribus morbi fomitem strenue ac constanter excutere debuerat, exinde retusis. Atque hoc incommodi toties etiam accersitur, quoties ineunte paroxysmo vena pertunditur. Si mox a paroxysmo feriatur vena, ingens periculum est, ne natura, dum sanguis adhuc languidior est et nondum pristinas vires a morbo succisas redintegraverit, ejusmodi vulnere importune inflicto usque adeo infirmetur et succumbat, ut hydropi aditus aperiatur. Verumtamen si aeger adhuc juvenis fuerit, et ab immodica potatione excalefactus, sanguis initio paroxysmi potest detrahi; sin autem in paroxysmis subsequentibus phlebotomia jugiter utatur, podagra quam citissime etiam in juvene inveterascet, et intra paucos annos latius imperium, seu potius tyrannidem propagabit, quam alias in multis extendere valuisset.

Deinde catharsin quod attinet sive ἄνω sive κάτω, animadvertendum est, quod cum naturae lex sit inviolabilis, atque ipsi hujusce morbi essentiae intertexta innexaque, morbi fomitem semper in articulos rejici debere; nihil prorsus aliud praestabunt remedia sive emetica, sive cathartica proprie dicta, nisi ut materia peccans, quam natura in corporis extremitates protruserat, in sanguinis massam denuo revocetur: unde accidit, ut quae in articulos eliminari debuerat, in aliquod e visceribus forte irruat, atque ita aeger, qui in nullo prius discrimine versabatur, jam de vita periclitetur. Quod iis fatale esse haud raro observatur, qui medicamentis purgantibus vel ad podagram praecavendam, vel (quod adhuc pejus est) ad leniendum paroxysmum adsueverant. Etenim cum natura a methodo sibi familiari exturbata fuerit, qua, utpote securissima optimaque, materiam morbificam in articulos ablegat, dum humores intro versus intestina sollicitentur, loco doloris in juncturis, quem vel nullum habent vel certe perexiguum, ventriculi aegritudine, alvi torminibus, lipothymia, et longo anomalorum symptomatum agmine miseri quasi enecantur.

Ego certe persuasissimus sum a jugi et saepe iterata experientia edoctus, catharsin omnem, tam per lenientia quam per fortiora medicamenta, qualia pro more articulis expurgandis destinantur, plurimum nocere; sive in paroxysmo ad minuendam materiam peccantem, sive in fine ad dissipandas morbi reliquias, sive in perfecta intermissione et recta valetudine, ut venturo paroxysmo occurratur, purgatio in usum revocetur. Etenim tam mei ipsius, quam aliorum periculo compertissimum habeo, catharsin quovis horum temporum administratam ita parum votis respondisse, ut malum, quod debuerat averruncare atque avertere, accerseret. Primum itaque purgatio saeviente adhuc paroxysmo adhibita, naturae, in materia morbifica separanda et in articulos deponenda occupatae, negotium facessens, magnam spirituum ἀταξίαν nonnumquam excitavit; unde non tantum paroxysmus magis invalescebat, sed et aeger in vitae discrimen haud obscure conjiciebatur. Deinde cathartica in fine paroxysmi usurpata, cum morbi reliquias amoliri debuerint, id tantum egere, ut recens paroxysmus de novo suppullularet, haud mitior priori isto; atque ita aeger spe falsa lactatus ea sibi fabricat mala, quae non fuerat perpessus, nisi humores denuo in rabiem agerentur. Quod genus incommodi ipsemet plus semel expertus sum, artis medicae opem praepostere implorans ad exturbandas, ut mihi videbatur, reliquias morbi. Postremo quod purgationem attinet, certis intervallis et integra sanitate repetendam, ut paroxysmo eatur obviam, atque ei aditus praecludatur; etsi, quod est fatendum, non ita preasens periculum est, ne nova accessio invitetur, atque fuit in casu jam dicto, cum aeger nondum ἔξω βέλους omnino fuerit; tamen etiam hoc tempore paroxysmum parit, idque ob caussas supra memoratas; quo malo si forte aegrum non statim multaverit, nullatenus tamen eum a morbo liberat, quantumlibet constanter et debitis intervallis cathartica haec illave adsumserit. Quinimmo nonnullos novi huic morbo obnoxios, qui catharsi non solum vere et autumno, sed et singulis mensibus, immo et septimanis continuis celebrata, sanitati litabant, neque tamen horum quisquam podagram effugit: quae exhinc crudelius plerumque et immanioribus sym-

ptomatis eos impetebat, quam si ab omni medicatione sibi temperassent. Licet enim jam dicta purgatio caussae continentis partem aliquam possit educere, cum tamen concoctioni roborandae (a quo tantum abest, ut eam debilitet, recenti vulnere naturam subruens ac dejiciens) ne hilum conferat, uni tantummodo caussae opponitur, et morbi curationi impares prorsus habet vires.

Ad haec adnotandum est, ab eodem illo spirituum defectu, quo coctiones in iis vitiantur, qui podagra solent laborare, eorumdem spirituum animalium *σύστασιν* minus firmam vegetamque reddi, unde mox disjicitur et interturbatur a quavis caussa, quae vel animum vel corpus paulo violentius concutit exagitatque; ac proinde jam fugax ac dissipabilis est admodum, prout iis, qui adfectioni vel hypochondriacae, vel hystericae obnoxii vivunt, persaepe accidit. A qua etiam spirituum ad *ἀταξίαν* propensione fit, ut podagra vel levissimam quamlibet evacuationem fere subsequatur. Dissoluto enim corporis tono, quem spirituum firmitas, dum in vigore suo persistunt, rite compactum vegetumque servat, materia peccans quasi disruptis repagulis jam sui juris est, atque ab hac plaga corpori inflicta paroxysmus statim exoritur.

At vero haec ipsa methodus, utut perniciosa ac nocens, nihilominus empiricis quibusdam, qui catharticum quo utebantur medicamentum astute omnes celarunt, haud mediocrem existimationem conciliavit. Observandum est enim, quod purgatione currente aeger vel non omnino, vel remisse admodum dolet; et si catharsis ad plures dies produci queat, nullo superveniente paroxysmo recenti, aeger confestim ab eo, quo jam tenetur, convalescet: verum enimvero poenas in posterum pendet dirissimas ab *ἀταξίᾳ*, in quam dicta humorum exagitatio naturam praecipitem egit.

Denique materiae peccantis per sudores evacuatio, licet praedictis evacuationibus minus officiat, liquido tamen officere cernitur. Quamvis enim morbi fomitem non retrahat in viscera, sed e contra in corporis habitum propellat, attamen his saltem nominibus obest. Primo quidem quod extra paroxysmum humores adhuc crudos et nondum ita subactos,

ut rite separari debeant, quasi vi quadam protrudit in artus, atque eo pacto cunctantem paroxysmum ante diem, et vel invita natura sollicitat. Deinde quod sudoris provocatio in ipso paroxysmo materiam morbificam nimis violenter in adfectum membrum impingat adigatque, dolorem simul adducens haud tolerandum; et si major sit materiae peccantis copia, quam ut pars adfecta eam queat admittere, illam mox in artus alios deturbat, unde orgasmus interea atque ingens tam sanguinis quam caeterorum humorum ebullitio sive exaestuatio; si vero corpus colluvie serosa podagrae generandae apta admodum scateat, metuendum est, ne apoplexia ingruat. Quamobrem in hoc adfectu, perinde ac in caeteris omnibus, in quibus sudores artis ope sollicitantur ad eliminandam materiam morbificam non vero naturae ductu profluunt, periculosissimum est eosdem nimis violenter atque ultra eum coctionis gradum, ad quem humores evacuandi sua sponte pervenerint, elicere. Et celeberrimus iste Hippocratis aphorismus, „cocta, non cruda sunt medicanda", tam in sudoribus provocandis, quam in subducenda alvo locum habet. Quod quidem liquido constat ex sudore illo, quo paroxysmus febrium intermittentium claudi solet, qui, si modicus fuerit, et materiae febrilis a praecedente paroxysmo concoctae quantitati apte respondens, aegrum insigniter juvat levatque; si vero ultra naturae modum sudatio promoveatur, ex eo, quod aeger lectulo jugiter adfigatur, jam febris continua subnascitur, et recens focus succenditur, cum iste, qui prius efflagrabat, fuerat exstinguendus. Pari ratione in podagra etiam lenis ille mador, qui utplurimum mane, sua sponte, oritur post minorum paroxysmorum, e quibus majorem paroxysmum constare docui, singulos, tam dolorem quam inquietudinem, quibuscum aeger tota nocte conflictabatur, mitigat; e contra vero, si quando levis hicce mador et suapte natura fugax, diutius et vehementius proritetur, quam fert proportio materiae peccantis, jam ab ultimo paroxysmo concoctae, morbus inde exacerbatur. Tam itaque in hoc, quam in aliis morbis quibuscumque, quos mihi videre contigit, demta sola peste, sudores prolicere non tam medici, quam naturae provincia est: cum nullo modo adsequi possi-

mus, quanta materiae pars ejuscemodi separationi obeundae jamjam est parata, nec per consequens quem in provocando sudore modum tenere debeamus.

Ex jam dictis cum satis liqueat, non solum podagrae curationem a medicamentis evacuantibus incassum peti, sed et eadem *ποδαγρῶσι* noxam adferre, restat ut exquiramus, ad quem alium scopum curativae indicationes sunt dirigendae. Ego quidem ex adcurata *φαινομένων* praedictorum omnium pensitatione et diligenti examine colligo, duabus potissimum caussis in hujusce morbi curatione obviam iri debere. Prima est caussa antecedens, sive humorum indigestio, a caloris et spirituum naturalium defectu orta. Altera est caussa continens, sive eorumdem humorum calor et exaestuatio, ubi jam tum putredinem, tum etiam acredinem nacti sunt, a mora in corpore quam oportuerat diuturniore; quae mora ab incoctione supra memorata pendet. Hae caussae ita toto coelo, quod ajunt, a se invicem discrepant, ut, quae huic prosunt remedia, alteri obsint; unde hic adfectus ita curatu perdifficilis est. Etenim dum medicamentis calefacientibus indigestionem vincere satagimus, periculum est, ne ex altera parte humorum calor intendatur: atque e diverso, dum sive diaeta, sive remediis refrigerantibus calorem et acredinem humorum commitigare volumus, *ἀπεψίαν* accersimus, labefactato scilicet calore naturali. At vero hic caussam continentem non eam tantum intelligo, quae jam actu articulos obsidens paroxysmum format, sed eam insuper, quae adhuc in sanguine delitescens separationi hactenus est inepta. Perraro enim materia morbifica omnis, a paroxysmo quantumlibet diuturno et crudeli, ita plene egeritur, ut nullae prorsus in corpore reliquiae sint, eodem jam elapso. Ac proinde utriusque hujus caussae, tam extra paroxysmum quam eo vigente, ratio habenda est. Quandoquidem vero materiae continentis eliminatio naturae omnino opus est, sua ipsius methodo peragendum; cumque nihil interea temporis, ad humores calidos acresque leniendos, absque damno digestionibus inlato, possit tentari, nisi ut exulent ac evitentur victus medicamentaque calidiora, a quibus inflammantur humores: maxima certe et praeci-

pua curandi intentio in eo verti debet, ut coctioni indigestionibus sublatis consulatur, de qua jam agam: ita tamen, ut in dissertationis serie ea etiam attingam remedia, prout ansa data fuerit, quae ad leniendum humorum calorem et acredinem retundendam facere possint.

Quaecumque igitur naturae opem ferunt in muneribus suis rite fungendis, sive ventriculum confortando ut alimenta recte coquat; sive sanguinem ad debitam chyli in illum invecti adsimilationem; sive partes solidas corroborando, quo melius succos, earumdem nutritioni atque augmento destinatos, in propriam substantiam convertant; quaecumque denique varia excretionis organa atque emunctoria corporis in eo statu conservant, ut singularum partium recrementa debito tempore atque ordine valeant amandare; haec et hujusmodi omnia huic intentioni adimplendae conferunt, ac proprie digestiva adpellantur, sive pharmaca ea fuerint, sive ratio victus, sive exercitatio, sive alia ex istis quaelibet, quae sex res non naturales indigitantur.

Hujusmodi medicamenta sunt in genere, quae moderate excalefaciunt, et vel amaricant, vel linguam leniter feriunt, utpote quae ventriculo sunt pergrata, sanguini medentur, et caeteras partes fovent confortantque; qualia sunt, verbi gratia, radices angelicae, enulae, folia absinthii, centaurei minoris, chamaedrios, chamaepityos, etc. Addi possunt etiam antiscorbutica vulgo dicta, ut radices raphani rusticani, folia cochleariae hortensis, nasturtii aquatici, etc. Cum autem herbae istae acres ac pungentes, utut stomacho adrideant, atque eidem conferant in coctione juvanda, morbi tamen fomiti jamdiu formato aculeos subdent et augeant calorem, parcius usurpandae veniunt prae aliis istis, quae miti calore atque amaritudine et ventriculum corroborant, et sanguinis massam vegetiorem reddunt ac magis vitalem.

Eorum species aliquot adfabre permistae humoribus concoquendis rectius, ut mihi videtur, quam simplex quodlibet ex eorum tribu desumtum ministrant. Quamlibet enim quoties specifica medicamenti cujuslibet virtute opus est nobis, regula tenet, *quo simplicius eo melius;* tamen cum id habemus propositi, ut huic

illive indicationi satisfaciendo aegrum sanemus, singula ingredientia symbolum pro morbo curando quasi conferunt: atque in hoc casu, quanto major est simplicium numerus, tanto potentius medicamentum operabitur. E praedictis itaque et reliqua ejusdem farinae materia medica, variae remediorum formulae ad hunc scopum tendentes concinnari possunt. Ego formam electuarii ad exemplum theriacae Andromachi caeteris praefero, ceu viribus praestantissimam, eo quod mutua simplicium confermentatio omnium virtutem adaugeat, quasi aliquid tertium progignens, quod in ita conjunctis majorum est virium in pari quantitate, quam in eorum quolibet. Verum tam delectum ejusmodi ingredientium, quam formulas, quibus exhibenda sunt, prudenti medico lubens relinquo; cum numquam mei officii esse duxerim receptulas, ut vocant, conscribere, at potius veras indicationes notare, ad quas curationes sunt dirigendae: quod cum minus observetur, ex hinc, ut alibi dixi, empiricis ansa data est, ut se artis medicae principes jactent.

Verumtamen tironum gratia remedium, quo ego uti soleo, in medium proferam, quod ad hunc modum componitur; Rec. Rad. Angel., Calam. aromat., Imperator., Enul., Campan., Fol. Absinth. vulg., Centaur. min., Marrub. alb., Chamaedr., Chamaepit., Scord., Calaminth. vulgar., Parthen., Saxifrag. pratens., Hyperic. Virg. aur., Serpyl., Menthae, Salviae, Rutae, Card. ben., Puleg., Abrotan., Flor. Chamaemel., Tanacet., Lil. Conval., Croci anglican., Sem. Thlasp. Cochlear. hortens., Carvi, Bacc. Junip., singulorum quantitatem sufficientem. Legantur singulae herbae, flores, et radices, quo tempore viribus pollent maximis. Siccentur ac in papyraceis sacculis adserventur, dum in pulverem tenuissimum redigantur. Singulorum unciae sex simul probe mistae excipiantur s. q. Mellis opt. despumati, et Vini Canarini, et in Electuarium debitae consistentiae conficiantur l. a. Sumat drachmas duas mane et sero. Vel hujus defectu, sequenti utatur. Rec. Cons. Cochlear. hortens. unc. un. sem. Absinth. roman. et. Flaved. Aurantior. aa. unc. un. Angelic. condit., Nuc. moschat. condit. aa. unc. sem. Theriac. Androm. drachm. tres Pulv. Ari comp. drachm. duas cum s. q. Syrupi Aurantiorum fiat Electuarium. Capiat drachmas duas bis in die, su-

perbibendo sequentis aquae cochlear. v. vel vj. Rec. Rad. Raphan. rust. incis. unc. tres, Cochlear. hortens. manip. xij. Nasturt. aquatic., Beccabung., Salv., Menth. aa. manip. iv. Cortic. aurantior. N°. vj. Nuc. moschat. contus. N°. duae. Cerevisiae Brunswic. libr. xij. Destillentur organis communibus, donec solummodo librae sex Aquae eliciantur pro usu.

E medicamentis vulgo cognitis theriaca Andromachi concoctionibus roborandis prae caeteris confert. Cum tamen plures in se species contineat, quae plus satis calefaciant, atque insuper Opio abundet, electuarium supradictum commodius parari potest e vegetabilibus praecipuis excalefacientibus et corroborantibus. Curandum est interim, ut ea simplicia eligantur, quae ad aegri gustum magis faciant; cum enim diu admodum, scilicet ad omnem fere aetatem, in ejus usu perseverandum sit, omnino convenit, ut palato minus sit ingratum. Inter simplicia cortex peruvianus primas obtinet, cum sanguinem corroboret vegetumque reddat, si ejus grana aliquot mane et sero adsumantur.

Et sane uti in hoc adfectu, de quo jam agimus, ita et in aliis chronicis plerisque, haec et huic similia remedia, quae sanguinem corroborant vegetumque reddunt (si modo eorumdem calor, propter caussas postea adferendas, in spiritibus vinosis non consistat), prae caeteris juvant; quandoquidem singuli hujus generis morbi ad unam eamdemque caussam universalem, humorum scilicet indigestionem, si recte conjicio, referri debeant.

Nihil est autem, ex quo hoc certius evinci poterit ac probari, quam si ob oculos ponamus differentiam, quae inter morbos acutos et chronicos intercedit; quam ob caussam aequus lector boni consulet, si paulisper ab eo quod jam prae manibus est, negotio, digrediar. Prout itaque morbi acuti ii fere habentur, qui cito vel perimunt, vel ad concoctionem perducuntur; ita chronici adpellantur isti, qui vel non omnino vel tarde admodum, et longa temporis mora ad eamdem coctionem pertingunt. Atque hoc quidem tam ipsa rei natura, quam verba, quibus illa exprimitur, aperte loquuntur; at vero caussa hujus differentiae quae inter haec duo morborum genera deprehenditur, altius latet, haud ita facile

eruenda: cujus indagationi si aliquantisper immoremur, operae, ut puto, vix nos poenitebit; cum harum rerum notitia clara ac distincta ad inveniendas veras indicationes horum morborum curationi adcommodas magnum monumentum adferre queat.

Sive interiora terrae viscera, si ita loqui fas est, varias subeant mutationes, unde a vaporum inde exhalantium interventu aër inquinetur, quod mihi maxime probatur; sive inficiatur atmosphaera omnis ab alteratione, quam eidem inducit peculiaris aliqua corporum coelestium quorumlibet conjunctio: res ita se habet, ut ad hoc illudve tempus aër particulis referciatur, quae humani corporis oeconomiae adversentur; uti etiam alio tempore istiusmodi particulis impraegnatur, quae cum corporibus speciei alicujus brutorum minus conveniunt. His jam temporibus, quoties nos hujusmodi noxia et naturae inimica *μιάσματα* in nudum sanguinem inspiratione attrahimus, et in illos morbos epidemios incidimus, quos illa parere apta nata sunt, natura febrem accersit, solemnem nempe sibi machinam ad sanguinem a materia aliqua hostili et contraria, intus stabulante, vindicandum. Et tales morbi epidemii vulgo audiunt, et ideo acuti sunt et breves; quia motum habent ita celerem et violentum. At vero praeter hos morbos a caussa externa excitatos, sunt et alii perinde acuti, ab hac vel illa peculiari sanguinis inflammatione nati qui non a caussa aliqua generaliori ab aëre pendente, sed a particulari particularium corporum anomalia, vel intemperie producuntur. Quod quidem febrium genus ego intercurrens et sporadicum idcirco vocito, quod annis fere quibuslibet occurrant.

At vero morbi chronici genium habent longe ab his diversum: quamvis enim aër minus salubris, hujus vel illius generis, ad hos morbos generandos multum conferat; non tamen aëri ita immediate originem debent suum, sed utplurimum communi omnium horum parenti, humorum scilicet indigestioni. Ubi enim quis naturae principia jam habuerit infirmata ac protrita, sive a senecta, sive a magnis et continuis circa sex res nonnaturales erroribus, praecipue in cibo potuque; vel si organa secretoria eo usque fuerint debilitata, ut jam functionibus suis

ad defaecandum sanguinem et ejus superfluitates eliminandas destinatis prorsus fuerint imparia, his in casibus uberiori humorum proventu jam coagmentato, quam cui digerendo hominis vires sufficiant, dicti humores mora diuturniore varias fermentationes, ac putrefactiones, patiuntur, tandemque in speciem erumpunt, et varias morborum species edunt pro depravationum varietate. Et prout hi succi depravati variam habent indolem, ita varie in hanc illamve partem dilabuntur, quae iisdem excipiendis aptissima est; atque ibi sensim longam illam symptomatum seriem explicant, quae partim a talium succorum natura, partim ab *ἀταξίᾳ* istis partibus inlata solent exoriri: quae duo simul juncta istam naturae *ἀνωμαλίαν* constituunt, quae morbi alicujus nomine insignitur.

Jam quod ejusmodi impotentia naturae ad coquendos humores plerumque morborum chronicorum caussa sit praecipua, facile liquebit, si animadvertamus senes, quorum coctiones sunt laesae, et spiritus, earum instrumenta, absumti a repetitis vitae longioris functionibus, hisce adfectibus magis esse obnoxios quam sunt juniores, quorum vitae flamma magis accensa recrementa ista coacervata dissipat; et quorum organa secretoria jugi isto caloris naturalis subsidio instruuntur, ut functionibus in totius sanguinis massa depuranda peragendis neutiquam deficiant, nisi insuper premantur et quasi suffocentur a nimia humorum copia. Ad haec talem humorum indigestionem plurium morborum chronicorum caussam esse ex eo constat, quod hyems ad istiusmodi morbos gignendos longe magis faciat, quam aestas. Licet nonnulli ex his morbis non actu exserantur nisi sub brumae exitum; attamen iste humorum proventus, a quo illi pendent, per omnem hyemis decursum succrescens, auctior factus est ab ejus tempestatis frigore et effoeto languore naturam debilitante, quo minus valeat in administranda corporis oeconomia. Unde fit, ut qui aestate satis bene habeant, raro tamen hyeme eos morbos effugiant, ad quos magis sunt proclives, podagram, verbi gratia, asthma, tusses, etc. Atque hinc enim ratio deducenda est, quare peregrinatio in regiones magis australes ita efficaciter eos morbos expugnet, quorum curatio in frigi-

dioribus incassum tentabatur. Eorum, quae de generali morborum chronicorum caussa jam dixi, veritas magis adhuc patebit ab ingenti et quasi stupendo ac incredibili emolumento, quod ii, qui morbis chronicis plerisque, praecipue vero phthisi laborant, ab equitatione percipiunt; quod genus exercitii digestiones singulas invigorat firmatque, dum a continua corporis succussione calor naturalis reaccenditur, et organa secretioni destinata in munere depurandi sanguinis rite fungendo promoventur: unde necesse est, ut sequatur digestionum deperditarum quasi renovatio quaedam, et e consequenti totius corporis crasis optima.

Quocirca e rationibus jam adlegatis satis elucescit, quod non in podagra tantum, sed et in aliis quoque chronicis morbis, ubi nullum symptoma manifestum contra-indicat, herbas ejusmodi excalefacientes magnum omnino commodum adferre, cum sanguini aestatis calorem vel media hyeme concilient: quamvis si aestivo tempore earum usui adsuescamus, melius praecavebunt mala ista, quae diversa tempestas solet adportare. Et profecto si ad hyemis usque adpulsum deferantur, quo tempore ingens humorum saburra adcumulatur, periculum est, ne sero nimis ad hoc asylum confugiamus, et, quod dici solet, *μετὰ πόλεμον συμμαχία*. Quamvis autem, ut supra fusius disserui, podagra id sibi habeat peculiare, ut non tantum non juvetur, sed et laedatur a catharticis; tamen in aliis chronicis plerisque et venaesectio quoties opus fuerit repetita, et purgatio ante sunt imperanda, quam remediis corroborantibus et digestivis, hic a me laudatis, opera danda est: ubi vero se aeger his addixerit, in iis perseverandum est, nullis intercalatis evacuationibus. Etenim hoc est firmiter retinendum, quod quoties cujuscumque morbi curatio remediis corroborantibus innititur, evacuationes, qualescumque eae fuerint, officiunt prorsus. Denique non is sum, qui adseram medicamenta digestiva jam memorata caeteris quibuscumque praestare: at vero dico eum, qui remedium ad hanc intentionem satisfaciendam potentissimum invenire potuerit, longe majora in sanandis morbis chronicis praestare posse, quam ipse se posse existimaverit.

Istud vero in omnibus, quae de podagra sanan-

da dicturus sum, praemittendum est et maximopere prae caeteris observandum, nempe quod digestiva remedia quaecumque, sive medicamentorum adparatu, sive diaeta, sive exercitatione ea constant, haud obiter instituenda sint, verum constanter atque omni adhibita diligentia assidue usurpanda. Cum enim in hoc morbo, uti etiam in chronicorum quamplurimis, caussa ejus in habitum et novam quasi naturam transiverit, nemo sanus existimaverit leviculam aliquam ac momentaneam alterationem sanguini atque humoribus, a quolibet sive remedii sive victus genere superinductam, curationis scopum posse attingere; at vero corporis habitus omnis alio traducendus est, atque homo integer deinceps quasi nova incude refingendus. Neque enim hic ita se res habet, atque in morbo acuto aliquo, ubi is qui modo athletice ac pancratice valebat, derepente febre correptus, ac optimo sanitatis statu in morbum periculosissimum, quasi rupto ponte, praeceps ruit. Podagrae dispar admodum ratio: ubi quis per multos annos continuos comessationibus, compotationibusque intemperantius indulgendo, solita exercitia intermittendo, desidia atque pigritia intabescendo, vel etiam nimio studio atque irremissa animi intentione, aliisque vitae erroribus, id egit tandem quasi dedita opera, ut varia corporis fermenta pervertantur, atque opprimantur spiritus animales (qui coctionis instrumenta sunt primaria), unde humores praeternaturales coacervati erumpunt tandem, cum jam ad summum gradum exaltati fuerint, ac stragem edunt; carnibus denique emollitis, et effeminatis articulis, unde humores illabentes promptius excipiunt. Atque ita demum alia quasi natura sensim superinducitur, pristina et naturali corporis oeconomia eversa funditus et deleta: cum isti paroxysmi, qui hominum incautorum ac minus perspicacium oculos animosque soli fere perstringunt et occupant, nihil prorsus aliud sint, quam series et ordo symptomatum, ab illa methodo pendentium, qua uti solet natura in materia morbum committente foras pellenda. Quamobrem operam ludit, quisquis hoc illove sive medicamento, sive etiam regimine subinde in usum revocato hunc morbum protelare satagit. Cum vero hic habitus tum in digestionum omnium labefactatione, tum et in amissione

firmitudinis naturalis partium singularum praecipue fundetur ac constet, utrique malo occurrendum est; et tam coctionum robur, quam firmitudo partium pedetentim reduci debet ac restaurari, pro modulo scilicet pristinae ac consuetae corporis oeconomiae. Quantumlibet vero istud plene perfecteque fieri non posse videatur, non eo solum nomine, quod habitus quicumque non nisi aegerrime in sibi contrarios transmutantur, sed etiam quod aetas senilis, quae huic morbo utplurimum comes est et socia, vehementer refragatur: tamen quantum vires annique sinent, tentanda est curatio, et prout aeger propius ad hanc metam accedet, vel recedet longius, podagrae tyrannidem magis minusve effugiet.

Atque porro animadvertendum est, quod remedia πεπτικὰ vel digestiva, sive partem medicam ea spectant, sive diaeteticam, in paroxysmorum praecipue intervallis in usum revocanda sunt; idque quam longissime fieri potest a paroxysmo insecuturo. Neque enim sine magna temporis mora et pertinaci remediorum usu concoctionum omnium corroboratio, fermentorum corporis jam imminutorum restauratio, tantaque firmitas, quantum expetunt tum sanguis, tum viscera, senio adversante possunt acquiri.

Quantumlibet vero prosint haec aliaque ejusmodi remedia, attamen hisce solis haec corroborandi intentio fatisfieri nequit: sed et earum etiam rerum habenda est ratio, quae ad artem prope medicam non spectant. Et certissime voto frustrabitur is, qui in hoc illove morbo chronico omnem curationem medicamentis solis absolvi posse autumat. Primum itaque ea in cibo potuque mediocritas est observanda, ut neque plus alimenti ingeratur, quam ventriculus concoquere valeat, ac proinde morbo fomes subministretur: neque e contra, nimia abstinentia partes ea proportione defraudentur, qua earumdem robur et vigor debuerat sustineri, unde etiam magis debilitentur; quorum utrumque ex aequo nocet, prout tam in me ipso quam in aliis haud semel expertus sum. Ad haec, ciborum qualitatem quod spectat, licet εὔπεπτα per se considerata δυσπέπτοις praeferenda sint, attamen aegri palato est consulendum: quandoquidem observandum est, quod saepenumero id, quod ventriculus vehementer appetit, licet difficilius co-

quatur, citius tamen a natura vincitur quam quod facilioris concoctionis habetur, si ventriculo nauseam creet: at vero quae *δύσπεπτα* habentur, idcirco parcius sunt comedenda. Unica etiam ciborum specie singulis pastibus vescendum arbitror, cum varia carnium genera simul ingesta plus ventriculo molestiae facessunt, quam unicum quod omnia ista quantitate exaequet. De caeteris, demta carne, pro libitu comedat, modo nec acria, nec sale condita sint, nec aromatis; quae licet coctionem non laedant, nocent tamen quatenus morbi fomitem exagitant.

Tempora quod attinet, prandere tantum expedit; cum enim lectus humoribus digerendis proprie dicetur, id temporis in cibis concoquendis non est insumendum. Non coenent itaque qui podagrae sunt obnoxii; haustum tamen cerevisiae alicujus tenuioris liberaliorem sibi indulgeant: quandoquidem etiam renum calculo generando proclives fere sint tales; cujus concretio a liquore ejusmodi hoc tempore hausto multum impeditur, refrigeratis scilicet ab eo renibus prolutisque.

Γαλακτοποσία, seu diaeta e solo lacte sive crudo, sive cocto, exulantibus caeteris omnibus, nisi quod panis aliquid semel forte in die adjiciatur, ab annis retro viginti obtinuit. Profuit haec quamplurimis prae caeteris hujusce morbi praesidiis, quamdiu ne latum unguem ab ea discesserint. Quamprimum vero ad sanorum diaetam, utut lenem mitemque, sese receperit, qui huic insueverat, podagra confestim reversa aegrum pejus longe quam antehac vexavit: labefactatis enim hac methodo naturae principiis, aeger jam morbo pellendo magis impar redditur, unde et periculosius infestat et diuturnius. Qui igitur huic se methodo tradere cogitat, primum serio secum perpendat, num valeat per omnem vitam in eadem persistere: quod tamen fortassis penes eum non erit, utut propositi tenax fuerit. Novi enim nobilem quemdam, qui postquam per annum integrum solo lacte victitaverat, non tantum sine offensione, sed et cum summa voluptate (quo tempore quotidie semel aut pluries dejecerat); sistente derepente alvo ac mutata corporis temperie, manente vero adhuc animi propensione, et ventriculo tandem ad lac nauseante, absistere coactus est. Nonnulli vero hypochondriaci,

crasso corporis habitu vel qui alias liquoribus spirituosis diu multumque adsuevere, lactis usum nullatenus ferre possunt. Interea emolumentum illud perbreve ac fugax, quod ex hac diaeta percipiunt illi, quibus cum lacte convenit, hinc oritur, videlicet quod non tantum diaeta sit simplicissima (unde nullus dubito, quin jusculum avenaceum, modo ventriculus illud ferat, idem praestare possit), sed etiam sanguinem dulciorem mitioremque reddat, particulas in eo acriores contemperando: atque insuper, quod ego palmarium judico, cum lac alimenti genus sit adultis prorsus impar, istam humorum turgescentiam sive virositatem reprimit, cui podagra ortum debet; atque eo nomine paucos istos, quibus congruit, tamdiu a podagra immunes praestat, quamdiu eo solo vescuntur, nec juvat ulterius. Cum enim podagrae caussae originali ac primariae, nempe concoctionum ac fermentorum debilitati omnino contrarietur, longe magis hac ratione obest, quam altera prodest. Quod cum minus perspectum fuerit, nonnulli incautiores in errores permagnos et plane exitiabiles inciderunt; dum morbi caussae continenti, humorum scilicet calori et acredini, obviam ire satagentes, concoctiones pessumdederunt, et functiones naturales prostraverunt omnes.

Liquores quod spectat, ii, me judice, optimi sunt qui neque ad vini generositatem adscendunt, nec ad aquae debilitatem deprimuntur, cujusmodi sunt cerevisia tenuis Londinensis, sive lupulata, sive non lupulata, cum extrema ab utraque parte noceant. Primum de vino, licet proverbio jactetur: „vinum potans podagra laborabis, et vinum non potans laborabis podagra“; extra controversiam tamen est et variis *ποδαγρώντων* experimentis confirmatissimum, vinum de facto officere. Licet enim prodesse credatur juvandis coctionibus, quarum vitia caussam podagrae antecedentem jamdudum statui; ratione tamen caussae continentis omnino obesse censendum est, humores scilicet, fomitem morbi, jam in procinctu stantes accendendo exagitandoque. Sed neque damus, vinum pro potu ordinario usurpatum coctiones promovere, at potius subvertere dicimus, nisi in diu vino adsuetis. Quamvis enim calorem aliqualem in transitu impertiat, certissimum est tamen, fermenta

corporis ab eo subjugari, et avocari spiritus naturales atque fugari: unde est, si bene conjicio, quod bibaces atque nepotes isti male feriati podagra, paralysi, hydrope aliisque morbis frigidis fere perimuntur. Adde, quod jugis et immodica vini ingurgitatio corpus, ad instar corporum feminarum, emollit laxatque; cum liquores temperati partium omnium tonum roborent ac firment: unde qui liquoribus tenuioribus semper adsuevere, podagram fere nesciunt. Notandum est insuper, quod huic morbo maxime obnoxii viri sunt, qui licet imminutam habent concoctionem naturalem, tamen ex quadam sanguinis luxuria plus satis nutriunt, et incrementum sumunt ex materia quadam indigesta, loco substantiae sanioris et rite compactae. Hanc sanguinis luxuriam ὀινοποσία adauget magis, ac proinde tum novam materiae saburram accumulat, tum etiam fomitem jamdiu repositum quasi subdita face actu in morbum provocat. Huic accedat strui, quod cum podagricorum sanguis isti, qui e pleuriticorum aliorumque morbis inflammatoriis laborantium pertusis venis extrahitur, persimilis sit, insanorum esset, sanguinem jam ὀργῶντα ulterius spirituosis liquoribus, ceu ignem oleo, proritare. Neque tutius ex adverso liquores nimium refrigerantes in usum revocantur, cum hi concoctiones prorsus dejiciendo et exstinguendo calorem naturalem, majorem adhuc noxam inferant; non dolorem scilicet ut vinum, sed ipsam adeo mortem: prout experientia docet in iis, qui ad senium usque vino liberalius indulgentes, aquam aut tenuiores liquores derepente cum vino, et non ita diu post vitam cum morte commutarunt.

Hic itaque podagrae obnoxiis in potu modus statuatur, ut iis utantur liquoribus, qui neque vel in maxima copia adsumti inebriare possunt, neque frigore suo ventriculum laedere. Hujusmodi est, ut dixi, cerevisia tenuis nostras, et in aliis regionibus confici poterit ex multa aqua, cum pauco vino permixta. Aquam puram crudamque et periculosam existimo, et expertus sum meo damno. Attamen satis commode ab ineunte aetate potatur aqua, qua hodieque longe major hominum pars sitim levat: inopia sua feliciores sunt illi, quam nos nostra copia et luxu. Testes adpello ingens morborum ag-

men, quo corpora nostra hoc nomine discruciantur, podagram scilicet, calculum, apoplexiam, paralysin, etc., tum et vim animis inlatam, qua a nativa rectitudine transvorsum aguntur, dum adventitii talium liquorum spiritus, cum spiritibus animalibus cogitationi formandae inservientibus complicati, mentem nimium volatilisando perturbant, vana ac futilia loco rerum solidarum atque alicujus momenti, subingerentes: atque ita demum ingeniose lepidos ac dicaces pro sapientibus nos reddentes; inter quos eadem ferme differentia intercedit atque est inter substantiam et prorsus nihil. Sed de his satis.

Jam vero quamvis sufficiat ei, qui podagra mitius ac tantum per intervalla laborat, vel cerevisia tenui uti vel vino dilutiori, cum is morbi gradus tanti non sit, ut severiori regimini se subjiciat; attamen cum universa corporis substantia in podagram quasi degeneraverit, minus quam exoptet in profligando morbo promovebit, qui non a liquore fermentato quocumque, quantumvis leni et tenui, in totum abstinet: cum hi omnes spiritus pungentes, et aliquem acredinis gradum in se contineant, et quod pejus est, quatenus fermento imbuti (perinde ac flores cerevisiae liquoribus inditi vim suam fermentativam toti massae communicant) humores fermentationi perpetuae addicunt. Potus itaque diaeteticus ex ingredientibus vulgo notis et huic usui dicatis, pro tali potu ordinario praescribendus est: modo non sit justo fortior, quo haud multo minus periculose accendentur humores, quam ipso vino; nec e contra aquosior justo, naturales functiones nimia refrigeratione prosternens. Hujusmodi potus si rite paretur selectis ingredientibus istis, quae aegro minus sunt ingrata, licet ad septimanam unam alteramve, non sine aliquali fastidio ita jugiter adsumatur, postea tamen perinde gratus et acceptus est, ac sunt alii liquores, quibus quis maxime adsueverit. Atque ab hoc potus genere non tantum non imminuetur appetitus, sed et augebitur: magis insuper naturalis et genuinus evadet, quam cum liquoribus fermentatis uti soleret. Hoc insuper commodi accedet, quod qui hujusmodi potum diaeteticum loco ordinarii hauriunt, liberius in caetero victu sibi possint indulgere, quam cum cerevisiam biberent, aut vinum: cum

errores in victu (quos omnes penitus evitare pene supra humanam sortem est) hoc pacto aliquatenus corrigantur compensenturque. Quod vero omnium primum est, aeger hoc modo sibi a calculo praecavebit, qui podagrae fere individuus est comes; cum liquores acres ac attenuantes quilibet, uti ad calculum jam factum proritandum, ita ad eumdem generandum etiam faciunt. Liquor sequens, utpote qui gustu ac colore jucundo est, mihi maxime arridet. Rec. Sarsaparill. unc. vj. Lign. Sassaffr., Chinae, et ras. C. C. aa. unc. duas, Glycyrrhiz. unc. un. Coq. in Aq. fontan. cong. duobus per horae dimidium; deinde stent clausa super cineres calidos per horas 12., postea ebulliant ad tertiae partis consumtionem. Cum primum ab igne amoveatur, infunde sem. Anisi unc. sem. Post duas horas coletur, et postea depuretur per residentiam, et liquor clarus reponatur in lagenis vitreis probe clausis ad usum.

Hic liquor tum primum commodissime in usum trahetur, ubi quis a paroxysmo convaluit; atque in eo perseverandum tam in ipsis paroxysmis, quam in eorum intervallis per reliquum vitae cursum. Neque enim satis factum est, saeviente adhuc morbo novis rebus studere, cum in ejusmodi ἀταξίᾳ et motu inordinato natura vix ferre queat, ut liquores fermentati, qui vegetiores sunt ac magis spirituosi, cum alio inerti ac spiritibus destituto commutentur. Eodem etiam tempore et electuarium praedictum usurpabitur; quod pariter deinceps, tam in paroxysmorum insultibus, quam extra eos quotidie est devorandum. Hujus calor potus diaetetici aquositatem quadamtenus pensabit, sanguini et visceribus debitum caloris gradum concilians, sine ista agitatione, quae excitari solet ab aestu liquorum fermentatorum.

Si quis objiciat eam vitam vix vitalem esse, in qua omnimoda tum a vino, tum ab aliis liquoribus fermentatis abstinentia observatur, respondeo, perpendendum esse, an non longe miserius sit, ac minus tolerabile, diris inveterascentis podagrae cruciatibus (nam in mitiori morbo non hoc postulo) quotidie excarnificari, quam huic soli liquori se adstringere, cujus usu continuato in caeteris esculentis ferme omnibus animo obsequi licet: ut jam

non repetam, quod et hic potus (uti caetera omnia) dulcescet consuetudine. Certe qui hunc morbum expertus est, modo homo, non bipes fuerit pecus, nihil ambiget, in quam partem debeat concedere.

Quo non obstante, si aeger vel a longo ac nimio usu liquorum inebriantium, vel ab aetate provectiore, vel denique prae nimia debilitate cibos absque vino, vel quovis alio liquore fermentato nequeat concoquere, non vacat certe periculo eumdem protinus ac derepente a vino depellere; qui quidem error haud paucis letalis fuit. Prorsus itaque, si me audit, apozema diaeteticum supra praescriptum abdicet: vel, si eodem uti statuerit, ei sensim adsuescat, haustum vini in pastibus, ad tempus aliquod sibi indulgens, quasi remedii loco potius quam diaetae, donec decoctum illud familiarius evaserit. Vinum autem hispanicum hic loci tam rhenano, quam gallico omnino praeferendum est; quae posteriora, licet ventriculo pergrata sint, tamen exacerbandis humoribus et augendo morbi fomiti apta nata sunt. Adde, quod cum aeque fere cruda sint et vix magis concocta, quam est nostrum pomaceum, non perinde cardiaca sunt atque calida ac res postulat. Atque haec de cibo potuque *ποδαγρώντων* dicta sunto.

Est et aliud, quod tametsi parvi pendatur, magni tamen momenti est tam in digerendo morbi fomite, paroxysmo adhuc vigente, quam ad prohibendam ejusdem materiae generationem extra paroxysmum; nempe ut aeger, maxime hyemis tempore, mature lectum petat. Etenim post venaesectionem et catharsin nihil aeque naturae vires subruit ac noctu vigilare: quod quidem valetudinariorum quilibet expertus adfirmabit, si serio animadverterit, quanto alacrior vegetiorque exsurgit, quoties se lecto temporius commiserit, quam vero enervis est ac languidus, quoties ad multam noctem vigilaverit. Et quamvis res eodem recidere videatur, an citius seriusve quis lectum repetat, modo per tot horas eidem indulgeat, verbi gratia, an hora nona cubitum eat et quinta surgat, vel undecima cubitum eat et surgat septima; multum tamen interest, idque ob hanc, ut existimo, potissimum rationem. Interdiu scilicet spiritus dissipantur sive in corporis exercitio, sive animi, qui in minus recte valentibus ita sunt infir-

mi ac debiles, ut vesperi somni subsidio maturius opus habeant; et cum noctis adpulsus oeconomiae corporis quasi relaxationem quamdam adferat, quae diurno tempore a solis influxu vegeta conservatur, lecti calor, bruma praesertim, solis vicem ut gerat necesse est. Mane vero spiritibus, tam a praegressae noctis quiete, quam a lectuli calore refocillatis invigoratisque, praeterquam quod dies superveniens firmitatem ac robur corporis tono conciliet, diluculo surgere hoc tempore, licet horam unam alteramve a somno matutino detrahat, non ita altum vulnus naturae infligit ac vigiliae vespertinae, ad horam unam vel alteram protractae. Quamobrem istis, qui podagrae sunt obnoxii, auctor ego sim, hyeme praecipue, ut lecto mature admodum se committant, et diluculo exsurgant, quantumvis somnus justo brevior suadeat, ut diutius cubantes eumdem adhuc venentur; cum somnus, qui ita diluculo capitur, secuturae noctis somno tantumdem detrahat, atque ita tandem naturae vi inlata, spretoque sapienti ejus instituto noctem pro die quis habeat, diem perversus pro nocte.

Quinimmo animi tranquillitas omni ope stabilienda est; cum perturbationes omnes, si repagula semel effringant, ad solvendam spirituum, qui sunt digestionum instrumenta, systasin ac proinde ad podagrae incrementum multum faciant. Prudenter itaque secum meditetur aeger mortalitatis suae conditionem, nec se earum, quae eam sequuntur, molestiarum exsortem stultus opinetur: sive enim sui ipsius, sive aliorum culpa hanc animi aegritudinem pariat, non poterit unquam mundo leges dare, qui nemini hactenus, quantumlibet demum potens aut sapiens fuerit, semper morem gessit; neque ita cuiquam semper ex animi voto cedebant res omnes, ac vana mens spoponderat, at derepente inter rerum adparatus animam agens, humanae fragilitatis specimen tandem edit, immerito se brevi vitae fructu spolians. Idem etiam incommodi sequitur nimiam animi ad studia et res serias adplicationem. Cum enim huic morbo, prae caeteris quibuslibet, melancholia vulgo dicta comes semper adhaereat, qui ei sunt obnoxii, spiritus animales diu multumque cogitando, etiam non adhibito artificiali librorum adminiculo, fatigare

solent atque obruere, hoc ipsum ita valde ac nimiopere agentes, ut corporis oeconomia integra amplius conservari nequeat. Quam ob caussam, ut mihi videtur, hic morbus perpaucos insipientes (me excipiat qui volet) occupavit unquam.

Caeteris vero omnibus, quae ad impediendam humorum indigestionem (quam ego primariam podagrae caussam constitui) et ad sanguinem idcirco corroborandum, ac firmitudinem partibus conciliandam faciunt, exercitium corporis facile palmam praeripit. Animadvertendum est autem, uti supra monui, quod cum in hoc morbo, etiam magis quam in chronicorum quovis, totius corporis habitus immutari debeat, exercitatio corporis nisi quotidiana fuerit, nihil juvabit: hujusmodi enim exercitatio per vices intermissa, uti nihil fere conferet ad immutandum habitum corporis ab inertia atque indulgentia jam languescentis et effeminati, ita fortassis et nocere possit paroxysmum accersendo, ubi quis jamdiu ab ea desueverat. Hoc vero exercitium vehemens non sit oportet, tale vero, quale senibus competit, qui podagrae subjecta sunt magis usitata. Motus enim corporis justo vehementior spiritus nimium dissipat, et e consequenti concoctiones laedit; quando exercitatio moderata ac perseverans eosdem firmet. Quantumlibet hoc durum videatur homini, qui praeter senium et corporis ad motum ineptitudinem et socordiam, huic praesertim malo quasi connaturalem, dolore insuper mactatur, tamen, si hoc omittatur, nihil ex hactenus inventis quidquam proficiet. Utque paroxysmorum intervalla sine jugi corporis exercitio magna esse non possint, ita etiam ad calculi generationem talis erit proclivior; qui quidem plus habet et periculi et cruciatus, quam ipsa podagra.

His adde (quod magnum pondus habere debet), materiam tophaceam a longa requie admodum auctam iri in articulis corporis, maxime vero digitorum, ita ut tandem omni motu priventur. Utut enim fidenter adferant nonnulli, horum tophorum materiam nil aliud esse, quam sanguinis tartarum ad articulos transmissum, facile tamen constabit cuilibet rem paulo attentius perpendenti, quod dum magna vis materiae inconcoctae, podagram facientis, in articu-

los quosdam depluit et partes vicinas diutius tumidas reddit, tandem accidit, ut partim harum virtus adsimilativa sufflaminetur, partim a suffocante obstructione, quam in eis parit iners hic humor, dicta materia generetur, quae a calore doloreque articuli in hujusmodi substantiam cogitur; atque indies augetur, tum carnem tum cutim articuli in propriam naturam vertens, quae jam nuda jacet acidula, ad instar cretae, ocul. cancr. aut similis alicujus rei extrahenda. Jam vero hoc malum ab exercitio quotidiano praecavetur, a quo oritur debita humorum podagram generantium, qui unam aliquam partem libenter occupant, difflatio per omne corpus. Unde fit, uti ipsemet expertus sum, quod exercitatio longa et quotidiana non tantum non officit generationi tophorum, sed etiam tophos veteres et induratos solvit, modo non eousque invaluerint, ut cutim extimam in suam substantiam mutaverint.

Exercitii genus quod spectat, equitatio, quoties nec grandior aetas, nec calculus intercedant, reliquis longe praeferenda est. Et sane diu multumque mecum reputavi, quod si cui innotesceret medicamentum, quod et celare vellet, aeque efficax in hoc morbo, ut et in chronicis plerisque, ac est equitatio constans et adsidua, opes ille exinde amplissimas facile adcumulare posset. Hac si uti non liceat, vectio frequens in curru fere eodem recidit. Atque in hoc saltem podagra laborantibus plerisque bene est, quod opes, quae luxuriae, unde pullulavit morbus, irritamenta erant, facultates currus habendi subministrent, quo hac saltem exercitationis specie fruantur, cum altera frui nequeant.

Observandum est autem, quod exercitatio in aëre salubri longe ea praestantior est, quae in minus salubri peragitur: ruri scilicet potius quam in urbe, ubi aër vaporibus a variorum artificum officinis exhalantibus est repletus, et aedificiorum densitate constipatus; qualis est in Londino hoc nostro, urbe, quantum certo scimus, omnium quae in toto terrarum orbe sunt spatiosissima. Quantum vero intersit, an quis ruri, an in urbe se exerceat, podagricorum quivis statim persentiscet.

Quod Venerem attinet, is qui tam podagra quam senecta laborat (quandoquidem jamjam ea spirituum

copia destitutus est, qua concoctiones promoveri debuerant, et per consequens absque hac clade adventitia articulos, et reliquas partes adjacentes plus satis laxatas habet et debilitatas), aeque improvidus meo judicio foret, si ejus lenociniis indulgeret, atque ille, qui cum longum iter emetiendum susceperit, viaticum omne prius abliguriret, quam se viae committeret. Quinimmo praeter malum quod sibi accersit, languidiora aevi jam fatiscentis desideria non cohibens, maximo illo privilegio fruendi jubilaei, quod speciali atque eximio naturae muneri senibus conceditur, se abdicat; qui jam in ultima vitae scena ab earum libidinum impetu, quae, ceu tot rabidae ferae, eos per juventam omnem diu noctuque quasi laniabant, tandem aliquando sunt emancipati: cum horum appetituum expletio nullo modo longum illud malorum agmen, quod eam vel comitabatur vel insequebatur, pensaret unquam. Atque haec de regimine.

Quamvis autem hujusmodi regulae tam diaetam quam caeterum regimen spectantes, si ab homine podagrae obnoxio religiose observentur, eum ab enormioribus morbi insultibus praeservare queant, atque istam sanguini et partibus solidis firmitatem conciliare, quae ab illa malorum Iliade, unde morbus non solum supra humanae patientiae vires, sed et funestus tandem redditur, eumdem immunem praestare possit; non tamen efficient, ut non post quaedam intervalla, maxime exeunte hyeme, podagra quandoque tentetur. Licet enim aestivo tempore, dum tonus vigorque sanguinis a solis calore excitatus fuerit, et in statu conservatus, et pariter debita humorum per poros eliminatio pro voto successit, omnino oportet, ut coctiones longe melius quam hyeme celebratae fuerint; tamen cum adpetente bruma et sanguinis robur fuerit imminutum, et perspiratio per cutis poros impeditior, necesse est, ut ingens materiae indigestae colluvies sit accumulata, quae tandem diuturna mora in speciem prorumpet, propriis se exserens symptomatis et paroxysmum inducens, quamprimum vel ab humorum motu, ab accessu solis propiore, vini potatione, exercitio vehementiori, aut alia caussa evidenti, quacumque ansa detur.

Ex jam dictis liquet, eum, qui hujusce morbi curationem molitur, id negotii sibi dari debere credere, ut totius corporis habitum immutet, atque illud ad pristinam constitutionem refingat, quantum per aetatem et reliquas circumstantias fieri possit; quod in paroxysmorum interstitiis, non in ipsis paroxysmis annitendum est. Cum enim morbi fomes non solum generatus, sed et in articulos jam ablegatus fuerit, sero nimis vel ejusdem mutationem vel eliminationem per alias vias conabimur: cum non alia methodo foras ejiciendus sit, quam ea, quam natura praemonstrat, cui soli permittendus omnino est. Quod et in febrium intermittentium paroxysmis usu venit, quas ob eamdem caussam remediis non oppugnamus, nisi aestu prius consopito. Nec absurdius quis in exstinguendis harum febrium, calore scilicet, siti, inquietudine, aliisque symptomatis anxie operam locaverit, quam existimaverit alius se podagram sanare, cum in podagrae symptomatis tantum coërcendis laboret; cum tantum hoc tempore a curatione morbi abscedat, ut eamdem aliquatenus impediat ac remoretur. Quanto enim magis aegri dolores lenit, tanto magis humorum concoctioni adversatur; quantoque claudicationem arcet, tanto materiae morbificae expulsioni officit. Adde quod quanto paroxysmi furor ac acies retunditur, non solum tanto diutius adfliget, sed et brevius erit spatium interjacens, et minus etiam liberum ab omni gradu symptomatum, quibus hic morbus funestatur. Quod nemo inficiabitur, qui diligenter trutinaverit, quae supra in hujusce morbi historia edisserui.

Quamobrem licet nihil magni in paroxysmo tentandum sit, nisi quod istis symptomatis occurrendum est, quae falsa medendi methodus quandoque parturit; tamen cum omnes uno ore fateantur, morbum huncce ab humorum copia et exuberanti plenitudine nasci; aegro fortasse conducet a carnibus per aliquot dies, ubi primum a morbo corripitur, abstinere, et harum loco simplici jusculo avenaceo uti, aut alio pari alimento: cujusmodi diaeta tenuis materiae morbificae imminuendae multum conferet et naturae opportunitatem subministrabit, qua eamdem ocyus digerat. Cum vero ingens sit corporum aliorum ab aliis discrimen, quibusdam abstinentiam

a carne non ferentibus, statim vero ab ea spirituum animalium ἀναξία, animi deliquio, aliisque symptomatis, qualia feminis hysterica adfectione laborantibus accidere solent, correptis; istos non tantum non juvabit, sed et laedet, si diutius a carnibus abstineant, quam ventriculus earum usum aversetur: quod utplurimum non excedit primum aut secundum diem eorum paroxysmorum particularium, qui omnes simul juncti integrum paroxysmum, ut supra innui, constituunt. At vero sive tardius sive ocyus quis carne vescatur, serio cavendum est, ne urgente morbo majore copia utatur, quam quae ad naturam sustentandam necessaria sit, nec minore cura opus est in adsignanda victus qualitate. Namque ut semper in paroxysmorum intervallis, ita praecipue paroxysmo jam praesente, aeger summopere curare debet, ne quid vel in quantitate vel qualitate sive potus, sive ciborum peccetur. Neque in hoc solo, sed in alio omni regimine, de quo fusius egi, in intervallis observando, cautela haud vulgaris adhibenda est. Et licet tam dolor quam magna ad motum inhabilitas, exercitio, quod ego prae caeteris omnibus laudavi, contra-indicare videantur, tamen et hic labor exantlandus omnino est. Quamlibet enim, in paroxysmi initio, aegro impossibile videatur, ut lationem in currum, multo minus ejus motum ferre queat; attamen si id tentaverit, non ita diu post sentiet se minus a tali motu dolere, quam cum in se cathedra domi contineret. Id insuper accedit emolumenti, si ad horas aliquot tam mane, quam post meridiem, in curru vectus fuerit, quod cum domi toto die sederet, noctem fere insomnem ageret, jam dolorem somno ad multam noctem fugare poterit; cum exercitatio permodica podagra laborantem eousque delasset, ut in somnum dilabatur. Adde quod eadem exercitatio calculum, quem vita deses ac iners utplurimum accersit, quadamtenus praecavebit. Quod vero maximi momenti est, a jugi ac pertinaci exercitio occurretur totali artuum ad motum impotentiae, quae haud paucis accidit post paroxysmum unum alterumve diuturniorem, contractis sive poplitum, sive calcaneorum tendinibus: dum enim in cruciatu longiore quieti indulserint (maxime crura nolentes extendere, quoties dolor genu occupaverit), tandem crurum ac

pedum motu per reliquum vitae tempus orbati sunt tam in paroxysmorum interstitiis, quam in ipsis paroxysmis, quos non ita tamen effugiunt. Quinimmo in iis senibus, quorum concoctiones admodum vitiatae sunt, et qui a morbo per multos annos adfligente ipsam corporis substantiam quasi in podagram habent conversam, nihil minus sperandum est, quam ut morbus sine exercitio ad digestionem perducatur umquam: cum enim morbus naturam viribus superet, saepe moriuntur a languore atque aegritudine, quae fomitis morbosi copia concoctionem respuentis adportat; et ab hac materia inconcoctili, quae nullo modo potest adsimilari, tanquam a veneno enecantur.

Attamen, non obstantibus iis, quae de exercitii utilitate in podagrae paroxysmis dicta sunt, si tamen aeger prae nimia paroxysmi atrocitate primo statim insultu quasi prostratus fuerit (quod istis fere usu venit, in quibus podagra jam ἀκμὴν suam attigit, nec adhuc a multorum annorum decursu mitigata est), hoc in casu si aeger cubiculo includendus est, e re erit, ut etiam lectulo ad primos dies aliquot, donec scilicet doloris vehementia remiserit, idem includatur: etenim lectulus exercitii defectum aliquatenus supplebit; cum ejus usus continuus materiam morbificam potentius digerat paucis diebus, quam excubatio aliquammultis, maxime incipiente morbo; si modo aeger absque lipothymia aliisque malis symptomatis a carnibus abstinere queat, solo jusculo avenaceo, cerevisia tenui et caeteris ejusmodi contentus. Verumtamen haud omittendum est, quod si podagra jam inveterata fuerit, atque aeger ad animi deliquia, ventris tormina, diarrhoeam, aliaque his similia symptomata propendeat, vix Libitinam evitabit ab aliquo paroxysmorum jugulatus, si non exercitio utatur, idque in aëre liberiore ac perflabili loco; quod diligenter animadvertendum censeo; quando magnus podagricorum numerus iis symptomatis jam perierit, quibus haec in cubiculo, et praesertim in lecto incarceratio eosdem obnoxios fecerat; qui non ita mature fato concessissent, si molestiam vectationis per majorem diei partem devorare voluissent. Licet enim, qui unico artuum dolore fatigatur, se cubiculo possit includere, tamen qui loco doloris acer-

bissimi, aegritudine, aliisque symptomatis praedictis laborat, talis idem imitando se in vitae discrimen conjiciet. Et quidem bene nobiscum agitur, quod quoties dolor ita vehemens est, ut aeger motum tolerare non valeat, neque eo admodum opus habeat; ipso dolore, quod amarissimum est naturae remedium aegro de vita prospiciente.

Jam vero quod attinet podagrae symptomata; iis occurrendum est, a quibus aéger in paroxysmo de vita periclitatur. Horum maxime familiare est ventriculi debilitas ac languor, cum ventris torminibus tamquam a flatu; quod iis accidit, qui vel jam a multis annis podagrae obnoxii vixerunt; vel iis, qui licet non ita diu eadem laborantes, hoc tamen mali invitarunt praepropere, liquores spirituosos cum tenuioribus et multum refrigerantibus derepente commutantes, vel emplastra repellentia, aliaque medicamenta refrigerantia partibus adfectis ad leniendum dolorem admoventes; unde morbi caussa materialis, quae in artus debuerat deponi, in viscera rejicitur. Multa egomet expertus sum in postremorum annorum paroxysmis ad mitigandum hoc symptoma: nihil vero aeque votis respondit ac vini Canariensis haustulus subinde deglutitus, languore atque aegritudine urgentibus: neque vel vinum gallicum rubrum, vel theriaca Andromachi, neque aliud quodlibet e cardiacis mihi hactenus notis pares habet vires. Sed neque vinum hocce, nec cardiacorum aliud quodlibet aegrum, si exercitio non utatur, omnino servare posse existimandum est.

Sin autem gravius aliquod symptoma, inducias haud ferens, ex retrocessu materiae podagricae subito ingruat et mortem aegri minitetur, neque vino, neque exercitio supra laudatis fidendum; verum hoc in casu, modo non caput, at partes vel naturales, vel vitales ejusmodi malum impetat, ad Laudanum statim confugiendum; nempe Laudani liquidi gutt. xx. haustulo aq. epidemiae immistae propinentur, et in lecto ad quietem aeger se componat.

Quod si materia podagram committens, quia non jam in artus fuerit eliminata, diarrhoeam induxerit, modo ea paroxysmi singularis crisis non fuerit, et Laudano jam laudato, et exercitio omnimodo (hoc enim inprimis ad diarrhoeae curationem obeundum

est) non obstante, alvus nihilominus diutius fluat, aegritudine, torminibus ventris, etc. accedentibus, unicum, quod scio, remedium est, ut sudor provocetur methodo et medicamentis huic usui destinatis: quod si fiat biduum triduumve mane et vesperi per duas tresve horas continuas, sistetur utplurimum diarrhoea, et morbi fomes magna vi in artus detonabit. Hac ego methodo aliquot retro annis meae vitae consului, postquam me in hoc malum a potatione aquae frigidae, pro ordinario potu, imprudens conjeceram; idque posteaquam cardiacorum et adstringentium varii generis opem frustra imploraveram.

Est et aliud symptoma non perinde crebrum, quod tamen aliquoties ipse vidi, metastasis scilicet materiae peccantis in pulmonum lobos; quoties nempe tussis brumalis a frigore tempore paroxysmi suscepto materiam sensim in pulmones allicit, artubus interim, ob translationem materiae morbificae in aliam regionem, vel omnino, vel tantum non tam a dolore quam a tumore liberatis. Uno hoc in casu intentio curativa non ad ipsam podagram dirigenda est, at vero hoc symptoma pari modo tractandum est, quo peripneumonia absoluta; venaesectione scilicet repetita, cum diaeta et remediis refrigerantibus ac incrassantibus, cum sanguis in hoc symptomate praecipue extractus pleuriticorum sanguinem prorsus referat. Purgandus est insuper aeger inter venaesectiones potionibus lenientibus, quibus haec colluvies in pulmones illapsa possit amandari. Sudoris autem provocatio, quam vim cumque habeat in morbi fomite super artus deturbando, hic tamen non tantum non prodest, sed et obest materiam pulmonibus impactam indurando; unde generantur abscessuli, et tandem aegri mors certissima subsequitur.

Hic porro notandum, quod podagrici fere omnes, postquam cum hoc morbo diu conflixere, calculo renum sint obnoxii; proindeque vel statu, vel declinatione saepius paroxysmi generalis nephritico dolore laborare soleant; idque cum magno aegrorum non tantum cruciatu sed et virium dispendio, cum jam plus satis attritae fractaeque eae fuerint. Hoc in casu posthabitis quibusvis aliis remediis, liquoris possetici, cui rad. Althaeae unc. duae incoctae fuerint,

congius unus quam citissime devoretur, et sequens enema injiciatur.

Rec. Rad. Alth. et Lilior. aa. unc. un. Fol. Malvae, Parietar., Branc. ursin. et flor. Chamaem. aa. man. j. Semin. Lini et Foenigr. aa. unc. sem. Coq. s. q. aq. ad libr. un. sem. Colatura dissolv. Sacchari culinaris et syrup. Dialth. aa. unc. duae. M. F. Enema. Quumprimum per vomitionem aeger totum reddiderit, quod per os ingestum fuerit, ut etiam enema rejecerit, Laudani liquidi satis magna dosis propinetur, videlicet ad gutt. xxv. vel pilul. Matthaei gr. xv.

Remedia externa si quis quaerat ad leniendum dolorem accommoda, nulla mihi hactenus cognita sunt (licet plurima tum in me ipso, tum in aliis expertus fuerim) praeter mere refrigerantia et repellentia; quorum usum jam docui periculo haud vacare. Et fidenter adsero multa et longa observatione suffultus, maximam partem eorum, qui podagra periisse putantur, non tam ipso morbo quam sublesta atque indebita medicatione fuisse peremptos. Si quis autem remediorum externorum, quae pro anodynis indubitatis habentur, virtutem probare velit, non fucum sibi faciat, eadem sub declinatione paroxysmi particularis (quo tempore dolor jam sponte sua cessurus est) adplicando: quin potius sub initio paroxysmi ista usurpet, et statim edocebitur, quam ficulneum sit illud auxilium, quam vana spes; cum haec epithemata nocere quandoque possint, prodesse numquam. Qua de caussa egomet jam a multis annis nulla remedia externa adhibui; pulticula ex pane similagineo cum croco in lacte cocto, addito postea oleo rosaceo in pauca quantitate, mihi olim prae caeteris profuit; quae tamen in paroxysmi initio nihil prorsus juvabat. Si igitur dolor admodum saeviat, aeger rectius sibi consulet se in lecto continendo, donec is aliquantisper remiserit, quam anodynis utatur: attamen haud abs re fuerit Laudani pauxillum vesperi sumere, si dolor patientiam multum vincat; aliter melius omittetur.

At vero cum in externis hujusmodi remediis jam sim, omnino aliquid mihi dicendum est de musco quodam indico, moxam vocant, nuper magni nominis in podagrae curatione; si nempe pars adfecta

eadem accensa leviter ustuletur. Quamlibet hoc remedii genus Indis orientalibus acceptum referatur, atque Europaeis universim omnibus pro incognito habeatur; attamen constabit, antiquioris id esse aevi etiam apud nos, illi, qui HIPPOCRATIS effata, jam ante annos bis mille literis tradita, voluerit consulere. In praestantissimo illo de adfectionibus libro, sect. quinta, pag. mihi 524. de ischiade agens, haec habet: „εἰ δὲ ἐς ἕν τι χωρίον," etc. i. e. „quod si in uno aliquo loco firmiter constiterit dolor, neque medicamentis expellatur, quocumque loco forte exstiterit, eum lino crudo inurito." Et paulo post de podagra verba faciens: „ξυμφέρει δὲ καὶ ταύτῃ," etc. i. e. „huic eadem, quae articulari morbo conferunt, et longus quidem hic morbus est et gravis, minime tamen letalis. Quod si in digitis dolor remaneat, venas in digito paulo supra articulum inurito; ustio autem per linum crudum fiat." Opinor, neminem posse existimare, eam esse differentiam specificam inter flammam vel a lino, vel ab hoc musco indico excitatam, ut haec illa in sanatione podagrae plus valeat, non magis quam reputaverit ignem e roboris segmentis accensum majus aliquid praestare posse illo, qui fraxini ligno alitur. Haec partis adfectae ustulatio aliquid pollicetur (quod et efficere quandoque possit) ad doloris commitigationem, evocata scilicet fomitis morbifici parte subtilissima ac maxime spirituosa, in articulum jam deposita. Attamen beneficium ab hoc remedio partum cum indigestionem, quae podagrae caussa est antecedens, nullo modo attingat, fugax esse oportet ac breve. Neque opus est, ut dicam, illud in podagris tantum incipientibus locum habere; quando enim sive a morbi diuturnitate, sive ab importuno atque indebito medicamentorum usu podagra, ut subinde fit, ad partes internas fuerit conversa, ac proinde aegritudine, torminibus ventris, atque longo hujusmodi symptomatum agmine potius, quam dolore aegrum multaverit, nemo sanus igne utendum esse arbitrabitur.

En vobis omnia, quae mihi hactenus comperta sunt in hujus morbi curatione. Si quis objiciat multa esse remedia specifica ad podagram; ego me ea nescire lubens fateor: et vereor, ne promissores isti perinde sint ignari ac sum ego. Et sane dolen-

dum est, medicinam (artem nobilissimam) hujusmodi nugis, quae, sive ab inscitia, sive a pravitate scriptorum, credulis objiciuntur, usque adeo deturpari; cum in omni fere morborum genere hujusmodi aliquid a nugivendulis, tamquam *θεῶν χεῖρες*, decantetur pleno ore. Et, quod est magis mirandum, quod non tantum in morbis typo indutis hujusmodi deliramenta obtineant, sed et in minime formatis, qui ab organorum laesione aliqua, aut *προφάσει* externa producuntur, viris etiam caetera cordatis imponant. Atque hoc satis evincunt specifica in contusionibus vulgo praedicata, qualia sunt sperma ceti, tegula hybernica, etc. quae omnia id tantum praestant, ut methodum, qua tractari debuerat hic adfectus, divertant: prout illi satis constabit, qui experiri voluerit, quanto tutius atque ocyus sanabitur is, qui venaesectionibus ac purgationibus utetur alternatis, usque dum bene habuerit; neglectis prorsus levidensibus istis, quae pro more post sanguinem semel eductum saepe exhibentur; atque etiam ea sudorum sollicitatione, quae pari passu cum eorum usu solet procedere: a qua partium jam diu ad inflammationem propensarum excalefactione aeger sine caussa in vitae periculum adducitur.

Quod si, nihil proficientibus his quae attuli, omnibus adhuc minus sagax videar, et minus copiosus in medicamentis eruendis enumerandisque; universa illa proponam, quae LUCIANUS in *Τραγοποδάγρᾳ* jam plenius collegit, e quibus tam externa quam interna qui volet eligat: quae forsan haud minus efficacia sentiet, quam sunt eorum plurima, quae a nonnullis depraedicantur. Apud hunc podagrae persona ita istos adloquitur, qui secreta quaedam remedia se habere jactabant, quibus is morbus possit expugnari.

Τίς τὴν ἀνικητόν, etc. i. e.

Quis invictam me dominam dolorum
Ignorat podagram in terra mortalium?
Quam neque thuris vapor placat,
Neque effusus sanguis aras ad incensas;
Non templum divitiarum undique suspensis ornatum donariis:
Quam neque Apollo medicamentis expugnare valet,

Omnium medicus in coelo deorum:
Non filius Apollinis doctissimus Aesculapius.
Postquam enim enatum est primum hominibus genus,
Conantur omnes meam elidere potentiam,
Miscentes semper medicamentorum artificia.

Alius aliam in me experitur artem.
Terunt plantagines, et apia mihi,
Et folia lactucarum; et silvestrem portulacam;
Alii marrubium; alii potamogeitonem;
Alii urticas terunt; alii symphytum;
Alii lentes adferunt ex palustribus lectas;
Alii pastinacam coctam; alii folia persicorum,
Hyoscyamum, papaver, cepas agrestes, mali punici cortices,
Psyllium, thus, radicem ellebori, nitrum,
Foenumgraecum cum vino, gyrinem, collamphacum,
Cyperissinam gallam, pollinem hordeaceum,
Brassicae decoctae folia, gypsum ex Garo,
Stercora montanae caprae, humanum oletum,
Farinas fabarum, florem asii lapidis;
Coquunt rubetas, mares-araneos, lacertas, feles,
Ranas, hyaenas, tragelaphos, vulpeculas.
Quale metallum non exploratum est mortalibus?
Quis non succus? qualis non arborum lacryma?
Animalia quorumvis ossa, nervi, pelles,
Adeps, sanguis, medulla, stercus, lac.
Bibunt alii numero quaterno pharmacum:
Alii octono: sed septeno plures.
Alius vero bibens hieram purgatur:
Alius incantamentis impostorum deluditur:
Judaeus alium stultum excantat nactus:
Alius vero remedium petit ab hirundinis nido.
Ego autem his omnibus plorare impero,
Et facientibus haec, atque irritantibus me,
Soleo occurrere multo iracundior.
Iis vero qui cogitant nihil adversum mihi,
Benignam adhibeo mentem, facilisque fio.

Nullus dubito prudentissimos quosque eorum, qui cum hoc morbo diu conflixere, de omnimoda curatione desperantes, choro qui istius dramatis catastrophen facit, suffragaturos.

Ἤπιον ὦ πάνδημε, etc. i. e.

Lenem, o ubique gentium celebrata, adferas (nobis) dolorem o podagra!
Levem, facilem, non acutum, brevem, haud saevientem,
Tolerabilem, facile desinentem, parum validum, ambulationes non impedientem.

Multi sunt modi miserorum:
Sed exercitia dolorum, et consuetudo
Podagricos soletur.
Ideoque aequo animo, o complices, obliviscimini
Dolorum. Si ea quae placent non fiunt,
Tamen etiam praeter spem accidentibus viam invenire solet Deus.
Quivis sustineat podagrae laborantium
Deludi et derideri:
Talis enim hujus morbi natura est.

Ut semel finiam. Methodus, quam hic trado, φαινομένων praedictorum examini innititur; quamque ego secutus tam in ipso me, quam in aliis, morbi levamen percepi. Therapeia radicalis et usquequaque perfecta, qua quis etiam a diathesi ad hunc morbum foret liberatus, adhuc in DEMOCRITI puteo latet, atque in naturae sinu reconditur, nescio quando, aut a quibus in lucem extrahenda. Spero nihilominus, me hoc scripto humano generi commodi aliquid contulisse, si istos scopulos fideliter indigitaverim, ad quos tum ipsemet, tum alii plurimi naufragium fecimus; atque insuper optimam, quae hactenus innotescit, methodum praemonstraverim. Non his majora promitto; quamvis a longa cogitationum serie, quas huic rei impendere tantum non sum coactus, inducar credere, ejusmodi remedium quandoque inventum iri. Quod si umquam acciderit, inscitiam suam dogmaticis exprobrabit, atque exinde liquebit quam insigniter, tam in dignoscendis morborum essentiis, quam in medicamentis, quibus eos adgrediuntur, hallucinentur. Cujus rei exemplum satis luculentum habemus in repertione summi illius ad febres intermittentes specifici, corticis peruviani. Per quot jam secula homines quique solertissimi ingenia exercuerant in investigandis ha-

rum febrium caussis, quibus praxin quilibet aptavit theoriae a se excogitatae optime respondentem? Quomodo vero hae medicationes theoremata valebant defendere, ex iis constat, quorum adhuc recens est memoria, in quibus varias intermittentium species, in variis humoribus in corpore redundantibus collocantes, curationem ad humorum istorum alterationem atque evacuationem dirigere solebant. At quam inauspicato id egerunt, eorum in his conaminum frustratio, praecipue vero hujus corticis usus felicior, palam faciunt: cujus ope nos nunc temporis tum humores hujusmodi omnes, tum etiam diaetam et regimen quodcumque susque deque habentes, ac nihil nisi methodum pulveri exhibendo debitam observantes, scopum recta attingimus, vix ab illo aberrantes umquam, nisi aegrum lecto sine ulla necessitate addicimus, dum in ejus usu est. Tanta tamen est hujus remedii vis, ut non obstante eo incommodi, quod scilicet febris a lecti calore plus quam erat opus intendatur, aegrum nihilominus ad sanitatem utplurimum reducat. Interea donec haec podagrae curatio radicalis comperta fuerit, quod medicos omnes, me prae caeteris, optare fas est, hanc meam qualemcumque opellam boni consulite. Quod si minus eveniat, hominum mores ita probe perspectos habeo, ut non multum fallar; et officii mei rationem ita calleo, ut animo neutiquam cadam. Et si saevissimi isti cruciatus, impotentia ad motum, caeteraque corporis mala, quae ego per maximam vitae partem sum perpessus (una cum damno rei familiaris, quod sustinui, a medicina facienda toties adversa valetudine avocatus), aliis quietem et *ἀναλγησίαν* possint comparare, erit unde me fructum aliquem miseriarum hujus generis, quas in hac vita toleravi, in aliam migrans percepisse existimabo.

Tractatus *de* Hydrope.

Omnis hominum aetas, sexus omnis ab hydrope nonnumquam infestatur. Feminae tamen huic morbo magis sunt obnoxiae quam viri: verum hos aetate praesertim ingravescente adoritur, illas ubi jam parere desierint. Steriles autem quandoque etiam juniores occupat. Foveae a digitorum impressione in surarum parte inferiore, sub noctem inprimis conspicuae, mane vero evanescentes primum hujusce mali indicium dant; quod non perinde certum est hydropis ingruentis signum in feminis atque est in maribus; cum et praegnantes et aliae, quibus catamenia quavis de caussa sistuntur, haud raro idem patiantur. Neque tamen in viris ejusmodi tumor hydropem certo indicat: etenim cum senex quispiam, habitu corporis paulo pleniori praeditus, asthmate jam a multis annis laborans, ab eodem derepente, idque hyemis tempore fuerit liberatus, mox ingens tumor musculos tibiarum occupabit, hydropicorum tumores aemulans, qui hyeme etiam magis quam aestate, tempestate magis pluvia quam serena, pariter invalescet; et tamen sine quovis incommodo insigniori eumdem ad Libitinam usque comitabitur. Quo non obstante, si generaliter loquamur, surae et tibiae intumescentes etiam in viris pro signo supervenientis hydropis habendae sunt; maxime si ita adfecti spiritum aegrius ducant: qui quidem tumor tam copia, quam mole auctior indies redditur, donec pedibus majorem aquarum vim jam respuentibus, crura tentantur, ac postea abdomen ipsum; quod quidem sero e sanguine jugiter decidente repletum, paulatim ad ultimum capacitatis suae limen distenditur; adeo ut saepe multos aquae congios intus contineat, quae in umbilicum, qua data porta, ruentes quandoque exomphalon constituunt.

Tria interim hunc morbum stipant symptomata, dyspnoea, urinae paucitas, et sitis intensa. Spirandi difficultas oritur ab aqua diaphragma comprimente, unde naturalis ejus motus sufflaminatur. Urina idcirco parce redditur, quia sanguinis serum, quod per

ductus urinarios ex lege naturae excerni debuerat, jam in cavitatem abdominis deponitur, et in caeteras partes eidem excipiendo aptas natas. Sitis est a putredine colluviei serosae, quae a mora in corpore longiore et calorem et acredinem contrahit, unde aeger et febre quadamtenus semper laborat, et memorata siti.

Pro rata, qua aeger in partibus, quas morbus obsidet, mole augetur, in reliquis magis magisque indies emaciatur, et gracilescit, tandemque cum tanta aquarum vis intra abdominis ambitum coërceri ulterius nequeat, impetu in viscera nobiliora et vitalem arcem facto, cataclysmo quasi submersus perit.

Caussa hujusce morbi in genere sanguinis debilitas est, unde alimento, quod forinsecus importatur, in substantiam suam convertendo non jam par, idem in extremitates et pendulas corporis partes explodere necesse habet, mox et in abdomen etiam; in quo, quamdiu in exigua quantitate hinc inde dispergitur, natura eidem continendo vesiculas quasdam fabricat, donec tandem modum jam superans uno peritonaeo simul clauditur.

Sanguini autem debilitando operam utplurimum commodabant vel nimia ejus per venaesectionem, aut alio quovis modo evacuatio; vel morbus aliquis diuturnior; vel perditus ille liquores spirituosos ingurgitandi mos, unde et naturalia corporis fermenta destruuntur, et dissipantur spiritus. Hinc est quod bibacissimi quique helluones saepius cum hoc morbo, frigido licet, quam caeteri conflictentur. E contra etiam aquae potatio in iis, qui generosis liquoribus diu adsueverant, sanguini eamdem noxam infert.

In feminis vero, quod notandum est, alia quaedam, et ab his longe diversa, hydropis caussa reperitur, inclusa nempe in testiculorum alterutro saburra, seu obstructio, quae sensim ejusdem crasin subvertit; unde in dicto testiculo reposita primum morbi minera, tunica ejusdem mirum in modum distenditur; qua jam tantum non crepante, natura humori excipiendo vesiculas quasdam suggerit, quarum tandem sive una aliqua, sive etiam pluribus disruptis et in abdominis cavitatem se exonerantibus, eadem occurrunt symptomata, quae in hydrope, quem supra depinximus. Sed de hoc genere jam olim egi.

Sunt et aliae duae species tumorum abdominis hydropem mentientes, feminis utraeque familiares. Prima est carnium in partibus intra abdomen excrescentia praeternaturalis, quae ventrem in molem haud minus conspicuam attollit, quam solet inclusa aqua. Altera species flatibus ortum debet, qui non tumorem tantum, sed et alia ingravidationis signa pariunt. Haec viduas utplurimum exercet, vel etiam mulieres, quae non nisi provectiores aetate nupserant: atque hae tam suo ipsarum, quam obstetricum judicio, quarum oracula hac ipsa de re consuluere, motum infantis jam a tempore consueto usque ad legitimum tempus pariendi persentiscentes, quin et ad eumdem modum, quo gravidae solent, subinde aegrotantes, sororiantibus insuper mammillis, et lacte exstillante, de fasciis haud raro caeterisque ad excipiendum infantem necessariis sibi prospexerunt; donec tandem venter pari, quo increverat, gradu sensim detumescens spem vanam eluserit. Neutra vero harum ad eum, de quo agimus, morbum est referenda.

Indicationes curativae verae ac genuinae, utpote a praedictis phaenomenis naturaliter quasi exortae, vel ad aquarum in abdomine caeterisque partibus contentarum evacuationem, vel in instaurandum sanguinis robur, quo novus earumdem proventus praecaveri possit, omnino dirigendae sunt.

Seri evacuationem quod spectat, magni refert, ut diligenter observemus, in omnibus hydropicis ea cathartica, quae vel segnius vel minus potenter operantur, officere magis quam prodesse: cum enim medicamenta purgantia ad unum omnia naturae sint inimica, quo nomine catharseos munere funguntur, sanguinem aliquatenus debilitant laeduntque; unde nisi corpus celeriter pervadant et citissime expellantur, camerinam eam moventia, quam secum abducere nequeunt, et sanguinem tumultuose exagitantia tumorem magis adaugent: quod plus satis liquet in eorum pedibus, quibus alvus ita leniter ac blande sollicitatur. Quamobrem ut cum bonis aegri rebus purgatio instituatur, scire oportet, utrum aegri corpus facile, an vero difficulter atque aegre catharticis cedat; cum in hoc cardine curationis omnis sive nullo, sive non nisi magno labore peragendae negotium vertatur.

Quoties itaque hydragogis utendum est, sollicite ad facilitatem vel difficultatem, qua aegri corpus catharsin ferre solebat, respicere omnino convenit: quod non alia via ulla certius dignosci potest, quam ex diligenti inquisitione, quomodo alia purgantia remedia, alio tempore aliquo usurpata, opus destinatum peregerint. Cum enim in corporibus idiosyncrasia quaedam inveniatur, quoad facilem difficilemve catharticorum operationem, aegrum saepissime in vitae discrimen conjiciet is, qui sensibile corporis temperamentum modum sibi ac normam statuerit: quando non ita raro usu veniat, ut qui habitu sunt ferme athletico, mediocribus catharticis facile pareant; cum qui contrario plane habitu sunt praediti, vel fortissimis aegre cedant. Et profecto jam dicta cautio de aegri corporis ad purgantia ferenda ineptitudine, non in hydragogis tantum praescribendis, sed in aliis quibuslibet catharticis locum habere debet. Etenim saepenumero observavi hypercatharses a potionibus etiam lenientibus adductas, ex eo quod aegrum medicus non interrogaverit, prout oportuit, utrumne corpus facile, an vero difficulter expurgaretur. Attamen cum hydrops, quod superius dixi, prae caeteris morbis quibuslibet catharsin et validissimam postulet et maxime celerem, cumque in hoc morbo purgatio per *ἐπίκρασιν*, quae in nonnullis aliis prodest, nullatenus admitti debeat (cum hujus generis catharsis non tantum non imminuat tumorem sed et adaugeat): hanc inquam ob caussam expurgatio paulo fortior et nimia justo debiliori est praeferenda; praecipue cum Laudano non destituamur, certissimo ad hypercatharsin istiusmodi subito domandam fraeno.

Adhaec in catharticis omnibus hydropicorum sanationi dicatis id diligenter est observandum, ut aquae ea maxime celeritate exhauriantur, quam aegri vires ferre queant; utpote qui singulis diebus expurgari debeat: nisi quod, sive ob nimiam debilitatem corporis, sive propter cathartici praecedentis operationem plus satis violentam, dies unus aut alter nonnumquam intercalari possit. Etenim si non nisi post longa intervalla repetatur purgatio, quantumlibet copiosa catharsis praecesserit, aquis denuo affatim colligendis ansam praebebimus; atque ex hac inducia-

rum occasione, quasi victoria jam parta uti nescientes, tandem loco pulsi, re infecta turpiter fugabimur. Adde quod periculum est, ne aquarum inter viscera mora diuturnior eadem putredine quadam sua inquinet ac inficiat. Atque insuper, quod parvi ducendum non est, istae aquae a praegressis catharticis ita in motum concitae ad noxam inferendam jam propensiores sunt, quam ubi quiescerent. Tam ob hanc itaque caussam, quam ob alias supra memoratas huic intentioni, quae colluviem serosam intus clausam respicit, quam velocissime satisfaciendum est; neque ab ea, nisi urgente necessitate, est absistendum aut cessandum, donec omnis aquarum moles omnino demum exantlata fuerit.

Hoc porro notandum venit, quod cum e praxi constet, hydragoga fere omnia, genio quodam sibi peculiari, si sola exhibeantur, iis qui aegre purgantur parum admodum votis respondere; quin et largiorem eorumdem dosin non tam catharsin quam sanguinis tumultum promovere (unde qui imminui debuerat tumor, jam auctior cernitur): haec itaque non alium obtinent usum in hujusmodi corporibus, quam ut lenioribus catharticis stimulum addant. Quo non obstante in iis, qui purgatu sunt faciles, hydragoga ista et celeriter, et cum magno effectu operantur.

Quocirca in istis, qui catharsi prompte cedunt, syrupus de Spina cervina, etiam solus, aquas sat copiose elicit. Quod quidem remedium in his aquas fere solas, easque in magna quantitate educit, nec sanguinem perturbans, nec urinam reddens coloratiorem pro reliquorum purgantium more: id tantum habet incommodi syrupus ille, quod inter operandum ingentem sitim provocet. Quod si idem vel in summa dosi aliis propinetur, qui aegre expurgantur, neque multae sequentur dejectiones, neque eae multa aqua, ut debuerant, refertae.

Equidem probe memini (cum tunc primum ad hydropem curandum invitarer), me annis abhinc 27, aut circiter, ad matronam quamdam piam et honestam, nomine Saltmarsh, Westmonasterii commorantem, fuisse accersitum; cujus abdomen hydrops, quo atrociorem nondum vidi, in molem magnitudinis vix credendae evexerat: huic ego syrupi praedicti un-

ciam unam ante prandium, qui tunc mos obtinuit, exhibui. Credi vix potest, quam magnam aquarum vim per sedem deturbavit, idque nullo excitato tumultu, absque ulla virium aegrae jactura: quod mihi animos addidit, ut eumdem quotidie repeterem, nisi quod diem unum alterumve intercalari paterer, siquando paulo infirmior videretur. Atque ita aquis sensim eductis, venter indies detumuit, ipsaque prorsus convaluit. Ego fiducia plane juvenili atque hominis inexperti, credebam ejusmodi medicamen possidere, quo hydropes quoscumque possem debellare: verum hujusmodi erroris intra paucas septimanas admonebar. Cum enim non ita diu post ad aliam feminam eodem morbo laborantem, qui febri quartanae diuturniori supervenerat, medicinam facturus accederem, eumdem syrupum propinavi; quo saepius repetito, et dosi gradatim aucta morbum lacessebam; at cum aquarum evacuationem frustra tentarem, catharsi non procedente, tumore autem ventris magis aucto, missum me fecit aegra, atque alterius medici ope, qui remedia efficaciora adhibuit, si bene memini, sanitatem recepit.

Ubi igitur constiterit aegrum eo esse corporis habitu, ut cathartica leniora nec celeriter, nec cum bona euphoria opus suum peragant, fortiora tentanda. Quo in casu, ut modo innui, notandum est, quod licet hydragogorum pauca, si sola exhibeantur, votis respondeant, lenioribus tamen calcaris vice permista, efficacissima omnino sunt. In hujusmodi corporibus, exempli gratia, sequentem potionem cum successu saepenumero praescripsi. Rec. Tamarind. unc. sem., Fol. Sennae drachm. duas, Rhei drachm. un. sem. Coq. in q. s. Aq. fontan. ad unc. tres; in Colatur. dissolv. Mann. et Syr. Rosar. solut. aa. unc. un., Syr. de Spin. cervin unc. sem., Elect. e succ. Rosar. drachm. un. M. F. Potio. Quae tamen potio non nisi robustioribus exhibenda est, quibus alvum solvit, ubi caetera id praestare nequiverint: quod multiplici experientia ipsus probavi.

Vel Rec. Vini albi unc. iv., Jalap. subtilissime pulv. drachm. un., Zinzib. pulv. scrup. sem., Syr. de Spina cervin. unc. un. M. F. Potio, sumenda summo mane, repetendaque singulis, vel alternis diebus pro ratione virium.

Sequitur alia medicamenti formula, mihi haud infrequens; quo illi satis commode utentur, qui a repetito aliorum purgantium usu abhorrent; quando aegrum calefaciat inter purgandum, tum etiam corroboret, ex gr. Rec. Rad. Jalap. contus., Hermodact. aa. unc. sem., Scammon. crud. drachm. tres, Fol. Senn. unc. duas, Glycyrrhiz. ras., Sem. Anis., Carvi aa. unc. sem., Summit. Absinth., Fol. Salv. aa. man. j. Infunde frigide in libr. tribus Aq. vitae vulgaris, et coletur tantummodo usus tempore. Capiat cochleare un. hora omni, et duo mane sequenti, augendo vel minuendo dosin pro ratione operationis.

Restant vero medicamenta duo, me judice, palmaria, et in iis, qui non nisi aegre purgantur, caeteris, quae vel supra enumeravi, vel adhuc comperta habeo, δραστικώτερα: Elaterium intelligo, et infusionem Croci metallorum. Elaterium sive faecula cucumeris agrestis potenter in permodica quantitate vires suas exserit in conturbanda alvo, et faecibus cum serosis et aquosis humoribus copiose egerendis; adeo ut ejus grana duo plerisque, in genere loquendo, corporibus dosis aptissima sint. Ego permiscere soleo Pilular. ex duobus scrup. un., quas in pilulas tres exiguas formandas ac mane sumendas impero.

Infusionem Croci quod spectat; ejus unc. un. sem. (vel purgatu difficillimis unc. duas) mane exhibita, et quotidie pro aegri viribus reiterata, quamlibet prima facie haud aliud promittat, quam colluviem in ventriculo stabulantem egerere, tandem tamen efficiet, ut abdomen ab aquarum superincumbentium onere liberetur. Praeterquam enim quod cessante vomitione, in catharsin τὴν κάτω solet desinere, necesse est omnino, ut cum tanta fuerit agitatio concussioque tam ventriculi quam viscerum, a tam insigni aquarum corrivatione quasi circumseptorum, earumdem evacuatio per ductus, communi naturae lege haud satis patentes, conatum ita vehementem insequatur. Verumtamen, si praedictum vomitorium inferiorem ventrem haud efficaciter expurgaverit, tam electuarium de Succo rosarum, quam syrupum de Spina cervina soleo post tertiam aut quartam dosin merae infusionis Croci metallorum quandoque, licet rarius, adjicere. Ex. gr. Rec. Aq. Card. ben.

unc. tres, Infus. Croc. Metallor. unc. un. sem., Elect. de Succ. Rosar. drachm. duas. M. F. Potio.

Quod vero dentur ejusmodi coeci meatus, per quos aquae ex abdominis cavitate ad intestina transferantur, de facto liquet; cum quotidie observemus, hydragoga tantam aquarum in abdomine inclusarum vim per secessum educere, perinde ac si primitus in ipsis intestinis continerentur. Cui tam duro nodo cum parem cuneum haud facile inveniamus, in mentem mihi venit celebre illud dictum medici, omnium seculorum judicio sapientissimi optimique, Hippocratis scilicet, qui in libro de prisca medicina haec habet: „*Λέγουσι δέ τινες καὶ ἰητροὶ, καὶ σοφισταὶ, ὡς οὐχ ἑνὶ δυνατὸν ἰητρικὴν εἰδέναι, ὅστις μὴ οἶδεν ὅ, τί ἐστιν ἄνθρωπος, καὶ ὅπως ἐγένετο πρῶτον, καὶ ὅπως συνεπάγη. ἐγὼ δὲ τουτέων μὲν ὅσα τίνι εἴρηται σοφιστῇ, ἢ ἰητρῷ, ἢ γέγραπται περὶ φύσεως, ἧσσον νομίζω τῇ ἰητρικῇ τεχνῇ προσήκειν, ἢ τῇ γραφικῇ.*“ i. e. medici quidam et sophistae dicunt, quod impossibile est eum medicinam cognoscere, qui non novit quid sit homo, et quomodo primum factus et compactus sit. Ego vero ea, quae ab aliquo sophista aut medico de natura dicta aut scripta sunt, minus censeo ad artem medicam spectare, quam ad pictoriam.

Attamen (ne vel divinus hic auctor erroris ullatenus insimuletur, vel ex hoc loco empirici ignorantiae suae patrocinium quaerant) aperte dicam, me quantum attentissima cogitatione, eaque ad praxin (quae medicinam profitentium lapis Lydius haberi debet) relata adsequi valeam, utcumque existimare, quod necesse omnino sit, ut medicus structuram humani corporis probe calleat, quo rectius veras ideas et naturae et caussarum quorumdam morborum animo concipere ac formare queat. Neque enim fieri potest, ut qui renum fabricam ignorat ductuumque exinde ad vesicam tendentium, conjicere possit, unde oriantur symptomata illa, quae a calculo vel in pelvim, vel in ureteres altius impacto pendent. Nec minus chirurgum oportet eamdem humani corporis structuram perdiscere, quo melius inter operandum ab iis vasis, sive aliis partibus abstineat, quae, si violentur, aegro exitium adferant. Sed nec ossa dislocata ad situm naturalem recte poterit re-

ducere, nisi eam ossium compagem, sceleton dictam, curiose inspexerit atque animo comprehenderit.

Hujusmodi itaque humani corporis notitia omnino necessaria est, quam qui non habet, cum quibusdam morbis Andabatarum, quod ajunt, more pugnabit, aut sine nautica pyxide tentabit mare. Porro haec scientia et cito et facile adquiritur, cum id prae caeteris difficilioribus habeat compendii, quod *αὐτοψίᾳ* in cadaveribus vel humanis vel animalium quorumlibet perdiscatur, idque nullo fere negotio, etiam ab iis, qui mente ac judicio minus valent. Veruntamen in acutis quibuslibet, quod genus plus quam duas tertias morborum partes comprehendit, atque porro in chronicis plerisque, omnino fatendum est *θεῖόν τι* inesse, sive specificam proprietatem aliquam, quam nulla umquam contemplatio a speculatione corporis humani deducta queat indagare, atque in lucem protrahere. Quamobrem ne ita homines in cadaverum dissectione praecipuam locarent operam, tamquam exinde potius quam ex *φαινομένων* naturalium, ut et juvantium et laedentium diligenti observatione promoveri possit ars medica; id opinor, ut maxime caveri in loco praedicto voluit divinus ille senex, non autem generalem fabricae humani corporis notitiam carpere ac sugillare.

Et profecto virum tantum tamque sapientem nullo modo potuit latere, humanam omnem investigationem ultra generalem ejusmodi notitiam pertingere non posse. Licet enim diligenti in secandis cadaveribus inquisitione ac scrutinio majora organa, quibus natura in peragendis operationibus suis utitur, in conspectum veniant; vasaque itidem nonnulla, per quae succi ab his ad illas corporis partes transmittuntur; quae tamen hujus motus sit origo et caussa primaria, oculi docere nequeunt. Neque microscopium quodvis vel exquisitissime elaboratum exiles istos meatus, per quos chylus ex. gr. ex intestinis in vasa chylifera transcoletur, vel per quos ductus sanguis per arterias derivatus in venarum oscula reducendus transmittatur, potest detegere. Quinimmo sunt et alii fere innumeri, iique magis adhuc affabre concinnati, meatus ac pori in hac miranda hominis compage, quos nemo hominum ne per somnium quidem vidit: cum rudis et indocta (sit ver-

bo venia) cognitio nostra in rerum cortice omnis ferme versetur, ac ad τὸ ὅτι sive quod res hoc modo se habeat, fere tantum adsurgens, τὸ διότι, sive rerum caussas nullatenus attingat. Utut se res habeat, haud difficili investigatione scire possumus, quantum nobis dirigendis (prout fert rei natura) sufficit in eorum curatione morborum, qui hujusmodi peritiam, quod supra dixi, sibi vendicant: maxime vero quantum nos impellat ad divinum artificem summa animi demissione adorandum, dum stupendum ejus artificium contemplamur in iis, quorum ratio nobis innotescit, tum illud longe excellentissimum in caeteris, ad quae prorsus coecutimus.

Et sicuti Hippocrates eos reprehendit, qui huic in humanis corporibus speculandis curiositati et περιεργίᾳ plus dant, quam observationibus practicis, ac proinde quam ipsius naturae judicio; ita pari jure prudens vir quispiam in hoc nostro seculo eos culpare possit, qui existimant, artem medicam nulla re alia magis promoveri posse, quam novis chemicorum inventis. Quamquam enim ingrati prorsus animi esset, non libenter agnoscere id emolumenti, quod chemiae acceptum debemus, eo quod utilia nonnulla medicamenta, et indicationibus satisfaciendis perquam accommoda (inter quae vel hoc ipsum emeticum, de quo jam egimus, haud infimum locum tenet) nobis suppeditaverit; atque eam ob caussam si intra pharmacopoeae limites contineatur, ars est satis quidem laudabilis: attamen nec illi culpa, aut saltem errore vacant, qui cerebrum sibi eousque excalefaciunt ac torquent, ut tandem arbitrentur artem medicam in hoc praesertim deficere, quod remediis magnis atque efficacibus a sola chemicorum praeparatione atque opera nobis subministrandis indigeat. Cum ei, qui rem recte perpenderit, satis liqueat, praecipuum medicinae faciendae defectum non in eo verti, quod nesciamus, quo pacto huic aut illi intentioni satisfacere debeamus, sed quod non satis sciamus, quaenam sit illa intentio, cui satisfaciendum est. Cum vel rudissimus quispiam pharmacopolae servulus intra dimidium horae quadrantem certum me faciet, quo medicamento vomitionem, purgationem, vel sudores provocabo, vel refrigerabo aestuantem; at vero in palaestra medica probe exer-

citatus sit oportet, qui pari certitudine me docere queat, ubi hoc vel illud remediorum genus in usum revocare debeam per omnem morborum ac curationum circuitum.

Et quidem certissimus sum nihil aeque ad judicium hac in re rite formandum conferre, atque observationem exactissimam *φαινομένων* naturalium et morborum, et pariter eorum, quae in praxi cernuntur a juvantibus et laedentibus derivata, post ea sive remedia usurpata, sive etiam medendi methodum istam, quibus morbos depellere satagimus. Haec, si diligenter inter se collata fuerint, mihi ostendent et morbi naturam, et insuper undenam curativae indicationes desumendae sint, longe melius certiusque, quam si ad speculationem naturae hujus aut illius principii corporis concreti, tamquam ad Cynosuram cursum dirigam. Etenim vel exquisitissimae hujus generis dissertationes nihil aliud sunt, quam metaphora belle deducta exornataque: quae etiam ad eorum instar omnium, quae in scena imaginationis, non vero in ipsa rerum natura fundamentum habent, dies delebit ac proteret; cum naturae judicia rerum veritati superstructa non nisi cum ipsa natura interciderint.

Quamvis autem hypotheses speculationibus philosophicis innixae futiles sint prorsus, cum nemo hominum scientia intuitiva praeditus sit, qua fretus principia queat substernere, quibus mox superstruat; attamen si hypotheses ab ipsis rebus factis fluant, ex eis tantum observationibus natae, quas phaenomena practica et naturalia suggerunt, stabiles manent et inconcussae: ita ut licet praxis medica, si scribendi ordinem respicias, ex hypothesibus orta videatur; nihilominus ipsae hypotheses, si modo solidae fuerint ac genuinae, praxi quadamtenus originem debeant. Exempli gratia, in adfectione hysterica non ideo chalybeatis utor caeterisque sanguinem invigorantibus; nec ideo ab evacuantibus me tempero (nisi scilicet in statis quibusdam circumstantiis) et remedia potius paregorica impero, quia primum pro concesso habui, hunc morbum a debilitatis fractisque spiritibus animalibus pendere: verum cum *φαινομένων* practicorum constans observatio me docuisset, cathartica exhibita morbi symptomata sem-

per auxisse, his vero contraria eadem symptomata consopire solere; ex hac aliisque φαινομένων naturalium observationibus hypothesin meam desumsi, ita ut philosophus empirico hic famularetur. Quodsi ab hypothesi coepissem, ea plane ratione insanirem atque ille, qui tabulata tignaque domus superiora prius velit erigere, quam fundamentum jecerit: quod quidem istis tantum convenit, qui in aëre castella, quod ajunt, solent exstruere; his enim certo quodam privilegio ab alterutra extremitate licet ordiri.

Sed ut ad rem redeam. Quicumque demum sint meatus isti, per quos aqua ex abdominis cavitate in intestina deducitur, certissimus sum vomitionem, a dicto emetico excitatam, easdem potenter evacuare, idque non solum deorsum per sedem, sed et sursum per ipsum ventriculum atque os in vomendi actu. Etenim post duas vel tres evomendi vices, aquae non tam medicamenti vi secretoria elici videntur, quam ruptis quasi repagulis et claustris reseratis pleno alveo effundi: quod satis constat ex earumdem eruptione, atque impetu saepe facto, inter ipsa vomendi spatia sive intervalla.

Mense Augusto postremum elapso, paupercula quaedam annos habens 55, aut circiter, opem meam imploravit. Febre intermittente diu laboraverat, dein carcere fuerat inclusa fere per triennium; a frigore multum passa erat; venter denique ad tantam molem increverat, ut ei parem numquam hactenus viderim. Ego unc. un. sem. infusionis Croci metallorum singulis diebus ad triduum exhibui, mox alternis diebus pro virium aegrae ratione, usque dum doses omnino sex hauserat. Primis aliquot vomendi vicibus urina penitus supprimebatur, quam postea quandoque per intervalla reddebat, sed raro admodum: quo frequentius emeticum repetebat, eo majorem aquae copiam solebat rejicere, idque sub finem tam per os, quam per sedem. Verum post tertiam dosin tumor subsidere atque imminui coepit, et post quatuordecim dies filo, quo crassitiem corporis inflati jussu meo fuerat dimensa, jam tribus pedibus gracilior comparuit, atque aliquot aquae congios supputatione ex iis quae mihi ipsa narravit facta ἄνω καὶ κάτω egesserat. Ita ut quae prius in lecto non nisi erecta dormiebat, ne decum-

bens ab aquarum pondere suffocaretur, jam capite in pulvinar reclinato secura jaceret, et de latere in latus pro arbitrio se movere potuerit. Cum vero dicta emetica operandi violentia vapores, quos dicunt, ad eum gradum excitarent, ut iisdem diutius morbum lacessere tutum non foret, et tamen tam ex residua adhuc ventris mole, quam aquarum rotatione, quam toties percipiebat, quoties se in alterutrum latus convertebat, et vestigiis insuper rei cujuslibet prementis in tibiis etiam nunc manentibus, plus satis liqueret, multum aquae adhuc in corpore restare: ob caussam jam dictam, reliquam curationem purgantibus proprie dictis cogebar absolvere. Posthac igitur vel potionem purgantem supra dictam, vel aliud quoddam hydragogum praescripsi; idque vel rarius vel saepius, prout vires ejus ferrent, aut vapores minus infestarent. Etenim et catharsis per inferiora adfectus hystericos aliquatenus invitabat, licet non ita graves et violentos ac solebant emetica. Atque in hac methodo persistebam donec prorsus convaluisse videretur. Quae dum fierent, haec mihi praecipue observanda occurrebant: primo quod iis diebus, quibus a purgatione feriebatur, nonnumquam magnam aquarum vim per sedem excernebat, atque etiam sub finem per meatus urinarios vel ad congii mensuram; quamlibet non ultra libr. un. sem., vel libr. duas potus pro singulis diebus concederem: ita ut portae omnes, atque canales undicumque patere viderentur. Secundo notatu dignum erat, quod curatione fere absoluta, siquando vapores a catharticis commoti tumultuarentur, venter maxime versus superiora intumescebat, tamquam novo aquarum proventu denuo repletus foret: quod tamen fieri non posse sciebam, cum ita parce bibisset; ac proinde tumorem illum a flatibus, quos peperit ἀταξία ista, a catharticis provocata, tantum oriri: quod meum judicium eventus comprobavit. Licet enim vel congium aquae eo die quo purgabatur, ejecisset, mox tamen coepit intumescere; nec remittebat tumor ille, ad guttur usque adsurgens, et dyspnoea adfligens, donec corpus a purgantium molestia liberatum, statum naturalem ac quietem reciperet; quo facto et tumor et caetera symptomata derepente evanescebant, donec a succedente catharsi de novo irritarentur. Denique et hoc

animadvertendum erat, quod cum praefata femina annum agens quinquagesimum quintum, fluxum menstruum jam ab annis aliquot non fuerat passa, attamen menses magno quasi flumine erumpebant denuo; qui sanguinis fluxus debilitati et evacutionibus praegressis additus ingens adfectuum hystericorum agmen adducebat, dolorem scilicet in dorso et circa regionem splenis vehementem, cephalalgiam, et tussim ferinam. Adhaec tametsi post tam insignem aquae quantitatem per os, sedem, et urinas eliminatam, omnino credibile esset, non multum in corpore restare, attamen venter haud minus protuberabat, quam nulla adhuc evacuatione tentata solebat. Quamobrem ad hos motus sedandos, qui etiam ad septimanam a postrema purgatione negotium facessebant, coactus sum ad quatuor noctes continuas Diacodii unc. un. sem. propinare; quae etiam dosis erat repetenda, nisi somnus intra horas tres insequeretur. Quo tandem pacata sunt omnia, et tumor disparuit.

Hoc interim observari velim, quod si leviculo aliquo ventris tumore tenetur aeger, non ita prompte educuntur aquae per infusionem Croci metallorum, ac in ascite grandiore, ubi ingens aquarum copia adgesta fuerit: etenim vel ipsa aquarum moles, dum emetici operatione agitatur ac concutitur, ad earumdem evacuationem mire confert; atque eam ob caussam, nisi venter in tumorem insignem attollatur, omnino convenit, ut tota res evacuantibus per inferiora committatur.

Est et aliud medicamentum satis vulgare ac simplex, quod hydropem pari ratione, qua illud de quo modo egimus, expugnat. Nempe manipuli tres corticis interioris Sambuci, a ligno derasi, in libr. duabus aquae et lactis simul mistorum, ad libr. un. incoquantur: decocti hujus altera medietas mane, altera sero quotidie adsumatur, donec aeger convalescat. Hoc remedium et vomitionem ciet et catharsin, pariter ac Crocus metallorum, ac proinde eodem modo morbum depellit, non vi aliqua specifica: quocirca si neutram harum operationum praestet, vel si mediocriter ac parce, ne hilum prodest quidem: ubi vero alterutram producit efficaciter, maxime vero si utramque, mire ad hunc morbum debellandum confert.

At sane, quod serio animadvertendum est, haud

raro accidit ut aqua non solum in crura ac tibias deturbetur, sed etiam in ipsam abdominis cavitatem depluat, quae tamen medicamentis catharticis sive ἄνω, sive κάτω ducentibus omnino elicienda non est. Verbi gratia, quoties hujusmodi tumor vel phthisin diuturnam excipit, vel a viscerum alicujus labe ac putredine nascitur, vel a sanguinis tono, si ita loqui fas est, non tantum relaxato, sed et deperdito, ac spiritibus penitus exhaustis, vel a longa fistularum in partibus carnosis mora, quae copiosam saniem egesserunt; vel a nimia debilitate atque evacuatione tam humorum quam spirituum, quas advocavit sive salivatio, sive sudatio, sive etiam purgatio justo intensior, et diaeta tenuis, quae in luis venereae curatione, etiam magis quam res postulabat, fuerant adhibitae. In his atque aliis morbis ad hunc modum factis, aeger non tantum non juvabitur a catharsi, sed imminuto adhuc amplius sanguinis tono, augebitur malum. Quamobrem rebus ita stantibus, omnis curationis cardo in sanguine ac visceribus omni ope corroborandis firmandisque omnino vertetur. Inter caetera hujus ordinis, praeter remedia confortativa infra enumeranda, ego certissimo experimento edoctus sum, aëris mutationem, et in aëre libero exercitium, quale quale demum aeger ferre potuerit, huic indicationi apprime respondisse; spiritibus scilicet quasi nova vita hoc pacto adflatis, atque organis excretoriis ad pensum sibi debitum denuo revocatis.

Est etiam ubi absque omni istiusmodi προφάσει, intentioni isti, quae aquas evacuandas respicit, nec catharticis, nec emeticis satisfaciendum est: quoties enim vel aeger constitutione est infirmiore, vel femina vaporibus atque ataxiis spirituum animalium admodum obnoxia, fieri non potest, ut catharticis, et multo minus ut emeticis res geratur. Hic itaque aquarum evacuatio diureticis committenda est. E quorum familia licet quamplurima in medicorum scriptis magni sint nominis, efficacissima tamen (ne dicam sola) mihi videntur ea, quae e salibus lixivialibus fiunt: neque quidquam refert, e quorum vegetabilium genere cineres petantur. Quandoquidem vero vix aliud vegetabile Genista sit parabilius, et in hoc morbo bene audiat, ego utplurimum cinerum ejus

libr. un. in vini Rhenani libr. iv. frigide infundi jubeo, addendo foliorum Absinthii vulgaris pugillum unum alterumve: liquoris per filtrationem colati unc. iv., mane, hora quinta pomeridiana, et sero, aegro jugiter hauriendas impero, usque dum tumor evanuerit. Quo solo remedio hydropes, pro deploratis habitos, curatos vidi, in iis quorum crasis debilior purgantibus ferendis non fuit.

Aquis autem (ut ad secundam intentionem properemus), quae sunt proxima caussa morbi, jam penitus evacuatis, non nisi ad dimidiam curationis partem utplurimum perventum est, nisi sanguinis etiam debilitati, quae prima morbi origo fuit, occurratur longo et adsiduo medicamentorum calefacientium et corroborantium usu, unde novus aquarum proventus praecaveri possit. Quamvis enim in junioribus saepe contingat, ut, aquis rite expurgatis, sine alio quovis praesidio convalescant, cum eorum calor naturalis jam ab aquarum onere ac pressura liberatus dictorum remediorum vices supplere valeat; tamen in aetate provectioribus, aut iis, qui alias minus sano corporis habitu sunt praediti, omnino necesse est, ut statim ab aquarum eductione jam absoluta ad eorum simplicium usum quae sanguinem excalefaciunt invigorantque, protinus confugiant. Inter quae ea, quae ego jam superius in podagra curanda laudavi, sive ipsa remedia spectent, sive sex res non naturales, praeter illa quae jam dicentur, locum habere possint (nisi quod vinum, a quo in podagra prorsus est abstinendum, non tantum non noceat hydropicis, sed et prosit admodum, si pro potu ordinario usurpetur): cum hi duo morbi id habeant commune, quod eadem remedia corroborantia utriusque caussae originali adversentur. Fatendum est interim, quod cum tam ex manifestis phaenomenis, quam a juvantibus et laedentibus edocti simus tum hos, tum alios plures morbos chronicos sanguinis debilitati atque indigestioni ortum debere, nec ulterius progredi valeamus, adhuc in extimo morborum cortice haeremus; nec in essentiales eorumdem differentias, et specificas humorum depravationes, ab istiusmodi indigestionibus prognatas (quae quidem ἀπεψία communis omnium stirps est), quimus penetrare. Uti neque varias illas specificationes, quae in morbis acutis ab una eadem-

que caussa, sanguinis nempe inflammatione, fluunt, ullatenus callemus. Quocirca tam in his, quam in chronicis morbis cum specificis careamus, curationem non ad essentialem morborum naturam, sed ad caussam eorundem magis generalem dirigere cogimur; curandi methodum subinde variantes, vel pro indicio naturae spontaneo, quo in morborum eliminatione illa utitur; vel experientiae, cui potissimum medicationis generi quilibet morbus facillime concedat dictantis, filum secuti.

Porro ad hanc, de qua jam agimus, intentionem implendam, nempe ut sanguis corroboretur, sive aquarum evacuatio per hoc diureticum, sive per catharsin, vel etiam vomitionem procuretur ut supra, omnino necesse est, ut aeger, quantum res ferat, vinum potare teneatur, dum in curando est (modo ne prius incipiat *οἰνοποσίαν* quam meatus quadamtenus reclusi fuerint, et porta aquis data), vel saltem, loco vini, cerevisiam aliquam e generosioribus; cum liquores tenues ac refrigerantes quilibet, utut aegri palato arrideant, qui fere semper in hoc morbo siticulosus est, eum magis phlegmaticum reddant, et aquis obstetricentur: raro itaque, aut numquam hi sunt concedendi. Atque e diverso liquores generosi, modo non sint spiritus per destillationem eliciti, usque adeo sanitatem promovent, ut vel soli aliquando amissam revocaverint; utique in morbi initio, nondum multa aqua distento abdomine; praesertim si herbis calefacientibus et confortantibus fuerint impraegnati. In pauperibus, verbi gratia, quorum res angusta domi meliora remedia non permittebat, cerevisia fortis, in qua quantitas sufficiens radic. Raphan. rustic., fol. Absinth. vulgaris, Cochlear. hortens., Salviae, Centaurei min., summitatum Genistae inclusa fuerit, meo consilio usurpata pro potu ordinario, sola fuit instar omnium. Pro ditioribus vinum Canarinum eisdem herbis amaris potest similiter impraegnari, cujus haustulus bis terve de die inter medicamenta supra memorata deglutiendus est. Vel si id palato minus allubescat, vinum Absinthites vice ejus substituatur, de quo aeger sumere possit cochlearia ix. post Electuarii digestivi (in tractat. de podagra descript.) drachm. duas horis medicinalibus, i. e. mane, quarta pomeridiana et nocte devorandas. Ele-

ctuarium hoc huic intentioni faciendo satis, corroborantia quaelibet medicamenta longo post se intervallo linquit alia. Hic vero magni momenti est, quod aeger parce admodum bibat liquores istos, qui minus generosi sunt; quandoquidem omnes, qualescumque demum sint, aquis nonnihil incrementi dant; adeo ut vel omnimoda abstinentia a potu nonnullos sanaverit: atque ob eam caussam, si liquoribus istis quandoque indulgendum sit, aeger tamen admodum parce eos bibat. Verumtamen cum sitis magna huic adfectui se comitem adjungere soleat, quam insuper a potu tenuiori abstinentia adaugeat, e re erit, ut aeger saepiuscule aqua frigida spiritu Vitrioli acidulata os colluat, aut tamarindos in ore subinde teneat, aut limonem manducet; neutrum vero deglutiens, prae eorum frigiditate, quae morbo minus convenit.

Verum inter corroborantia chalybs in hydropis incipientis curatione haud infimum locum sibi vendicat, sanguinem videlicet invigorando calefaciendoque. Quam ob caussam et allium hic adeo conducit; cum eo solo, missis evacuantibus, hydropem ex aliorum praescripto, non meo, depulsum noverim.

Est enim observandum, eum hydropem, qui pedes tantum inflavit, vel etiam ventrem, sed modice, non statim curationem per emetica et cathartica sibi deposcere; sed hujusmodi liquoribus praefatis calefacientibus et corroborantibus haud raro cedere. At vero prae caeteris serio animadvertendum est, quod quoties hunc morbum solis corroborantibus, vel etiam lixivialibus adgredimur, aeger nullo modo expurgandus est sive mitiori, sive fortiori quocumque pharmaco, tantisper dum sanguinis corroborationi navatur opera: evertet enim catharticum, quidquid corroborans substruxerit; quod vel invitus agnoscat oportet, qui observaverit tumorem, qui ab usu corroborantium jam imminui coeperat, mox a purgatione augeri. Etenim tametsi cum intentioni isti aquas educendi satisfacere cupiamus, haud abs re fuerit etiam corroborantia subinde exhibere; tamen cum tota res in isto solum cardine vertitur, ut sanguis corroboretur, omnino necesse est, ut a catharticis abstineamus.

Notandum est autem, aegrum non semper sanari, quamvis utrique indicationi satisfecerimus, i. e. tum

aquae in abdomine congestae omnino eductae fuerint, tum etiam calefacientia et corroborantia postea ad praecavendum novum aquarum proventum fuerint exhibita. Etenim non raro contingit, ut ascites ad multos annos perdurans, diuturna aquarum in viscera incubatione eorum substantiam perverterit, et quasi semicoxerit: et tam ipsa viscera, quam partes vicinas corruperit penitus, glandulas praeternaturales et vesiculas sanie turgidas generans, et omnia intra abdominis cavitatem contenta in putrilaginem quasi quamdam convertens: prout in eorum cadaveribus, qui ab ascite inveterato sunt interempti, sectio patefecit. Morbus ad hunc gradum jam provectus, artis subsidia, quantum video, contemnit. Nihilominus medici est, cum certo scire nequeat, quantum adhuc noxae visceribus illatum fuerit, curationem omni ope moliri remediis tam evacuantibus, quam corroborantibus: et neque animo ipsus cadere, neque aegro ut cadat auctor esse debet. Cui rei ob hanc potissimum caussam danda est opera, quoniam in permultis adfectibus, morbi fomite jam penitus exantlato, natura, quae noctes atque dies nostris rebus invigilat consulitque, sponte sua mirum in modum machinatur, quo aegrum a perniciosis morbi reliquiis muniat ac tueatur. Quamobrem omnis ascites quantumlibet inveteratus, et quantumlibet funestam cladem visceribus intulerit, haud alio modo tractari potest, quam si nunc primum inceperit.

Topica sive remedia externa, quantum ego observare potui, nihil egregium in hoc morbo praestiterunt umquam. Ea minus saltem nocuere, quae in forma sive cataplasmatis, sive linimenti abdomini ad tumorem discutiendum fuerint adplicata: neque tamen video, quo pacto aquae possint discuti. Verum et alia sunt a nonnullis remediorum loco praescripta, quae ita non prosunt, ut etiam obsint plurimum. Hujusmodi sunt unguenta e catharticis fortioribus confecta, atque abdomini adhibita. Vesicatoria item cruribus et tibiis superimposita, ubi cutis in magnam molem fuerit protensa, ad aquas scilicet hoc pacto educendas. Utrumque hoc genus medicationis est periculosum; cum a primo vis simplicium cathartica ita penitus nonnumquam musculis ac membranis impingatur, ut excitetur hypercatharsis, nulla reme-

diorum ope umquam sistenda. Vesicatoria autem locis praedictis ab empiricis adplicari solita, calorem naturalem jam ferme aquis obrutum, deficientibus item spiritibus animalibus, omnino exstinguunt, et gangraenam (plus satis in hoc casu familiarem) saepenumero invitant. Etenim vulnus vel levissimum in hydropicorum carnibus, maxime in membro pendente, sanatu difficillimum est: quoniam ipsa carnium substantia his in partibus usque adeo irrigua est et scatens latice, ut data quacumque porta, continuo cursu prorumpat humor, a quo vulneris conglutinatio impeditur. Neque aut feliciori cum eventu, aut minore discrimine administrantur, me judice, sive paracentesis, sive acupuncturae a nonnullis celebratae, quam vesicatoria.

Ut tandem finiam; quamvis hic morbus, ubi jam in verum asciten evaserit, pro deplorato semper habitus fuerit; attamen constabit, quod si dicto modo tractetur, aeque certo potest subjugari (modo viscera a corruptione sint libera) ac alii permulti, qui non ita funesti vulgo aestimantur.

At si quis forte arguerit haec remedia ut simplicissima et plane inartificialia, ego potiori jure ejus nequitiam arguam et improbos mores; si dum ringatur alios hujusmodi simplicibus medicamentis juvari, se, uxorem, vel liberos suos, siquando aegrotaverint, vel vilissimis ad sanitatem reduci exoptet. Adde quod fucum sibi facit morio, equitans in arundine longa: etenim artis medicae pompa et dignitas non tam in formularum concinnitate et elegantia, quam in morborum curatione cernitur.

Atque haec sunt quae de his duobus morbis dicenda habui: et nisi fallor alios haud attingam umquam. Verum ista quod spectat, quae hactenus in publicum dedi, si quis ea semel tantum perlegere dignetur, est quod doleam, me huic eam perdendi temporis ansam praebuisse. Quod si eadem saepius relegere voluerit et alta mente reponere, nullus dubito, quin eum fructum ex iis capiet, qui voto et magnis laboribus, quos ego in istis observationibus faciendis componendisque locavi, aliquatenus respondeat. Quae quidem quam bona fide fuerint traditae, haud aliter sciet, quam si in earum praxi fuerit versatus; ac perinde in observando diligens ac curio-

sus explorator, atque ego prius fueram. At si in paucis iis, quae scripsi, naturam, me quasi manu ducentem, omnino secutus fuerim, nullius umquam hominis, quantuscumque is demum sit, opinationibus me addicens, pro certo habeo sapientes, quotquot sunt, veniam mihi saltem daturos; quos et latere non potest, duo esse hominum genera, qui profectum omnem in arte medica ex aequo prohibent sufflaminantque. Primum ii sunt, qui nullum prorsus symbolum ad eam, quam profitentur, artem excolendam ipsi conferentes, illis succensent, qui vel minimum conferre videantur; defectus interim suos atque socordiam reverentiae, quam antiquioribus, a quibus ne latum unguem discedere audent, deberi contendunt, specie praetexentes. Quorsum vero reliquas artes omnes, quae homines minus tangunt juvantque, magna incrementa sumsisse fateamur, etiam sine ulla priscorum hominum injuria, solam autem medicam undique perfectam existimemus? An non certioris istius, quae nunc obtinet, navigandi artis repertores, eum pyxidis nauticae usum, qui ita feliciter cessit, tentare potuerint, nisi primos ac rudiores illos, qui non nisi ad stellarum conspectum, et littorum anfractus cursum suum dirigebant, prius contempserint? Aut accuratior illa ac magis perfecta sive construendarum navium, sive earumdem in pugna regendarum ars, qua hodie prae caeteris pollent Europae magis occidentales incolae, istos sugillat naupegos, qui classes eas fabricabant, quae olim Actii depraeliabantur? Aut Augustum et Marcum Antonium, tanti belli duces et classium rectores, ignominia adficit? Adhaec innumera fere sunt exempla rerum a nuperis hominibus inventarum, quae antiquioris seculi inventis longe antecellunt: quarum omnium repertores haud potiori jure priscorum memoriae vim inferre censendi sunt, quam is filius patris famam laedere putandus est, qui rem familiarem a parente acceptam, industria ac sollertia sua auctiorem ac cumulatiorem reddiderit. Est et aliud hominum genus, qui prae animi levitate, ingenii ac sapientiae haud vulgaris titulum adfectantes, speculationes ad morborum curationem ne hilum facientes moleste ingerunt; medicis non tam viam praemonstrantes, quam ignibus suis fatuis devios in errorem agentes.

His natura eum ingenii modum largita est, quo de illa docte nugari queant; at prudentiam non dedit, qua intelligant se eam haud aliter scire posse, nisi experientia indice, atque ejus peplum revelante: quando abjectior humanae materiae conditio ad scientiam intuitivam nullatenus adsurgens, intra angustos cognitionis, quam a quinque sensibus haurire potest, limites coarctetur. Unde nihilominus vir prudens, quantum fert sors humana, quis potest evadere; philosophus vero, saltem pro augustiori hujus nominis majestate, nemo mortalium evadet umquam. Medici autem philosophia omnis in expiscandis morborum historiis, iisque remediis adhibendis, quae, experientia indice ac magistra, eosdem valent depellere, tota stat; observata tamen, ut alibi dixi, medendi methodo, quam recta ratio (non speculationum commentis, sed trito et naturali cogitandi modo innixa) ei dictaverit.

Postscriptum.

Lector mihi veniam concedat, si unum haud parvi tam in dignoscendis, quam curandis febribus momenti hic adjiciam, quod nisi memoriae mihi exciderat, loco magis suo dicendum fuerat. Observavi, quod singulis annis ab hyeme ingruenti, usque ad ver adultum, febris quaedam invadit, quae, tam quoad symptomata quam curationem, a stationaria, sive febre epidemia constitutionis generalis, quae tum obtinet, plane discrepat, proindeque in febrium, quas intercurrentes adpello, classem recensenda est. Frigiditati aëris una cum crassitie, ac humiditate ejusdem, illa originem suam debere videtur. Hinc enim pori cutis occluduntur, et sanguis ob impeditam transspirationem colluvie serosa oneratur, quae tandem inimica facta, ac diuturniore mora putrescens vel a suscepto frigore, vel a levi aliqua occasione febrem accendit. Si materia morbum committens copiosa admodum fuerit, ea febris emergit, quam sub titulo peripneumoniae nothae, Libro de Morbis acutis, sectione sexta, capite quarto descripsi. Sin autem humor iste minus scateat, ea solummodo symptomata producit, quae jam sum descripturus. Aeger per diem unum vel alterum post primum febris insultum nunc incalescit, nunc friget: de dolore capitis atque artuum cum inquietudine quadam totius corporis conqueritur; lingua alba adparet; pulsus sanorum pulsui non admodum absimilis; urina turbida est et intense rubet; sanguis ei detractus pleuriticorum sanguinem aemulatur; tussis ferme adest; sed respirationis difficultas, thoracis coarctatio, et dolor capitis inter tussiendum, quasi idem dissiliret, dictae tussi (sicut in peripneumonia notha solent) se non adjungunt; proindeque cum notis insignioribus peripneumonicis haec febris haud stipuletur, licet a dicto morbo non nisi gradu dissideat, febrem hyemalem indigitare lubet.

Hic morbus, etsi primo ejus insultu symptomata, solummodo a frigore suscepto orta, prae se ferat, si tamen male tractetur, longam ineluctabilium malorum catenam post se trahit, qua tandem mortem

ipsam accersunt. Etenim, cum aeger lectulo incarceratus fuerit, et cardiacis nescio quibus ad sudorem eliciendum, ac proinde ad febrim solvendam (quod tamen raro perficitur) mulctatus, delirium, lethargus, pulsus languidus et inordinatus, lingua arida, maculae rubentes, et quandoque ad livorem aliquantulum accedentes saepe saepius hanc febrim comitantur. Haec atque hujusmodi symptomata, etsi nonnullis pro malignitate, ut loqui amant, imponant, revera tamen rei male gestae sunt adscribenda. Cum enim haec febris suapte natura plus satis inflammatione polleat, sanguis adhuc ulterius cardiacorum et jugi lectuli usu incenditur: unde spiritus in confusionem, ac motus inordinatos inconditosque adiguntur, atque materia morbifica in cerebrum impulsa in pessum ruunt omnia.

In hac febre pellenda hunc mihi scopum propono, ut exundantem scilicet illam pituitae colluviem, ob hyemis analogiam congestam, venaesectione revellam, et repetita catharsi subducam. Haec ut fiant, ubi primum accersor, sanguinem e brachio dextro ad unc. ix. vel x. mitti jubeo. Die sequente blandam illam potionem purgativam, mihi in praxi familiarem, exhibeo. Ut Rec. Tamarind. unc. sem., Fol. Sennae drachm. duas, Rhabarb. unc. un. sem. Coq. s. q. aq. ad unc. tres. Colatura dissolve Mannae et syr. Rosar. fol. aa. unc. un. M. F. Potio, sumenda summo mane. Hanc potionem per duas alias vices repeto, die uno inter singulas purgationes interposito, modo symptomata omnia citius non disparuerint: et noctibus insequentibus paregoricum ex syr. de Meconio unc. un. propino. Diebus a purgatione vacuis, modo tussis adsit, Decoctum pectorale, et eclegma, ex Oleo amygdalarum dulcium, Syr. capill. Veneris et violarum subinde adsumenda praecipio. Atque ad nimium sanguinis fervorem reprimendum, si febris magnopere aestuet, Emulsionem ex seminibus frigidis praescribo; ut et Julapium seq. Rec. Aq. Nymph., Portulac. et Lactuc. aa. unc. iv., Syr. de limonibus unc. un. sem., Syr. Viol. unc. un. M. F. Julap. de quo bibat ad libitum. Interim ut aeger a lecto interdiu sibi temperet, injungo, ut et a carnis esu; post primam vero, vel secundam, purgationem haustulum jusculi tenuis, ex pullo gallinaceo facti, subinde ad-

sumendum concedo. Verum hoc notandum, si symptomata quaevis graviora, ut respirationis difficultas, dolor capitis inter tussiendum lancinans, malum hoc ad peripneumoniam notham propius accedere indigitent; hoc in casu tam venaesectio, quam catharsis eousque debitis intervallis sunt iterandae, donec symptomata omnia penitus evanuerint, et aeger eo modo, quem capite dicto descripsimus, sedulo tractandus. At non nisi perquam raro febris, de qua jam agimus, ad eam saevitiem adsurgit, ut post unicam phlebotomiam, et tres purgationes, pluribus evacuationibus indigeat.

Sed de hoc satis, quod tamen mihi neutiquam reticendum videbatur, quo minus errante diagnosi febris haec hyemalis pro stationaria, sive febre epidemia generalis cujusvis constitutionis, habeatur, cum ingentem hominum vim ob hanc rem vel neglectam, vel ignoratam periisse certo sciam.

SCHEDULA MONITORIA
DE
NOVAE FEBRIS INGRESSU.

Viro tam virtute quam eruditione undique consummato

CAROLO GOODALL, M. D.
Coll. Med. Lond. Socio.

Cum ea, quae de febre praesentis hujusce constitutionis nuper observaram, in publicum edere statuerem, tibi prae caeteris, vir ornatissime, opellam hanc meam dicandam esse censui; idque ob duas potissimum rationes mihi faciendum videbatur. Primum quod, cum amicissimus mihi sis, comes indivulsus lateri semper haesisti, meque tuo juvasti patrocinio contra omnes, quotquot se mihi uspiam objecerant. Quod non tam mei ipsius gratia praestabas, quam ex incocto generoso pectori honesto, hoc est, ex magno proboque animo, qui tibi auctor fuit, ut veritati a te cognitae compertaeque adsentiri haud dubitares, etiam cum omnes fere omnium, qui rem medicam tractabant, linguae in me unum exacuerentur. Quibus tamen non est quod irascar (nec irascor sane), quandoquidem cum tot nequam medicastri cerebrosa sua somnia et figmenta venditantes, quo famam sui latius spargerent, toties mundo imposuerint; fas omnino erat, ut viri ingenio et judicio praediti, non statim et sine examine ea admitterent, quae ego jam recepto praxeos mori plurimum adversantia in medium protuleram. Quo non obstante, cum nihilo tibi minus debeam, mearum partium esse duxi, gratum animi mei in te adfectum omnibus testatum facere: quando vix alia virtus naturam humanam ad profectus ultimas metas evectam, hac deceat magis. Nam sicuti reges eos, quibus favent, titulis et honorum

insignibus illustrare, atque aliis spectabiliores reddere satagunt; ita natura, quoties hunc vel illum humili turba ac grege hominum eximere voluerit, gratitudinem, ceu excelsioris genii notam, ac characterem, solet imprimere. Altera ratio, cur haec tibi potissimum inscribam, haec est: quod scilicet pro familiari illa et quasi quotidiana consuetudine, quam jam per multos annos invicem habuimus, tibi inprimis, plus quam cuiquam mortalium, notum esse oporteat, quanto cum labore notitias illas quantulascumque tam historiae, quam curationis morborum, de quibus palam disserui, indeptus fuerim. Quae omnia non simul et semel evulgavi, sed interposito annorum aliquot intervallo, prout in aliqualem eorumdem cognitionem pervenire tandem potuerim. Istas vero observationes meas ita mancas et imperfectas esse judico, ut me magis earum pudeat, quam ut ullam exinde laudem mihi quaeram. Utut se res habeat, illud saltem in mei excusationem potest adferri, quod licet 30 annorum, et quod excurrit, spatium, quibus ego non indiligenter in morborum observatione versabar, sufficere posse videatur ad majorem, quam in eorum cognitione ego feci, profectum faciendum; attamen haud temere adfirmo, quod licet hoc temporis spatium plus quam sufficiat ad cerebrum theorematis et commentis fictitiis, ex auctorum libris collectis (quae omnia non magis ad morborum curationem faciunt, quam pingendi ars ad artem navigandi), plane obruendum; attamen ne quadruplicatus quidem horum annorum numerus, etiam in homine occupationibus medicis distractissimo, satis erit ad eumdem in omni medicae artis, quaqua patet, circuitu rite perficiendum. Ego saltem pro meo modulo omnem, quam potui, operam istuc contuli, ut observationes quam accuratissimas colligerem, quas sine mora praelo mandandas curavi, ut si quid utile haberent, id statim publico cederet. Qua in re cum meo munere pro virili defunctus jam mihi videar, adquiescit animus meus, nihil porro sollicitus, quo in loco ab aliis habeantur mea scripta. Hoc tantum addo, quod sicuti, si quis ea neglexerit, mihi ne hilum nocuerit; ita qui semel tantum perlegerit, haud multum exinde proficiet. Sed ut haec missa faciam, obsecro te, humanissime vir, ut tracta-

tulum hunc aequi bonique consulas, quo testatum esse volui, quanto te honore prosequor; quod pariter faciunt etiam ii omnes, quibus longe minus, quam mihi, perspecta est virtus tua. Neque jure merito existimare quis potest, me, qui tui nullatenus indigeo, tibi adsentari, cum palam profitear, quod sicuti in ea, quam exerces arte, nemini secundus sis (ut modeste loquar), ita morum integritate, honestateque undique absolutissima, omnes fere, quorum ego consuetudine unquam usus fuerim, superes. Diu vivas post mea fata, et in iatrica palmam feras; non tam ad nummos posterorum usui corradendos (quae quidem ratio, si cum sequente conferatur, animam fere brutorum redolet), quam ut seculo tandem aliquando detegas, quibus modis istae in morbis persanandis difficultates, sub quibus ars medica hactenus gemit et succumbit, vinci queant. Quod dum moliris, istis, quae ego primus jeci, fundamentis si modo libet, possis superstruere. Ita tamen, ut errata, in quae ego forte inciderim pro more humano, in meis observationibus sive historiam, sive curationem hujus illiusve morbi attinentibus, ubi ab annosa et repetita experientia melius fueris edoctus, libere ac palam arguas. Neque hoc pacto defuncti ejus memoriam laedes, qui in vita cum esset, nihil prius habuit, quam ut ars medica a quocumque demum promoveretur, non tam eruditis de morborum natura commentationibus (quibus ad nauseam et fastidium usque jamdiu explemur), quam certa fidaque eorumdem curandorum methodo. Vale, vir optime, et amare perge

Tibi semper addictissimum
THOM. SYDENHAM.

Excellenti et in re medica admirabili viro

D. THOMAE SYDENHAM, M. D.

O qui capacem nobilis artifex
Eludis orcum, quo tamen ibimus
Cuncti, quo humanae parentes
Et decimae tulit ordo Lunae;
Praesens fugacem sistere spiritum,
Praesens maligno tollere de toro
Mortale corpus, et propinquum
Exequiis removere morbum:
Quem nos honorem, quas statuas tibi
Ponemus, o cui non alium parem
In arte Phoebus, se remoto,
Aut oriens videt aut recumbens?
Quo febris audax cumque movet pedem,
Te mater omnis, te lacrymabilis
Adcurrit uxor, ne caducum
Orba virum puerosque ploret.
Seu confluentes forte timet notas
Decora virgo: tu faciem eripis
Periclitantem protegisque
Perniciem juvenum futuram.
Atqui odit artes et tua pocula
Haeres profusus, quem simul extulit
Ad spem implicatus vel febrili
Igne pater, vel hydropis unda:
Mire paratam, te medico, senex
Protelat urnam, non sine gloria
Phoebi tuaque, qui fugasti
Pollicitum sibi magna morbum.
Sic te scientem non faciunt libri
Et dogma pulchrum; sed sapientia
Enata rebus, mensque facti
Experiens, animusque felix.
Non mille plantae et multa domi vitra,
Ignesque centum aut hypothesis placens
Prosunt medenti vel coërcent
Saeva luis mala, saeva febris;

Ni pectus adsit consilii potens;
Ni plena rugis experientia
Ususque naturam secutus,
Quid faceret moneant in aurem.

Haec praxis olim grande decus sacrae
Adduxit arti; sic veterum stetit
Secura fama; sic praeivit
HIPPOCRATES, *meruitque coelum.*

At non eamdem sorte pari viam
Pressit GALENUS; *non Arabes virum*
Aeque secuti; non Falerna
Usque madens PARACELSUS *uva.*

Primus relictae tu genium adseris
Fidemque normae: en diva tibi salus
Adplaudit et ridens juventus,
Vitaque non metuens sepulchri,

Ex quo vagantem scripta manu tua
Correxit orbem pagina nobilis:
Longum illa morbosis, tibique
Perpetuum patefecit aevum.

Jam si qua restant, eja frequentibus
Concede votis; nos juvenilium
Vulgus medentum, nos avara
Qualibet excipiemus aure.

Forte et futuro tempore quispiam
Poeta, musis carior, aetheri
Te sidus addet, te salubre
Sidus, et in crisibus benignum.

Me destinantem talia chemicae
Curae reposcunt: me medicus labor
Et spes locatae non vacare
Pieriis patiuntur undis.

ED. HANNES,
Ex Aede Christi, OX.

SCHEDULA MONITORIA
DE
NOVAE FEBRIS INGRESSU.

Tametsi ingravescens jam aetas, et a diuturnis morbis paene confecta missionem a cogitandi penso meditationeque intensiori vel eo nomine sibi jure postulare videatur, attamen non mihi tempero, quin vel propriae sanitatis dispendio alienam curare satagam: populares scilicet meos admonens de subingressu novae cujusdam constitutionis, a qua pendet febris nova species, a nuper grassantibus multum abludens.

Memoria recolendum est, quod in autumno, anno 1677., febres intermittentes se primum exserebant, quae quotannis increbrescentes, ἐπιδημικώτεραι factae, donec ad suum statum sive ἀκμὴν pervenerint, postmodum sensim decrescebant, et postremis hujus constitutionis annis ita rarae apparebant, ut pro morbo epidemio vix, ac ne vix quidem, haberi potuerint. Qua de re pariter animadvertendum est, posteriores duos constitutionis jam exeuntis annos hyeme rigidissima fuisse infestatos; penultimum maxime, nempe annum 1683., in quo ita enormi bruma intemperies desaeviebat, ut nemo quisquam viventium illi parem, vel intensissimo eo frigoris gradu, vel praelongo temporis tractu viderit unquam. Quippe quo Thamesis, nobilis fluvius, ita praevalido gelu compaginabatur, ut curruum circumcursitantium rotas, officinas ad platearum modum mercibus refertas, ac numerosissimam hominum frequentiam, solidi instar pavimenti, facile sustentaret. Subsequens annus 1684. licet nec intenso frigoris gradu, nec pervicaci duratione praecedentem exaequaret, non tamen multum ei utrobique cessit. At cum primum exsolveretur gelu anno 1685. mense Februario, exorta est febris ista, de qua jam agere institui; quam quidem ego novam febris speciem esse arbitror, atque febri, quae per octennium ultimo praegressum invaluit, esse prorsus dissimilem.

An hujusce constitutionis mutatio mutationi manifestarum aëris qualitatum, quae per binas has hyemes successit, tribuenda sit, ego non satis scio; cum pro comperto habeam, alterationes quoad sensibiles annorum qualitates, utcumque dispares, morborum epidemiorum species non protulisse; et certam annorum seriem, quantumlibet annus unus ab alio externa facie et temperamento discrepaverit, nihilominus omnes in eadem febrium stationariarum specie producenda convenisse. Quod cum serio animadverterim, opinari mihi subiit, prout a me alias dictum fuit, constitutionis mutationem a secreta aliqua abditaque alteratione in terrae visceribus atmosphaeram omnem pervadente, vel a corporum coelestium influxu aliquo maxime pendere. Tametsi hic est notandum, quod valedicente nobis olim febre depuratoria, siccissimum ac vehemens gelu ab initio hyemis 1664 omnia constrinxerat; nec quidquam remisit, donec mensis Martius adolesceret; quo quidem tempore, quamprimum fatiscente gelu terra solveretur, mox febris pestilentialis, postmodum ipsa pestis grassari coeperunt. Utut vero hoc se habeat, febris, quam nunc tractamus, jam dicto tempore primum se ostendit, nempe Februario mense 1685, et tam praecedente anno, quam eo, qui jam agitur, per omnes Angliae regiones latius vagata est; longe magis et ἐπιδημικωτέρως aliis in locis, quam hic Londini desaeviens.

Ubi primum ad hanc febrem vocarer, omnino existimabam, illam non ex eo genere febrium fuisse, quas ego stationarias appello; sed potius ex intercurrentium familia, quae singulis fere annis promiscue adoriuntur. Non aliud scilicet morbi genus esse rebar, quam peripneumoniam illam notham, quam libro de morbis acutis olim delineaveram. Una hac intercedente discriminis nota, quod in hac febre subinde non comparebant symptomata in peripneumonia magis pathognomonica, qualia sunt tussis vehementior, cephalalgia inter tussiendum saevissima, quasi caput diffringens, vertigo a motu quolibet, et dyspnoea ingens, quae omnia peripneumoniam notham fere comitabantur. [Cum itaque librarius novam tractatuum meorum editionem eo tempore sollicitaret, visum est, conjecturam tunc meam, in

qua me hallucinatum fuisse jam sentio, in forma postscripti publico dare; in quem quidem errorem me induxit ingens consensus, quo febris haec cum dicta illa peripneumonica luculenter conveniebat, quae nullo non hyeme subinde occurrit. At cum aestate superveniente, quae febres illas peripneumonicas solebat fugare, haec nihilominus perseveraret, statim erroris mei commonitus, febrem hanc ad novam constitutionem redigendam omnino censui.

Symptomata diligenti, quantum potui, indagine comprehensa, haec fere sunt, et olim fuere: aeger per vices calore et frigore tentatur; saepenumero et caput, et artus dolere queritur; pulsus sanorum pulsui non absimilis est; sanguis e venis eductus pleuriticorum sanguinem haud raro aemulatur; aeger utplurimum laborat tussi, quae quidem quanto ab hyeme longius invadit morbus, tanto citius una cum aliis symptomatis peripneumoniam mitem et boni moris comitantibus recedit. Dolor collum, et fauces (hic vero levior, quam in angina) sub primum morbi insultum quandoque occupat. Febris tametsi prorsus continua sit, saepe tamen exacerbationes molestissimas ingruente nocte adportat, non aliter ac si duplex foret tertiana, sive quotidiana. Aeger jugem in lecto decubitum, quantumlibet levissime stragulis coopertus sit, non sine magno suo periculo experitur; febre enim exinde in cerebrum versa vel in coma, vel in phrenesin facile incidit. Et, ut verum fatear, ita proclivis est in hoc morbo ad phrenesin lapsus, ut persaepe sua sponte, nulla ejusmodi data ansa, illico subrepat. At non eo excandescentiae et furoris adscendit phrenitis in hac febre, atque illa, qua variolis atque aliis febribus correpti laborant; quinimmo aeger potius tranquille delirat, incongrua subinde effutiens. Ab intempestivo cardiacorum usu, et regimine paulo calidiore petechiae saepius exflorescunt, et in junioribus, calido temperamento praeditis, maculae etiam purpureae, certissimum summae inflammationis indicium, tam in hoc, quam in alio quovis morborum acutorum genere. Quandoque eruptiones miliares, quas vocant, in superficiem corporis se dispergunt, morbillis haud multum absimiles, nisi quod rubent magis, et quando recedunt, squamulas istas furfuraceas, quae in morbillis cer-

nuntur, haud relinquunt: licet hae sponte sua nonnumquam ingruant, saepius tamen lecti calore et cardiacis extorquentur. Lingua aegri pro ratione imperati regiminis vel humida est, vel sicca. Ubi inaruerit, fusci est coloris in medio, quam partem undique cingit fimbria inalbescens. Ubi vero humida est lingua, omni ex parte alba est, pellicula item scabra et alba vestita; nam si aeger ab adhibito regimine plus justo incalescat, lingua fere est fusca et arida; sin minus, humida est et alba. Idem de sudore dicendum est, qui pro ratione diversi regiminis praefati dimanat. Nam si calidius tractetur aeger, ferme viscosus effluit, e capitis praesertim regione. Quantumvis autem sudor copiose, et undequaque erumpat, parum tamen ex eo levaminis sentit aeger; unde liquet ejusmodi sudores symptomaticos tantum, criticos non esse. Primis morbi diebus sudoris ex arte provocatio, materiam morbificam si non in caput, saltem in artus solebat deponere. At ubi jam caput febris occupavit, et phrenesis semel invaluit, nulla restant febris indicia, nisi quod pulsus nunc citatior est, nunc tardior; tandem vero, cum ex re male gesta spiritus in confusionem omnimodam adigantur, pulsus inordinatus cum subsultu membrorum subingreditur, quem non ita diu post mors excipit.

Curationem quod spectat, ista peripneumoniae signa, quae hanc febrem comitabantur, Februario illo anni postremi, quo primum emergebat, statim ab hyemis exitu fidem, uti dixi, mihi fecere, eam prorsus in peripneumonicarum familia censendam esse. Ac proinde me statim contuli ad usum methodi istius, quam olim laudaveram in curatione peripneumoniae nothae, et auctario supra memorato. Quae quidem methodus satis feliciter cessit, tum mihi in paucis illis, quibus medicandis per adversam valetudinem meam vix sufficiebam, tum etiam aliis, qui, me auctore, eamdem experiri haud adspernabantur. Quidquid vero id demum fuerit, quod hanc mihi methodum suaderet; jam mihi satis compertum est, quando et morbi phaenomena, et ultimi anni, qui binas rigidissimas hyemes excepit, perpendo temperiem (hyeme praesertim, si modo hyems dici possit, quae nullum frigus notabile secum adduxit);

mihi, inquam, constat, hanc febrem nihil esse aliud, quam simplicem sanguinis inflammationem; ac proinde indicationes curativas ad dictam inflammationem debitis remediis et methodo reprimendam omnino dirigendas esse.

Hunc itaque ductum sequens, primo loco sanguinem e brachio dextro ad unc. x educi volo. Neque sane febris haec (utut sanguis emissus pleuriticorum saepissime sanguinem aemulatur) reiteratam phlebotomiam facile tolerat. Sin autem respirationis difficultas, dolor capitis inter tussiendum lancinans, etc. malum hoc ad peripneumoniam notham propius accedere indigitent; hoc in casu tam venaesectio quam catharsis eousque sunt iterandae, donec symptomata omnia penitus evanuerint; prout capite de peripneumonia tradidi. Atque hoc diligenter animadvertendum volo.

Vesperi epispasticum seu vesicatorium nuchae adpono. Sequente aurora, lenitivam hanc potionem exhibeo:

Rec. Tamarind. unc. sem., Fol. Senn. drachm. duas, Rhabarb. drachm. un. sem. Coq. s. q. aq. ad unc. tres; in Colat. dissolv. Mann. et syr. Rosar. solutiv. aa. unc. un. M. F. Potio, sumenda summo mane.

Quod quidem catharticum etiam alternis diebus repetendum praescribo, donec tertiam vicem expleverit. Hora somni post catharsin toties quoties paregoricum hoc vel simile injungo.

Rec. Aq. Paralyseos unc. duas., Syr. de Meconio unc. un., Succi Limon. recenter extracti cochl. duo M. F. Haustus.

Id scilicet cavens, ne forte ab agitatione et tumultu, quem in febricitantium sanguine et humoribus purgantia saepe excitant, aeger ex spirituum animalium confusione comatosus fiat. Quod quidem symptoma medicamentum hypnoticum, quantumlibet contra facere videatur, procul amolitur. Qua de caussa ego in febri comatosa anni 1675. catharticum propinare non ausus, in clysterum usu subsistebam, certo sciens, remedia purgantia eo tempore usurpata, illico comata adduxisse. Quod fortean aliter evenire potuisset, si paregoricum usurpatum fuisse post talem catharsin mihi in mentem venisset. Ubi vero purgatio celebrata non fuerit, hypnoticum hora

somni nullatenus est concedendum; ne scilicet cathartici postridie deglutiendi operationem ac vim (quod fieri solet, quantumvis sero adsumatur illud) sufflaminet, vel si non in solidum retundat, efficaciam tamen imminuat. In hac aut alia quavis febre epidemia statutum mihi est, alvum non turbare in principio statuve morbi, nisi venaesectione praemissa. Quae quidem praxeos regula susque deque habita aut violata quamplurimos orco addixit, infantes maxime, prout alias in cautelam monui.

Observandum est autem, quod licet utplurimum evacuationes omnes praefatae in hujus febris curatione usurpari debeant; saepe tamen aeger, maxime si juvenis aut infans fuerit, post eductum sanguinem una catharsi defunctus, statim convalescit, nec pluribus fatigandus est, febre primo purgantis remedii impetu expugnata. E contra vero nonnumquam opus est, ut alvus ad plures quam supra diximus vices sollicitetur. Quandoque enim, licet id raro evenit, aegro a febre jam dicta methodo liberato, recrudescentia materiae febrilis post dies aliquot morbum postliminio reducere videtur, quem tamen purgatio quarta vice repetita mox eliminat. Tametsi in hac methodo nova haec febris raro accidit, nisi ab aphthis, quae sub exitu febris praecedentis supervenere, et quae jam ad statum auctae eam denuo revocant. Quae quidem febris symptomatica tantum est, et singultum per intervalla redeuntem saepenumero post se trahit, qui etiam sublata febre per dies aliquot perseverat; at pro ratione redintegratarum aegri virium sponte tandem evanescit. Quod est diligenter animadvertendum, quandoquidem ex singultu, sub finem hujusce febris accedente, nihil aegro periculi est, nisi officiose nimis et inutiliter multa ingerantur remedia: quod si fiat, mors pro medico est. Verumtamen tam aphthae quam singultus, vel horum utervis, si non sponte facessat, sed in longum tempus decurrat, facile fugantur usu pulv. corticis peruviani; nempe unc. un. Corticis cum syr. Papaver. rhoead. q. s. in forma electuarii, vel pilularum redacta, eaque methodo adsumta, quam olim tradebam epistola ad D. D. Brady, superbibendo haustum lactis deflorati. Quod remedii genus experimento deprehendi certius in hoc casu scopum attingere, quam aliud

quodvis etiam e celebratissimis, modo non frustrentur ejus vires (quod fieri adsolet) ex jugi aegri in lecto decubitu.

Diebus a purgatione liberis sequentia vel his similia nonnumquam praescribo.

Rec. Conserv. Lujulae et Cynosbati aa. unc. un., Conserv. Berberum unc. sem., Cremoris Tartar. drachm. un. Cum s. q. syr. e Limonibus F. Electuarium, de quo capiat ad magnitud. nucis moschat. ter in die, superbibendo sequ. Julap. cochl. vi.

Rec. Aq. Portulac., Lactuc., Paralys. aa. unc. tres, Syr. de Limon. unc. un. sem., Syr. Violar. unc. un. M. F. Julapium. vel:

Rec. Aq. font. libr. un., Aq. Rosarum, Succ. Limon., Sacchar. albiss. aa. unc. iv. Coq. lento igne dum despumaverint. Cap. unc. tres ad libitum.

Verum in his omnibus spiritum Vitrioli, etsi summe refrigerantem, semper devito, utpote qui, cum egregie stypticus sit, minus convenit morbis omnibus, quorum curatio purgationi innititur; ut in hoc loco mineralem hujus spiritus naturam haud memorem.

Saepenumero hic accidit, maxime, febre jam ad finem vergente, ut aeger dum hac methodo tractetur, nocte subinde sudore sponte prorumpente diffluat: a quo admodum mitigantur universa morbi symptomata. Quo non obstante, cum hujusmodi diaphoresi fidendum non sit, supradicta methodus nullo pacto est intermittenda; quandoquidem si aeger ad longius temporis spatium istis sudoribus indulgeat, febris, quam purgationes praecedentes quadamtenus subjugaverunt, denuo vires resumet. Si enim diaphoresis ista protrahatur ultra tempus illud, quo particulae febriles, coctione debita praeparatae, prorsus difflantur, qui post insequuntur sudores, non ad aliud faciunt, quam ad inflammationem de novo accendendam. Quamobrem licet sudores isti, qui sponte manabant, critici fortasse fuerint, quoad materiae febrilis ejus, quae expulsioni jam parata est, eliminationem; alii tamen, qui post illos eliciuntur, symptomatici tantum esse possunt, atque adeo officere magis, quam prodesse. Verbo dicam: hujusmodi sudoribus noctu sponte sua prodeuntibus, opportune favet lecti per noctem lenis calor; quare stragula nec plura,

nec densiora illis, quibus sanus adsueverat, aegro adgerantur, nec exhibeantur medicamenta quaevis excalefacientia: lectulo tantum indulgeat aeger aliquantulum solito diutius mane subsequente; et postea pergat in supra descripta medendi methodo.

Diaeta ex pulticula avenacea est, vel jusculo hordeaceo, cum pomo subinde ad ignem cocto, atque etiam post secundam purgationem jusculo tenui ex pullo gallinaceo. Pro potu ordinario cerevisiam tenuem nullatenus tepefactam injungo, ut et decoctum album (quod appellant) ex unc. un. C. C. usti in aq. communis libr. tribus cocti, et postea sacchar. albiss. edulcoratum.

Post catharsin bis celebratam nulla suadet necessitas, ut alio loco adnotavi, pullorum carnibus, aut similibus eupeptis aegro interdicere, cum haec per purgationem medicatio ea indulgeat, quae non poterant concedi, si alii viae insisteretur. Atque porro post ultimam purgationem, modo febris aliquantulum deflagraverit et intermittentis typum nondum prorsus induerit, vini Canarini cochl. tria vel quatuor mane et sero, ut et post prandium, per dies aliquot propinentur, quo et vires citius instaurentur, et febriles avertantur accessus.

Cum autem haec febris species prae caeteris, quas mihi umquam videre contigit, cerebrum petere quasi apta nata sit, nec sine ingenti tum molimine, tum aegri periculo inde queat deturbari; aegros meos sollicite moneo, ne se nudos lectulo, nisi noctu tantum committant: quodsi usque adeo debilitati a morbo fuerint, ut erecto corpore sedere nequeant, permitto ut vel super lectum ipsum, vel super grabatum vestiti jaceant, capite paululum elevato; nec sino, ut focus sit luculentior in cubiculo, quam cui aeger tunc, cum sanus erat, adsueverat.

Atque ut hoc regimen omnino tenendum est ab initio in singulis hac febre correptis (si feminas in primis puerperii diebus decumbentes excipias), ita necessario est imperandum, ubi ad aegrum, quem ob regimen justo calidius phrenesis, petechiae, aut purpureae maculae obsederunt, aut alia quaevis efferatae inflammationis indicia, accersitur medicus. Hoc enim in statu, quantumlibet sanguinis detrahatur, quantumvis leviter tegatur corpus, quicumque de-

mum liquores refrigerantes ingerantur, non prius sedabitur febris, quam aeger se lectulo interdiu abstinuerit: cum calor circumambientis aëris inter stragula conclusi sanguinem plus satis exagitet, et procumbentis corporis situs vehementiori impetu eumdem in caput impingat. At hic ubi phrenesis ob methodum imperitiorem semel invaluit, nec subito deleri potest, nec tutum est, repetita ultra limites praescriptos vel phlebotomia vel purgatione ejusdem curationem adgredi; tandem vero suo tempore suaque sponte ope dicti regiminis recedet. Ad quam tamen amovendam nihil perinde confert, atque aegri caput radi: quod itaque semper praecipio, nullum emplastrum admovens, sed pileolum tantum, quod ablatum rasura capillitium spissitudine quadamtenus compenset, aut saltem caput a frigore externo muniat. Hac methodo cerebrum refrigeratur admodum et recreatur, ita ut sensim calidas impressiones phrenesin excitantes queat vincere.

Et quae de phrenitide hic dicuntur, de comate etiam huic febri supervenienti dicta sunto, in quo ut in dicta phrenitide materia febrilis in caput sursum fertur, ac proinde si linguae albedinem excipias, nulla adsunt febris signa, at aeger apyrexia prorsus frui videtur. In hoc pariter adfectu ac in alio, cathartica, sudorifica, vesicatoria, atque id genus alia non tantum nullo cum fructu, sed ne quidem sine maximo periculo usurpantur; istiusmodi enim evacuationes mortem saepius quam symptomatis hujus curationem adsciscunt. Quamobrem post evacuationes generales per venaesectionem et purgationem factas, quantumlibet hoc symptoma adstantes perterrefaciat, tota res naturae et tempori committenda est. Licet enim stupore aeger diu laborarit, post aliquammultos tamen dies pristinam sanitatem recuperabit, modo lecto non perpetim adfigatur, sed de eo eximatur indies, et supra grabatum, vel etiam lectum vestitus decumbat. Interim autem abradatur caput et sub adfectus finem vini Canarini cochl. tria vel quatuor bis in die exhibeantur. Sed de hoc fusius egi in sectione quinta et capite secundo libr. de morbis acutis, ubi de comate quodam insigni, febrem constitutionis illius comitante, disserui.

Quoad febrem autem haud deterrendus est medi-

cus a faciendis praedictis evacuationibus, si forte membrorum subsultum, vel motum convulsivum in aegri corpore persentiscat, dum pulsus tangitur; quandoquidem in quibusdam generis nervosi adfectibus tam venaesectio quam purgatio, etiam saepius repetitae, non tantum non nocent, sed et necessario sunt adhibendae. Cujus rei experimentum a me factum in medium profero, nempe in quadam convulsionis specie, quae chorea sancti Viti vulgo appellatur; quo morbo haud pauciores quinque laborantes et vidi, et sanavi ipsemet et venaesectionibus et purgationibus per intervalla celebratis. De quo morbi genere cum et mihi opportune occurrat, et eorum, quae jam adsero, veritati luculenter adstipuletur, pauca dicere non gravabor.

Chorea sancti Viti convulsionis est species, quae utplurimum pueros puellasve a decimo aetatis anno ad pubertatem usque invadit; primo se prodit claudicatione quadam vel potius instabilitate alterutrius cruris, quod aeger post se trahit fatuorum more; postea in manu ejusdem lateris cernitur, quam hoc morbo adfectus vel pectori vel alii alicui parti adplicitam, nullo pacto potest continere in eodem situ vel horae momento, sed in alium situm aliumque locum convulsione quadam distorquebitur, quidquid aeger contranitatur. Si vas aliquod potu repletum in manus porrigatur, antequam illud ad os possit adducere, mille gesticulationes circulatorum instar exhibebit; cum enim poculum recta linea ori admovere nequeat, deducta a spasmo manu, huc illuc aliquamdiu versat, donec tandem forte fortuna illud labris propius adponens, liquorem derepente in os injicit, atque avide haurit, tamquam misellus id tantum ageret, ut dedita opera spectantibus risum moveret. Cum adfectus iste ab humore aliquo in nervos irruente, quorum irritatione istiusmodi motus praeternaturales producuntur, pendere mihi videretur; indicationes curativas primum ad humores illos tam venaesectione, quam purgatione minuendos, dein ad corroborandum genus nervosum omnino dirigendas censebam. Quem in finem hac utor methodo. Sanguinem ex aegri brachio ad unc. vij. plus vel minus pro ratione aetatis educi jubeo. Die sequente vel dimidiam partem, vel quiddam amplius (pro ratione vel aetatis, vel

etiam majoris minorisve corporis ad subeundam catharsin aptitudine). Potionem purgantem communem supra descriptam ex Tamarind., fol. Senn. etc. exhibeo. Vesperi haustulum seq. propino.

Rec. Aq. Ceras. nigr. unc. un., Aq. epilept. Langii drachm. tres, Theriac. Androm. vet. scr. un., Laudani liquidi gutt. viij. M. F. Haust.

Potionem istam catharticam ad tres vices alternis diebus repetendam praescribo, et haustum paregoricum iisdem noctibus. Postea sanguinem rursus extrahi curo, dein ut ad catharsin, uti prius, aeger revertatur. Atque ita alternatim sanguinem mitto, et subduco alvum, donec aegro vena ter quaterve fuerit incisa, et post singulas venaesectiones toties fuerit purgatus, quoties vires ferre posse viderentur: eo tamen temporis spatio inter alternas evacuationes diligenter observato, ut nihil inde periculi aegro immineat. Diebus a purgatione vacuis sequentia praescribo.

Rec. Conserv. Absinth. rom., flavedinis Aurantiorum aa. unc. un., Conserv. Anthos unc. sem., Theriac. Androm. veteris, et Nucis moschat. condit. aa. drachm. tres, Zinzib. condit. drachm. un., Syr. e succ. Citri q. s. F. elect. de quo cap. ad magnitud. nucis moschat. mane et hora quinta vespertina, superbibendo vini sequentis cochl. v.

Rec. Rad. Paeoniae, Enul., Campan., Imperator. et Angelicae aa. unc. un., Fol. Rutae, Salviae, Betonicae, Chamaedr., Marrubii albi, et summitat. Centaur. minor. aa. man. j., Baccar. Juniper. drachm. vj., Cort. duorum Aurantior. Incidantur et infundantur frigide in vini Canarini libr. vj. Coletur tantummodo tempore usus.

Rec. Aq. Rutae unc. iv., Aq. epilept. Langii, et Bryon. compos. aa. unc. un., Syr. Paeoniae drachm. vj. M. F. Julap. Capiat cochl. iv. sing. noctibus cubitum iturus, instillando C. C. gutt. viij.

Adplicetur plantis pedum emplastrum e Caranna.

Quanto magis convalescit aeger, tanto minus pedem ducit; tanto pariter et diutius, et constantius manum in eodem situ continet, et scyphum ori magis directa via admovet; quae certissima sunt indicia, quantum profecerit in sanitate redintegranda. Ad quam quidem consummatius perficiendam, licet

auctor non sim, ut plus ter, quaterve utplurimum sanguinem emittat aeger, attamen remedia cathartica et alterantia eousque in usum sunt revocanda, donec rectissime tandem valeat. Et quoniam, qui hoc morbo semel laboravit, facile recidivam pati possit, e re fore existimo, ut et pertundatur ei vena, et ad dies aliquot purgetur vel ea ipsa tempestate anni sequentis, vel paulo antequam morbus primo invasit. Sane haud multum abest, quin huic methodo epilepsiam adultorum cedere posse autumem, modo remedia praescripta aetati eorum rite adaequentur; tametsi, cum non nisi perquam raro hic morbus mihi occurrerit, non adhuc idem sum expertus. Sed de hoc obiter.

In feminis, adfectionibus hystericis obnoxiis, quandoque accidit, ut, ubi curatio evacuationibus dictis commissa fuit, febris post venaesectionem et purgationes istiusmodi iteratas etiamnum duret procurratque. In hoc casu febris, quae jam urget spiritum, commotioni ab evacuationibus excitatae durationem ejus plane debet, ac proinde jam, aliis omnibus posthabitis, indicationes curativae, modo signa peripneumoniae et inflammationis circa partes vitales absint, ad quietem spiritibus inducendam et eorum orgasmum sedandum omnino sunt dirigendae. Quem in finem singulis noctibus paregoricum, quod vigiliis debellandis par sit, exhibeatur, atque etiam medicamenta hysterica proprie dicta, bis vel ter in die, injungantur, qualia sunt pilulae ex Galbano, Asa foetida, Castoreo, et similibus, et julapia ejusdem indolis in cap. de adfect. hyster. descripta. Insuper ad vires instaurandas et vapores, quos dicunt, supprimendos concedatur aegrae talibus victitare, tam quoad cibum quam potum, qualia adpetitui maxime conveniunt.

Jam diximus, febrem hanc tum anno ultimum elapso, tum maxime hoc ipso, qui nunc currit, exacerbationem quamdam sub noctem quotidie adducere, paroxysmo febris intermittentis non absimilem. Quamobrem medici illi, qui usu didicerant, omnes illas febres, quae vel minimum intermittebant (saepe etiam, quae ne intermittebant quidem), per illam annorum seriem, ab an. 1677., ad initium an. 1685., a cortice peruviano certissime fugari, eodem remedio hanc etiam febrem adoriebantur. Quod quidem

licet judicio rationis suffragante tentarent, non tamen aeque feliciter illis cessit, atque prioribus istis annis plerumque cesserat. Mihi enim quantum potui diligenter perquirenti compertum fuit, etiam magnam corticis quantitatem exhibitam rarissime aegrum a morbo liberasse. Idque ita perraro, ut quoties restitueretur aeger pristinae sanitati, ego id magis fortunato alicui morbi eventui, quam corticis viribus tribuendum arbitrarer: ita penitus cortex descivit ab illa sanandi vi et certitudine, qua praedictis illis annis pollebat. Febrem istam intelligo, qua cum nobis in praesentiarum res est, quae quotidianam aliquatenus imitatur. Ubi vero tertianae genuinae, vel alternis diebus invadentis, typus reperitur, cortex peruvianus perinde hodie atque olim aegris opitulatur. Unde liquido constat, hanc febrem ab istis constitutionis prioris toto coelo distare; cum ne hilum quidem corticis usu hic proficiamus, cumque haec e vino et cardiacis, aliisque calidis exasperetur magis; quibus omnibus cum corticis usu olim satis conveniebat, quin et cum ipsa febre.

Porro notandum est, quod grassante hac febre, per aestatem omnem, maxime illam anni jam currentis, morbus persaepe non tam pathognomonicis febris signis, calore scilicet, inquietudine etc., quam ventris torminibus, nunc siccis, nunc dejectionibus, se ostendebat. Cum nihilominus sub hac larva ipsa hujusce tempestatis febris delitesceret, in qua exhalationes sanguinis inflammatoriae non pro more solito in externum corporis habitum protrudebantur, sed introrsum per arterias mensentericas in viscera inferioris ventris, sive intestina; et nonnumquam etiam per arteriarum coeliacarum ramos in ventriculum deponebantur; quae quidem exhalationes vomituritionem excitare solent, praecipue statim ab ingestione sive potus, sive nutrimenti cujusvis solidioris. Quamvis autem haec febris sub dictorum symptomatum specie et forma delitescat, omnino tamen genuina illa methodo, quam supra dedimus, expugnanda est, perinde ac si usitata hujus febris facie compareret, idque tam ratione venaesectionis, quam repetitae catharseos. Nisi quod hic animadvertendum sit, quod quoties febris eo usque ventriculum infestet, ut aeger potionem retinere nequeat, pilulae

Cochiae majores (quae ad scr. duos exhibitae numquam non per viscera sibi exitum parant) loco potionis leniter purgantis substitui possint. Devorentur vero pilulae hora quarta matutina, ita ut aeger superdormiat. Tum etiam hypnoticum dosi paulo largiore est concedendum, v. gr. Laudani solidi Londinensis gr. un. sem. cum simili quantitate Mastiches in duas pilulas redacta, eadem nocte deglutiantur; vel etiam Laudani liquidi gutt. xviij vel xx in unc. un. Aq. Cinnamom. hordeat., aut alio quovis vehiculo generosiore; quo ventriculus hujus tum viribus corroboratus, tum minori quantitate non irritatus ad medicamenti rejectionem minus insurgat. At si quovis modo potio purgans, et Diacodium in ventriculo queant retineri, dictis pilulis et Laudano omnino praeferantur, cum officio suo fungantur, corpore minus quàm a pilulis excalefacto.

Cum autem de torminibus ventris mentionem fecerim, monendi hic mihi sunt populares mei, quanto cum periculo, prout frequenti observatione didici, aquae minerales in ventris torminibus quibuslibet, vel diarrhoea, vel vomitione, vel adfectu alio quocumque, quem a febre oriri vel suspicari possimus, praescribi soleant. Quandoquidem in tam subtili et spirituoso morbi genere ac febris exstat, ejusmodi medicamenta mineralia ita omnia conturbant, ut loco eorum symptomatum, quae febrem ex more usitato comitantur, accidentia prorsus anomala adducant; nec quidquam interea ad febris exstirpationem conferant, quod me diu saepeque observasse memini.

Illud interim omnino observandum est, utpote quod ad quamplurimos ab orci faucibus liberandos pertineat, quod, non obstantibus iis, quae supra jam tradidimus, quotiescumque praedicta ventris tormina ad dysenteriam usque confirmatam (in qua praeter illa tormina materia quaedam mucosa una cum sanguine per sedem excernitur) promoventur; hic mihi periculosissimum esse constat, morbum adgredi protractiore illa methodo, quae evacuandos primum, dein contemperandos acres istos humores esse docet (ut de remediis adstringentibus varii generis, et variante forma intro adsumtis, tum et clysteribus nunc abstergentibus, nunc consolidantibus subinde injectis

nihil dicam); cum experientia didicerim dysenteriam et certissime, et celerrime curari, si, missis ambagibus, fluxus Laudano confestim sistatur. Ita enim atrox et vehemens est hicce morbus, ut, si dysenteria jam confirmata adhuc purgare satagas, perquam metuendum sit, ne dysenteria sumtis inde viribus in praeceps lata aegrum prae incredibili fermento, quocumque te postea verteris, diutius excruciet, vel etiam vita spoliet. Advocatus itaque, guttas circa xxij Laudani liquidi in aq. epidemia vel aq. mirabili, vel alia simili protinus exhibeo, bis intra horas 24 repetendas; vel etiam hoc saepius statis intervallis, si nempe dosis jam praescripta, mane ac sero tantum usurpata, tam torminibus ventris, quam dejectionibus cruentis rite compescendis par non fuerit. Dejectionibus paululum incrassatis, vel jam magis consistentibus (quod primum sanitatis mox recuperandae indicium est), et fugatis symptomatis tutissimum arbitror, ut aeger aliquantisper in usu praedicti remedii, mane et sero capiendi, perseveret, guttulis aliquot indies demtis, donec eo amplius non fuerit opus. Animadvertendum autem est diligenter, quod aegrum diutius ab usu paregorici lectulo adfigendum curo, cum situs quilibet paulo erectior cerebrum facile conturbet, nisi aeger somnos post in lecto satis longos captaverit. Diaetam quod attinet; si aeger vino prius adsueverat, Canariense concedo, probe tamen aqua dilutum, in qua panis crustulum fuerat decoctum; et quam frigidam in hunc usum in lagena adservandam jubeo, ut in promptu sit, ubi vinum est contemperandum. Decoctum album e cornu cervi usto in aqua fontana, hic etiam affatim epotum prodest. Pro victu jusculum hordeaceum, vel e pullorum carnibus elixis; ovum sine testa coctum, vel aliud quodvis ex eupeptis in primos dies sufficiet. Deinceps vero tum ad liquores magis generosos, tum ad alimentum uberius solidiusque paulatim adscendendum, ne scilicet nimia vacuitas sive exinanitio vel morbum, a quo convaluerat, vel alia symptomata, quae exinanitio solet parere, denuo reducat. Verumtamen hoc est adnotandum, quod licet in constitutione jam regnante Laudanum solitarium suo Marte dysenterias subjugabat; in istis tamen annis, in quibus dysenteriae epidemiae grassantur, caeteris

praelucent morbis, non abs re fuerit, illas primum evacuationes, quas in cap. de dysenteria olim descripsi, in usum revocare.

Et sicuti in radicata illa dysenteria modo dicta, ita etiam in hoc, qui sequitur, casu fieri non potest, ut curatio methodo illa, quae febri, unde primitus ortum duxit, debetur, illico possit expediri. Verbi gratia. Nonnumquam usu venit, ut quis rigore atque horrore corripiatur, calore et frigore per vices alternantibus, quae sunt haud mendacia febris jam imminentis indicia. Derepente viscerum torminibus a materiae febrilis irruptione ac insultu gravissime discruciatur. Aeger cum venam ferire, et alvum repurgare deberet ad normam suprascriptam, ad medicamenta, nescio quae calefacientia, tam intro adsumenda, quam extra adplicanda se confert: eo scilicet animo, ut flatus, quos hujus mali fontem esse auguratur, his mediis discutiat: donec tandem augescente dolore, et visceribus diuturniori mora quasi impacto, motus intestinorum peristalticus, quo ex naturae ordine omnia deorsum propellere debent, inverti occipit, et inclusa omnia sursum tendunt; unde aeger saevissimo cruciatu torquetur, et provocatur ad vomitionem, malo jam in iliaca passione desinente. Hic in medendi ratione, quam febris, quae hujusce symptomatis caussa erat antecedens, sibi postulabat, ulterius procedere nequit medicus, quam ut sanguinem ex aegri brachio semel extrahendum praecipiat: etenim quot et qualiacumque demum cathartica propinaveris, ea statim emetica fieri, atque ita sursum inversum viscerum motum magis promovere solent; cum utplurimum vix fortissima quidem medicamenta purgantia vel minima eorum pars intestina permeare valeant, ac sedem petere. Rebus sic stantibus consultissimum esse arbitror brachii venam primum pertundere; mox, interjecta hora una alterave, clysterem aliquem ex iis, qui potentius operantur, injicere; ego fumum nicotianae sive tabaci ex tubulo inverso per vesicam majusculam in intestina validissime insufflatum, enema omnium, quae mihi innotescunt hactenus, efficacissimum esse duco. Qui etiam post moram aliquam reiterari potest, nisi prior immissus, soluta alvo, meatus deorsum versus reseraverit. Huic autem re-

medio symptomate haud cedente, omnino necesse est, ut catharticum paulo fortius ac δραστικώτερον in usum veniat, utut difficile fuerit exinde viam facere; ut Rec. Pil. ex duobus gr. xxv, Mercurii dulc. scrup. un. cum s. q. Balsam peruv. F. Pil. n. iv. cap. e cochl. uno syr. Violar., nullum insuper liquorem adsumendo, ne minus retineantur. Sin autem aeger hoc remedium per os rejecerit, hac methodo procedendum. Rec. Laudani liq. gutt. xxv, Aquae Cinnam. fortis unc. sem.; instillatae statim propinentur; et interjectis aliquot horis idem paregoricum repetatur. Cum vero horum usu vomituritio ac ventris dolores remiserint, tunc catharticum prius dictum iterum exhibeatur. Hoc enim tempore idem sub Laudani tutela adsumtum retinebitur, ac suo tandem defungetur munere. Verum si anodynorum virtute ac vi jam penitus infractis, vomituritio ac dolor iterum redierint, cathartico interim in corpore restitante; in hoc casu ex dejectionibus per inferiora, spe omni in praesentiarum abjecta, ad usum paregorici supra descripti revertendum, idemque eousque repetendum quarta vel sexta quaque hora, donec intestinis quies omnimoda inducatur, ac proinde motus eorum naturalis deorsum versus restituatur: quo quidem tempore catharticum, quod hactenus ob contrarium intestinorum motum in corpore sisteretur, jam operationem suam per sedes exseret, quantumlibet ex tam repetito narcoticorum usu plane contrarium effectum iri videatur. Quod et ipse, dum haec scriberem, in generoso quodam, ileo saevissimo laborante, expertus sum; cui tamen postea ex nimis longa tam humorum morbum committentium, quam acrium catharticorum retentione aphthae supervenere, sed quae satis facile debellarentur usu corticis peruviani supra descripto; ut et os saepe colluendo cum sequente gargarismate; Rec. Succi pomorum agrestium libr. sem., Syr. de Rubo idaeo unc. un. F. Gargarisma. At cum jam ductus isti pro naturae lege denuo pateant, aegro liberum est, ut ad dies aliquot ferietur a purgatione, donec scilicet tumultus nuper in visceribus excitatus omnino resederit; quod temporis spatium humorum calori et acrimoniae diluendis contemperandisque satis commode impertiri potest. Quo facto catharsi alternis diebus, ut supra,

repetendae vacare debet, si vel minima adhuc restant febris vestigia. Sed de hoc satis.

Si infans hac febre laboret, tum hirudines duae utrimque pone aures adplicentur.

Dein emplastrum epispasticum posteriori cervici admoveatur.

Cum cerevisia, in qua Rhabarbarum fuerit infusum, purgetur.

Si post catharsin febris intermittere videatur, tum julapium cum cort. peruv. (in cap. de febre intermittente, pro infantibus descriptum) exhibeatur.

Hoc in loco insuper est animadvertendum, quod licet infantes huic febris generi aeque cum adultis obnoxii sint, ac proinde pari cum illis methodo curandi, nisi quod pro ratione aetatis minor sanguinis quantitas est detrahenda, ac catharsis tum eorum aetatulae adcommodanda, tum etiam forte rarius celebranda (saepe enim et infantium et juniorum morbus a primo vel secundo saltem cathartico praedominabitur); nihilominus serio advertendum est, an, quae hoc modo tractatur, febris pro certo hujusce constitutionis fuerit, non vero alterius speciei? quod diligenter perquiri debet in febribus iis, quae infantes corripiunt, in omnibus quibuscumque annorum constitutionibus. Vulgo enim notissimum est, infantes a doloribus, ex dentitione ortis, saepius in febres agi, quae haud ita facile ab alterius generis febribus internoscuntur. In harum ego curatione diu multumque angebar, nec nisi nuperis his annis certo mihi persuadere potui, quemlibet ex illis, qui meae curae concrediti ad sanitatem restituti fuerunt, tam arte quam casu convaluisse: donec tandem de felici successu remedii haud ita celebris, immo ob tritum ejus usum plane contempti, frequenter admonitus illud ipse quoque praescriberem; quod etiamnum prae caeteris, quae mihi innotescunt, medicamentis optime votis respondet. Ejusmodi vero est: guttae duae, tres, vel quatuor spiritus C. C. pro ratione aetatis in cochleari uno vel altero aq. Cerasor. nigr. vel julapii alterius adpropriati exhibeantur, quarta quaque hora, ad vices quatuor vel sex.

Est et symptoma aliud infantibus permolestum, longe diversum et a febribus variorum annorum

constitutionum, et ab illa proxime memorata. Est vero hecticae species, infantes diu adfligens, qua infestati sine insigni aliquo calore languent, cum appetitus dejectione, et tam artus quam corporis truncus ubique emaciantur. Simplicissima, qua hic utor methodo, talis est: Rhei electi taleolatim incisi drachm. duas in lagenam vitream, duarum librarum cerevisiae tenuis capacem, subere mox probe obturandam, immitti curo (vel in alio quolibet liquore, quo pro potu ordinario uti solet infans), quam cerevisiam ita medicatam infanti tam noctu, quam interdiu, et cum et sine cibo, propinandam injungo. Epoto hoc liquore, duas alias libras Rhabarbaro eidem superaffundi jubeo; quibus pariter exhaustis, alias adhuc duas pro tertia vice substituo; quo facto et Rheum vires suas amittit, et infans morbo utplurimum liberatur. Ne tamen cerevisia primum affusa, Rhei vi cathartica saturatius impraegnata, justo vehementius alvum cieat, cautius agimus, si libra una epota alteram statim adjiciamus: post vero recentem cerevisiam non adfundemus, nisi exhausta ea omni, quae prius fuerat lagenae inclusa.

Sed ut ad febrem, de qua nunc agimus, constitutionis scilicet jam currentis, revertamur. Hoc sedulo observandum est, quod in hoc febris genere (perinde ac in rheumatismo et aliis morbis quamplurimis, quorum curatio solis evacuationibus absolvitur) si dictis evacuationibus pertinaciter insistamus, usque dum symptomata omnia prorsus ablegaverimus, saepius aegro non nisi morte medebimur. Neque enim ita insolens est, ut symptomata quaedam leviora, et quasi effoetae febris reliquiae, aliquantisper etiam exspirante jam morbo, perdurent; a quibus tamen nullum aegro recidivae periculum est, quaeque sua sponte pari passu, quo sanitas redit, abscedent. Quid quod jam recitata symptomata haud raro nihil aliud sunt, quam reiteratarum evacuationum, quibus medicus morbi curationem tentavit, vera progenies; si huic saltem addamus in caussae partem, exinanitionem illam, quam aegri a consuetis cibis potuque abstinentia superinduxit: quae omnia cum in corpora jam a morbis infirmata et pene confecta vim fecerint, vapores, quos dicunt, haud aliter elevantur, quam in feminis, atque eamdem plane ob ra-

tionem, ob debilitatum scilicet et quasi disjectum fractumque spirituum animalium systema. Quapropter post factas, quae tollendo morbo sufficere queant, evacuationes prudentis medici est, ab importuna earumdem ordinatione sibi temperare, et paulisper attendere, quid tempus, medicorum saepe felicissimus optimusque, ad leviculorum istorum symptomatum depulsionem conferre possit; quae quidem saepenumero, prout multoties repetita observatione comperi, a paregorico duabus vel tribus noctibus adsumto, sine alio quovis adparatu, sub morbi hujusmodi exitu devincuntur.

Methodus jam laudata caeteris, quas expertus sum, omnibus in hujusce febris curatione facile antecellit. Si quando vero febrem non prorsus tollat, id saltem agit, ut intermittere cogatur; ac proinde peruviano cortici, qui hic numquam non triumphat, conficiendam tradit. Cum autem catharsis isthic imperata curationi hujus febris obesse nonnullis fore videatur, pro comperto adfirmo, nihil ita certo atque ita potenter aegrum refrigerare atque catharsin, post venae sectionem (quae ubique praemittenda est) celebratam. Tametsi enim medicamentum purgans eo ipso, quo sumitur die, atque adeo inter operandum majorem in praesentiarum et in sanguine et in reliquis humoribus, quam qui ante fuit, tumultum excitet, et proinde febrem intendat; id tamen noxae emolumento mox inde subsecuturo plus satis pensatur. Testatur enim experientia, catharsin, modo post eductum sanguinem tentetur, quibuslibet aliis remediis felicius certiusque febrem perdomare; tum quatenus foedam illam humorum illuviem e corpore exigat, a quibus ut a caussa antecedente febris accendebatur, vel si non antea peccabant ii, jam saltem concalefacti, et a febris ardore quasi cocti et constipati ad ejusdem moram diuturniorem multum faciunt; tum etiam quatenus anodyno viam sternit, quod tutius longe certiusque officio suo fungitur, quam si humores peccantes, qui paregorici vires aliter potuissent infringere, purgatione non fuerint eliminati.

Et e contra, sicuti methodus illa, quae materiam febrilem per poros cutis eliminare satagit, minus habet certitudinis, ita plus habet et fastidii, et mo-

rae, utpote qua morbus saepius ad septimanas aliquot producitur. Cum aeger hoc modo primum in ipso sepulchri margine (si forte Libitinam evitet tandem) constituatur; et per longum illum febris decursum denso remediorum agmine infestetur, quibus ea expugnantur symptomata, quae imperita morbi tractatio advexit; dum regimine et medicamentis calidissimis tentatur curatio ejusmodi adfectus, qui pro genio suo utraque horum frigidissima omnino deposcit. Atque ita dum male sani homines artis, falso dictae, regulis se mancipant, etiam spreto sensuum illis reclamantium judicio, morbum ex sua natura brevem, facilemque, in diurnum et difficilem erudite convertunt, omnia tumultu et metu conturbantes; et fluctus, quod ajunt, excitantes in simpulo. Quo facto non iis magis opus erat, quam est nauclero, ut dum in mari libero navem possit agere, eamdem inter cautes et brevia inserat; unde licet majoris peritae gubernationis famae comparandae opportunitatem nanciscatur, servato in tanta desperatione navigio, viri prudentis saltem nomen amittet.

Has itaque ob caussas, et prudenti, uti spero, fiducia adfirmare lubet, quod dicta methodus curationis per venaesectionem et purgationem expediendae plus alia quavis praestabit in febribus quamplurimarum specierum expugnandis. Licet enim diaphoresis, proprie loquendo, naturae ipsius sit methodus, qua materiam febrilem foras protrudit, et prae caeteris maxime genuina sit et adcommodatissima, quoties natura, suo relicta arbitrio, dictam materiam primum digerat, dein rite coctam per corporis habitum blande expellat (quem felicem naturae eventum, febres per sudores abigentis, cum medici practici saepe animadvertissent, hinc ansam adripiebant *δογματικώτεροι* fidenter statuendi, febres universas hac tantum methodo, non vero alia quavis, profligari posse ac debere); quo tamen dato et concesso, ars nihilominus, quantumcumque naturae imitationem prae se ferat, id saltem sibi privilegii adrogare nequit, ut febribus per sudores certo exigendis par sit. Primo enim nescit ars, quo pacto materia peccans ad expulsionem subeundam rite praeparanda sit; nec si hoc sciat, certa ulla habet

indicia, quibus de hujusmodi debita praeparatione possit moneri; unde etiam et tempus ciendo sudori opportunissimum ignorari necesse est. Temerariam vero sudoris nondum peracta coctione provocationem longe periculosissimam esse, nemo opinor nisi pertinax negaverit; cum materiam crudam in cerebrum impingens oleum camino addat. Atque, prout alias etiam innui, saluberrimum illud HIPPOCRATIS monitum, „cocta, non cruda sunt medicanda," non tam catharsin, quam diaphoresin ex arte sollicitandam spectare videtur. Etenim neminem, in aegris tractandis vel mediocriter versatum, fugere potest, quam multi indies male multentur a vetulis et imperitis medicastris praepostero hoc sudorificorum abusu: his enim more receptum est, ut si quis de rigore, et capitis atque ossium dolore (quae utplurimum febris mox invasurae praeludia sunt) conqueratur, extemplo illum lecto adjudicant, et sudoribus quoquo modo extorquendis toti incumbunt. A quo importuno molimine tantum abest, ut praecaveatur febris, quae forte vel sua sponte, vel eductis aliquot sanguinis unciis poterat evanescere, ut e contra magis accensa vehementius exardescat, et in morbum jam radicatum confirmatumque abeat. Illud insuper (ut vetulas jam missas faciamus) notissimum est, quod sicut sudores isti, qui febre primum ingruente spontanei erumpunt, symptomatici omnino sunt, nullatenus vero critici; ita etiam, qui primis febris diebus diaphoreticorum vi exprimuntur, nihil magis ad morbi curationem plerumque conferunt, quam solent alteri illi symptomatici, ita praemature sua sponte manantes, hoc est, utplurimum ne hilum quidem. Deinde vero sicut ignorat ars opportunitatem illam temporis, qua sudores eliciendi fuerint, ita pariter nescit, quamdiu in iisdem sollicitandis perseverandum sit. Quodsi diaphoresis ultra debitum tempus, quo scilicet materia morbum committens penitus fuerit exacta, protrahatur; humidarum istarum particularum, quibus sanguis diluendus contemperandusque erat, absumtio febris tum morae diuturniori, tum incremento ministrabit. Constat itaque, quam in lubrico res hic vertatur; cum e contra penes medicum sit, alteram illam methodum, qua materia febrilis per phlebotomiam et catharsin eli-

minatur, pro arbitrio suo moderari. Adde, quod hoc etiam nomine haec illi alteri anteponenda est, quod scilicet, si forte medicus propositum sibi scopum non attigerit, in sanando aegro, saltem eumdem in nullum discrimen adducit, quod in diaphoreticorum usu contingit, nisi convalescat. Etenim vel calor lectulo jugiter inclusi, cui praeter solitum morem aliquamdiu se addixit (ut cardiaca, quae in hac medendi ratione locum semper obtinent, omittamus), naturae oeconomiam confundit, et convulsivos artuum motus, aliaque symptomata prorsus anomala adfert. Quae sane ideo delineari non possunt, quia sub morbi historiam non cadunt (quod in symptomatis plerisque ad quemlibet morbum spectantibus usu venit), sed a superaddito tumultu et confusione oriuntur, quibus saepe opprimitur natura, quoties curationem morbi hac methodo aggredimur. Quae quidem omnia vulgo malignitati nescio cui solent imputari.

Cujus de malignitate (sive notionem, sive verbum dixeris) opinionis inventio humano generi longo ipsa pyrii pulveris inventione letalior fuit. Cum enim eae febres praesertim malignae dicantur, in quibus intensioris prae caeteris inflammationis gradus conspicitur, hinc medici se ad usum cardiacorum et alexipharmacorum nescio quorum contulerunt, quo scilicet per cutis poros expellant, quod somniant venenum (hoc enim est dicendum, nisi malint verbis ludere, quam illud, quod potest intelligi, serio proponere); ex quo factum est, ut regimen calidissimum methodumque huic parem iis morbis adaptaverint, quae frigidissima tum remedia, tum regimen prae caeteris sibi postulabant. Quod quidem satis arguitur tum in variolarum, qui ex calidissimis in rerum natura adfectibus est, tum in febrium aliarum curatione. In quem errorem forte inciderunt ex conspectu petechiarum, macularum purpurearum et caeterorum id genus *φαινομένων*. Quae tamen omnia in plerisque subjectis, inflammationi, aegri sanguini jam diu plus satis a febre accenso superinductae, omnino debentur. Utpote quae raro sponte sua efflorescunt, praeterquam sub adventu pestis ipsius: atque in initio invasionis istarum variolarum confluentium, quae summae inflammationis

participes sunt. In hoc enim morbi genere maculae liventes in variis corporis partibus, una cum pustulis primum erumpentibus comparent; atque aeger eodem tempore sanguinis excretione vel per meatus urinarios, vel cum tussi per pulmones fatigabitur; cum ita valida exagitatione atque orgasmo ab inflammatione orto sanguis ferociat, ut diffractis jam repagulis, in cavitates corporis praeceps ruat. Et licet maculae istae purpureae in hac febre non a tam intenso sanguinis calore, qualis is est, qui istiusmodi haemorrhagias excitat, ortum ducant; ab eadem nihilominus inflammatione, sed gradu remissiori producuntur: et quoties ista sanguinis excretio (unicum in variolis symptoma, cui devincendo nondum par est ars medica) non accedit, refrigeranti regimini facile cedunt. Quod si malignitatis praesentiam non tantum e maculis purpureis colligunt, sed ex eo, quod observaverint, febris symptomata subinde fuisse mitiora, quam quae ejus naturae competere viderentur, aegrum tamen magis viribus occisum fuisse, quam pro ratione temporis, a quo coepit aegrotare; respondeo, omnia haec exinde tantum procedere, quod natura a primo morbi impetu quasi oppressa devictaque non satis valida est, ut symptomata regularia et magnitudini morbi consona exserat; omnia vero phaenomena prorsus sunt anomala. Etenim perturbata oeconomia animali et quasi disjecta, febris exinde deprimitur, quae, obtinente genuino naturae ductu, vigere solet. Cujus rei experimentum haud vulgare occurrisse mihi memini multis abhinc annis, in juvene quodam, ad quem accersebar. Quamvis enim ferme animum agere videretur ille, calor tamen in externis corporis partibus ita ad tactum sentiebatur temperatus, ut fidem mihi derogarent adstantes amici, quoties adserebam eum febre laborare, quae ob sanguinis oppressionem (cujus mole, exitu negato, quasi strangularetur) se explicare et ostendere palam nequibat: quod si venam inciderent, febrem illico satis violentam statim animadverterent. Aperta vena et sanguine paulo copiosius educto, emicuit febris, qua vehementiorem mihi nondum videre contigit; quae non nisi tertiae quartaeve demum phlebotomiae cessit. Sed de his satis.

Quodsi rationes a me allatae tanti non sint, ut certo ac necessario evincant, rem ita se habere atque ego statui; attamen si suffragante experientia deprehendero, hancce febrem evacuationibus, per diaphoresin factis haud libenter cedere, habeo quod quaero. Neque enim cujuslibet demum ratiocinatio, sed potius experientia docere poterit, quaenam febrium species diaphoreticis, quaenam vero aliusmodi evacuationibus sanari possint ac debeant. Et profecto nemo sapiens, cui tam hominum quam rerum natura satis est perspecta, in iis, quae merae speculationes sunt, nullo autem certo experimento determinari queunt, in cujusvis mortalis verba, quantuscumque is demum fuerit, facile juraverit: cum idem animadvertisse debeat, momenta rationis ita prorsus varia, itaque subtilia esse, ut cum aliquis theoriam quamlibet proposuerit, ita validis rationibus suffultam, ut adstantium, quotquot sunt, omnium adsensum extorqueat; hunc mox alius insignioribus forte naturae dotibus praeditus excipit, qui sententiam, quae ita pulchre stabilita videbatur, convellit, et firmiori argumentorum vi nihil illud esse aliud, quam cerebri commentum, cujus nulla prorsus in natura vestigia reperiuntur, palam ostendit. Cujus jam loco is novam quamdam substituit hypothesin, majori adhuc verisimilitudinis specie innixam, et magis affabre concinnatam; quod tamen posterius figmentum pari cum superiori illo fato fungetur, quoties tertius aliquis se objecerit, qui secundum istum tantum ingenio vincat, quantum ille sibi praecedentem devicerat. Atque hoc iterabitur toties quoties, donec tandem ad illum perventum fuerit, quem ultima humani ingenii potentia consummaverit. Quam vero difficile sit hunc hominem investigare et a caeteris dignoscere, statim sentiet, quisquis non usque adeo desipit, ut hanc sibi laudem delirus arroget. Quinimmo cum jure merito suspicari liceat, esse naturas in orbibus illustrioribus, per universi expansum hinc illinc sparsis, pene infinitas, quae praecellentiori longe intellectus vi pollent, quam nos homunciones; haud satis scimus, annon vel totum hominum genus cerebrum, cogitationum officinam, habeant a natura ita efformatum, ut non tam quid sit absolute verum, quam quid maxime conveniens ac suis naturis ac-

commodum, excogitare queant. Atque haec iis, qui in medicina facienda potius speculationibus vanis, quam experientiae solido sensuum testimonio innixae fidem adhibent, dicta sunto.

Quod siquis hic regerat, an non igitur de facto experimur, hanc febrem methodo huic, quam tradis, prorsus contraria persaepe fugari; respondeo, toto, quod ajunt, coelo distare curationem morbi ea methodo, cui sola aegri nonnumquam ad sanitatem restitutio adstipulatur; et ejusdem curationem ista praxeos methodo, cui et frequentior aegri restitutio, atque etiam phaenomena practica omnia, quae in eodem curando incidunt, pariter adstipulantur. Exempli gratia: in variolis multi ex iis, qui diro calidorum et regiminis et remediorum usu cruciantur, tamen convalescent; ex adverso autem, et iis pariter feliciter cedet, quorum curatio methodo plane contraria tentatur. Jam quo pacto litem hanc finiemus? Quaenam methodus est praeferenda? Hoc plane modo certissime dijudicabimus. Nempe si in illo regimine priori exploratum habuero, me quanto magis aegrum excalefacio, tanto magis febrem, inquietudinem, delirium, caeteraque symptomata intendere ac promovere; e contra vero deprehendero, eumdem, ubi moderate refrigeretur, tanto sedatiori temperamento esse, tantoque minus tam a febre, quam ab aliis symptomatis, vexari: addo, quod servata debita illa carnis musculosae temperie, quae pustularum tum augmento tum maturationi maxime competit, et grandiores sunt pustulae et liberalius implentur, quam si aeger nimio suffocaretur calore: posito hoc utroque casu, satis manifestum esse arbitror, quam potius praxeos methodum sequi debeamus. Pariter in illa, de qua nunc agimus, febre si comperiar, aegrum, quo magis calefit, eo magis non tantum phrenesi, maculis purpureis, petechiis, etc. obnoxium esse; sed et febrem insuper symptomatis omnium generum irregularibus et anomalis exinde stipari: e contra vero si alium aegrum ea, quam jam proponimus, methodo tractatum ab his symptomatis prorsus liberum observaverim: ratio dictat posteriorem hunc praxeos modum longe alteri praestare, tametsi uterque aeger ita diversimode curati ad sanitatem revertantur. Quodsi plures hac via,

quam alia ista, mortem effugiant, eo facilius solvitur controversiae nodus; qua de re non est mearum partium judicium ferre, ne mihi et meis plus aequo faveam.

Atque haec de hac febris specie. Quousque illa durabit, non hariolor. Neque satis scio, an non sit initium aliquod spirituosius ac subtile, et quasi primordium febris illius depuratoriae jam antiquatae, quam insecuta est immanissima illa pestis. Sunt profecto phaenomena quaedam, quae me, ut hoc credam, quadamtenus inducunt; quandoquidem non tantum febres intermittentes proprie dictae, praesertim quartanae, hic illic sparsae adhuc restant, verum etiam nonnullae ex his febribus continuis subinde in intermittentium castra, maxime autumno jam pendente, commigrant. Ut jam taceam, exacerbationes in hac febre supra memoratas eorum paroxysmorum, qui febres intermittentes comitantur, genium aliquo saltem modo referre. Tum etiam, quod hoc morbo laborantes ad vomitionem satis sunt propensi. Qua de re tamen nihil prorsus pro comperto venditare animus mihi est, quoniam non jam mihi succurrit, qua facie febris depuratoria se primum extulit; prout Libro de Morbis acutis, sect. I. cap. 3. his verbis subindico. „Quanto autem jam tempore praedicta febris continua invaluerat, dicendo non sum, cum mihi hactenus satis fuerat ad generalia febrium symptomata attendere; utpote qui nondum vel juxta varias annorum crases, aut ejusdem anni varia tempora easdem distingui posse animadverteram.“

DISSERTATIO
DE
FEBRE PUTRIDA
VARIOLIS CONFLUENTIBUS SUPERVENIENTE.

Cum vel aetas jam provectior et in occasum ruens, vel adversa, quacum jamdiu conflictor, valetudo opportunum forte spatium posthac non concesserit, quo nuperas aliquot observationes a me (tametsi nimis sero in vita mea) factas circa febrem secundariam variolis confluentibus supervenientem, in publicum edam; veniam dabit lector, opinor, si paucula quaedam de hoc adfectu, quantumvis a morbo, quem superius tractavimus, satis abhorrente, pergam subnectere.

Jamdiu alias demonstravi, quantum intersit inter variolas generis distincti, et confluentis: in hoc scilicet, quod qui distincto genere laborat, vix opis medicae indigus, sponte sua et naturae vi convalescet; nisi forte ab initio diaphoresi in lectulo continuo indulserit. Namque, uti pridem alibi adnotavi, qui discretis variolis laborat aeger, cum satis prompte sudoribus diffluat, ac sibi omnia bona promittat, si morbi, ut sperat, virus per cutis poros hoc pacto amandaverit; diligenter ideo huic methodo insistit, tum remediis cardiacis intro adsumtis, tum regimine calidiore, ut par est, adhibito (atque haec eo facit lubentius, quod tum ab hac methodo in principio sibi melius videatur habere, tum etiam ad male fundatam adstantium opinionem propius accedat); tandem vero eliminatis per *διαφόρησιν* particulis istis, quae ad pustularum elevationem atque intumescentiam faciei debuerant facere, die octavo, quae turgescere, et per interstitia pustulis interjecta inflammari debuerat facies, flaccida e contra reperitur, et albescunt interstitia, licet interim rubescant pustulae atque eleventur, etiam post aegri mortem. Qui ad hunc usque diem nullo negotio manaverat sudor, jam subito suaque sponte evanescit, neque remediis

ullis cardiacis, vel etiam calidissimis, revocari potest. Aeger interim phrenitide corripitur, anxietate, jactatione, aegritudine vehementibus; urinam parce reddit ac frequenter; ac tandem paucissimarum horarum spatio amicorum spem fallit, et ad plures migrat. Quando idem ille sine ullo vitae periculo a morbo convaluisset, si naturae rem committens nulli se prorsus regimini subjecisset.

At in variolarum confluentium genere longe aliter se res habet. Licet enim hae (nisi sanguinis sive per pulmones, sive per meatus urinarios excretio primis diebus accedat) nec adstantes admodum perterrefaciant, nec aegrum in discrimen aliquod vitae adducant ad primos morbi dies; postea tamen istis diebus, sub morbi exitu, quibus aegrum maxime periclitari jam olim monui, ita derepente ad incitas redigitur aeger, ut an vita, an mors, insequatur, pariter incertum sit. In horum numero undecimum pono (si a primo morbi insultu computes), scilicet in minime crudo, at maxime vulgari confluentium genere, decimum quartum in crudiore adhuc; decimum septimum vero in omnium, quae passim obviae sunt, genere crudissimo. Tametsi aeger nonnumquam sed rarius, non ante diem vicesimum primum fato defungatur, pustulis usque ad id tempus ita incrustatis exsiccatisque, et in carnes quasi impactis, maxime in ipsa facie, ut ad separationem nulla arte queant perduci. At vero undecimo die aeger utplurimum primum periclitari videtur, febre atrociore, inquietudine, aliisque symptomatis una invadentibus, quae mortem in propinquo esse denunciant; a qua aeger, nisi ars medica intercesserit, plerumque opprimitur. Quod si hoc die non succumbat morbo, utrique illi posteriores, quos indicavimus, adhuc metuendi restant. Quinimmo per spatium illud omne, quod inter undecimum et decimum septimum interjacet, adpetente vespera, molestissimo inquietudinis quasi paroxysmo quotidie vexatur, et mors quasi vi et armis protelatur. Porro ostendi, hanc caussam esse majoris minorisve in his variolarum generibus periculi aegroto impendentis, quod scilicet in genere discreto, cum phlegmone sive tumores cum inflammatione (cujusmodi sunt pustulae omnes, ubi primum elevantur) pauciores exstiterint, ac proinde non nisi

exigua puris quantitas in sanguinem per circulationis leges foret regerenda, ubi illae jam coeperint maturescere, nullus ex hac parte metus est, ne febris nimium insurgat; cum natura impressionibus in sanguinem factis a tantillo puris cohibendis facile par sit. Cum vero in genere confluentium, ubi corpus fere universum his phlegmonis protegitur, quae postmodum in abscessulos totidem facessunt, tanta puris vis, diebus praefatis (in quibus pustulae, duce natura, ἀκμὴν suam vel debitam maturitatem utplurimum obtinent) per venas in sanguinem reducitur; tanta item halituum putridorum copia ab omni corporis, jam quasi suppurati, undique superficie in sanguinem subrepit, ut febris ex hac occasione excitata naturae vires penitus prosternat: atque ita exstinguitur tandem aeger partim a febre, partim a veneno, quod sanguinis massam infecerat, jugulatus. Quapropter quando aegri incolumitas usque adeo a variolarum paucitate, periculum vero e contra ab earumdem auctiori numero pendeat, dictat ratio, vel etiam sensus omnibus communis, periti medici esse, ita non materiam variolosam, sub principio morbi, regimine et cardiacis calidioribus vehementer propellere (unde nimia fit adsimilatio materiae morbificae in sanguine contentae, totaque corporis substantia quasi in fomitem morbi facessit), ut omnem potius operam in reprimenda tam enormi et subtili inflammatione collocare debeat. Nempe educto, ante omnia, e brachii venis sanguine, si vel levis fuerit suspicio (sive a florente aegri aetate, sive ex eo, quod sanguinem liquoribus generosis accenderit, sive quod vehementiores dolores in aliqua corporis parte fuerit perpessus, sive denique ab immani vomitione) variolas jamjam exituras ad confluentium speciem referendas; postea vero propinato emetico ad eumdem scopum collimabit. Cum vero nihil aeque aegrum percalefaciat, nec proinde nimis copiosam materiae variolosae adsimilationem aeque promoveat, atque aegri jugis in lecto decubitus; ego illum ab usu lectuli interdiu semper arceo usque ad sextum diem a prima morbi invasione, sive ab eruptione pustularum quartum, quo tempore omne pustularum agmen jam in conspectu est. Posthac eumdem lectulo committo usque ad morbi finem: at

non pluribus densioribusve stragulis coopertum, aut luculentiori in cubiculo foco illum uti sino, quam quibus, sanus cum esset, solebat uti. Interim cerevisiae tenuioris, aliorumque liquorum refrigerantium, qui aegro sunt acceptissimi, usum liberalem concedo. Quandoquidem vero non obstante vel temperatissimo regimine, aeger nihilominus in calores, deliria et molestas inquietudines frequenter incidet; hypnoticum praescribo singulis noctibus, sed paulo temporius quam pro recepto more sumendum; quoniam in hoc morbo quasi paroxysmus quidam, sive exacerbatio caloris et inquietudinis quotidie sub vesperam fere reperitur. Quae hic traditur methodus, et ad praecavendum justo uberiorem variolarum proventum (unde maximum aegro periculum intentatur, ut supra docui), et ad conciliandum tum incrementum pustulis, ubi jam omnes exierint, tum debitam postea maturationem accommodatissima est.

Attamen (quod sane dolendum est, cum florentissima hominum aetas hac fere strage deleatur) tum his, quae praecipimus, tum aliis omnibus, quae hactenus invenit ars medica, praesidiis nihil proficientibus; saepenumero aeger, licet usque eo non admodum periclitetur, tamen vel undecimo, quod usu venit, die, vel alio aliquo istorum, quos variis speciebus variolarum confluentium ceu magis fatales adsignavi, vehementi febre corripitur una cum suffocatione et jactatione inquietissima, et de tanta spe decidens subito moritur, attonitis et stupentibus amicis, qui ad hoc usque punctum aegro bene ominabantur. In frangendo improviso hoc morbi impetu, cum prius is omnia fecerit, quibus praecaveri potuerat, maximopere desudabit medicus. Quem in finem serio perpendendum est, febrem illam adventitiam, quae undecimo die variolis confluentibus laborantes adoritur, morbum esse tam ab ipsis variolis, quam ab ista febre, quae vel earum eruptionem praecedit, vel primis nonnumquam diebus a phlegmonarum inflammatione gignitur, prorsus diversum. Nihil enim est aliud, quam febris putrida, proprie dicta, particulis putrescentibus et a pustulis jam adeptis maturitatem suam inquinatis, in sanguinem, uti dixi, resorptis ortum debens, quarum noxia et naturae inimica qualitate aeger eodem tempore et pessima febre

et veneno lacessitur. Quamobrem ea sola in remediis huic malo cedere posse prudens quispiam existimaverit, quae ad retundendam secundariam hanc febrem, quam putridam adpello, maxime faciunt. Id vero nihil efficacius praestat, quam copiosa sanguinis eductio, quo pacto vitiatae illae particulae, quae morbi sunt fomes, confestim e sanguine exulant. Neque huic praxi, si quid ego judico, variolae in quo jam sunt statu, vel minimum intercedunt: jam enim pustulae nullo modo introrsum agi possunt; adeo ut si aeger hoc morbi tempore fatis cederet, et cadaver in terram frigidam exponeretur, attamen pustulae jam in duritiem incrustatae, nec intra cutim se recipere, nec minimam molis suae partem amittere potuerint. Nec sane cum variolis jam nobis res est, sed cum alio prorsus morbo, nempe febre putrida. Has ob caussas sequente methodo, a quo postremas de variolis observationes in publicum edidi, mihi comperta, feliciter usus sum; quam si omittas, nec aliam video, nec conjectura adsequi possum, quo pacto aeger ita certo queat liberari. Cum itaque ad has incitas redactus fuerit aeger, et ex inusitata symptomatum immanitate, statim animam acturus videatur, nisi quis θεὸς ἀπὸ μηχανῆς praesentissimam opem adferat; in hoc, inquam, casu sive undecimus jam dies illucescat, sive alius quis isto posterior, sanguinis unc. x vel xij ex eo brachio, in quo pustulae, rariores situ, majorem feriendae venae commoditatem fecerint, quamprimum sunt mittendae. Quamvis enim paregorica, vel lectuli interdiu abdicatio primis morbi diebus, etiam omissa venaesectione, orgasmo vel paroxysmo cum nocte utplurimum ingruenti debellando queant sufficere; attamen per hos dies febris secundariae nulli alteri adminiculo secure fiditur, nisi copiosae sanguinis detractioni, qua sola orgasmus per id temporis desaeviens tuto sedatur. Vesperi anodynum, uti prius, larga dosi exhibendum est (ad quod jam tamquam ad sacram anchoram confugimus); atque ita deinceps tam mane quam sero, alicubi etiam et hoc saepius. Est enim diligenter observandum, quod in quibusdam orgasmus ita supra modum efferatur, ut etiam praelarga paregorici dosis ejusdem impetum usque ad 12 horarum spatium subjugare vel sistere ne-

queat; quo in casu omnino necesse est, ut dicta dosis octava quaque hora repetatur.

Cum vero sub ultimis morbi diebus haud raro accidat, aegri alvum partim a morbi natura, partim a magna paregoricorum vi, quorum opem plane deposcebat medendi ratio, ita constipatam esse, ut tum fere suffocetur ille, tum febris ad eum gradum adscenderit, ut jam de aegro pene conclamatum videatur; duro huic nodo durus cuneus aptandus est; et rebus sic stantibus, longe minus aegro periculi erit ab adsumto cathartico leniente, quam a febre eo vehementiae ab alvinarum faecum retentione profecta. Hic ego satis feliciter Electuarii lenitivi unc. un. sem. in aq. stillatitiae tenuioris (e. g. aq. Cichorei, vel aq. lactis alexiter.) unc. iv. solut. propinavi. Qui quidem haustus licet, tum ob alvi constrictionem huic adfectui solemnem, tum etiam ob diuturniorem hypnoticorum usum haud ita subito ventrem exsolvat, plerumque tamen si mane deglutiatur, ante noctem dejectiones aliquas parit. Quod si minus praestare valeat, attamen paregoricum vesperi adsumendum est, immo et citius, non obstante cathartico nuper adsumto, si modo inquietudo ingens, aut aegritudo aliqua insignis periculum minitetur, ne aeger hoc praesidio destitutus, dum dejectiones nos praestolamur, luce privetur. Nec aeger damni vel minimum ex hoc tam leni cathartico capiet, si nihil prorsus efficiat ad dejectionem provocandam. Si itaque primo die votis non respondeat, iteretur proxime sequenti; quae secunda dosis priori in suppetias data, rarissime medici opem frustrabitur. At si primo die id egerit, ut hujus saburrae, quantum satis in praesens est, subduxisse medico videatur, atque aeger exinde melius se habere coeperit, secunda dosis in aliud tempus potest differri. Atque hac ratione tam venaesectio, quam catharsis per intervalla repeti possint, prout febris mos, atque aegri inquietudo postulare videantur, donec tandem res in vado sit. Verumtamen in catharseos negotio illud probe notari velim (ne injecta ejus rei mentio longe plus damni, quam emolumenti adportet), aegrum non esse purgandum, nisi facessente jam morbo, v. gr. die decimo tertio, aut eorum aliquo, qui illum sequuntur; nec per istos etiam dies, nisi

sanguis, a quo secundaria febris invasit, fuerat imminutus.

Sed ut, quantum in me est, praxi in hoc morbo ultimam manum imponam, paucula de sputo sanguinis, ut et de mictu sanguineo variolis supervenientibus in medium proferre non gravabor. Utraque haec haemorrhagia, ut olim adnotavi, sub morbi initio contingit pustulis nondum erumpentibus, vel si in quibusdam locis se ostendant, in plerisque tamen aliis adhuc sub cute densae latent, atque ejus sunt generis, quae in maxime confluentes adolescerent, nisi jam dictum symptoma aegri morte morbum finierit; maculae interim purpureae hic illic superficiem corporis obsident, tristem eventum interminantes. Verum tametsi debita sanguinis contemperatione maculae hujusmodi auferantur, attamen tam mictus sanguinis, quam violenta ejusdem e pulmonibus eruptio indubie mortem praenunciare solerent. Verumtamen tremenda haec difficultas superari etiam possit, et aegri vita in tuto collocari. Etenim cum haec symptomata intensae sanguinis inflammationi, ac proinde summae ejusdem tenuitati originem suam debeant; remedia ista, quae sanguinem contemperant, ac pariter, quae vi, qua pollent, adstringendi incrassandique eum minus fluxilem reddunt, haemorrhagiis hisce apprime succurrunt. Quamobrem post unicam sanguinis liberali manu eductionem paregoricum exhibeatur; ut

Rec. Aq. Papav. rhoead. unc. duas, Laud. liq. gutt. xiv, Aceti destillat. drachm. tres, Syr. de Mecon. unc. sem. M. F. Haustus.

Deinde sequentia, vel his similia praescribantur, donec haemorrhagia prorsus evanuerit.

Rec. Trochisc. de terra Lemn. et Boli armen. aa. drachm. un., Terrae sigill., Lapid. haematid., Sang. draconis, et Corall. rubri praeparati aa. drachm. sem., Mastich. et Gumm. arab. aa. scrup. un. M. F. Pulv. subtiliss. cujus capiat drachm. sem. tertia quaque hora, ex cochl. uno Syr. de Symphyto, superbibendo cochl. iv vel v Julap. sequentis:

Rec. Aq. Plantag. et germin. Quercus aa. unc. tres, Aq. Cinnam. hordeat. unc. duas, Syr. de Rosis siccis unc. un., Spirit. Vitrioli q. s. ad levem aciditatem.

Interim singulis noctibus paregoricum praescriptum propinetur.

Emulsiones item ex iv sem. frig. maj. cum sem. Papav. alb. magnopere conferunt.

Cessante vero haemorrhagia, reliqua per decursum morbi agantur, prout in variolarum cap. traditur.

Antequam finem faciam, hoc adjiciam, quod quoties guttulas aliquot Laudani liquidi usurpandas praescribo, Laudanum meae descriptionis intelligo, cujus formula in libro nostro de Morbis acutis, cap. de dysenteria (pag. 157.) habetur. Et quod syrupum de Meconio illum volo, qui conficitur ex unc. xiv capitum Papaveris albi bene siccatorum, et (post macerationem in aquae font. libr. ix. ad horas xxiv.) probe coctorum, dein expressorum quam fortissime; quorum colaturae adduntur sacchari unc. xxiv, et in syrupum coquitur. Has enim duas praeparationes in suo genere efficacissimas esse judico: praesertim syrupum de Meconio, cujus unc. un. plus praestat, quam unc. duae alterius istius, in quo Papaverum capita humidiora usurpantur, liquor non ita fortiter exprimitur, et loco nigri quandoque capita Papaveris rhoeados, quae paululum virtutis habent, partem ita magnam suppeditant. Quoties itaque non satis mihi constat de alterutrius horum paregoricorum viribus, utrorumvis loco Laudani Londinensis solidi sesquigranum, vel etiam gr. duo, soleo praescribere, in aqua adpropriata soluta; quo pacto ab omni errore et mihi, et aegro meo caveo.

DISSERTATIO
DE
MICTU SANGUINEO A CALCULO
RENIBUS IMPACTO.

Quamvis hominis minus cauti et prudentis esse videatur, observationem in vulgus spargere, cujus in se ipso tantum experimentum ceperit; nemo tamen, opinor, aequus rerum arbiter aegre feret, me, qui tamdiu tantaque a mictu sanguineo, a calculo renibus impacto orto, fuerim perpessus, humanitate et miseratione erga sodales in hoc malo meos commotum, iis, qui eodem morbo excruciari quandoque potuerint, ista remedia indicare, quae mihi aliquali levamini fuerunt, quantumlibet vulgaria, et nihili facienda forte videantur.

Anno 1660. podagra me invasit, paroxysmo tum immaniore tum diuturniore, quam prius umquam, miserum adfligens; cum ex hac caussa aestivo tempore, vel intra, vel supra lectum submollem jugiter ad duos menses decumberem, sub finem paroxysmi dolorem hebetem et obtusum maxime in sinistro rene nonnumquam, licet rarius, et in dextro coepi persentiscere. A podagra convalescenti haerebat utcumque renum dolor, qui per intervalla quaedam, nullatenus acutus, sed satis tolerabilis, me submonebat; nondum enim paroxysmo nephritico (cujus sunt comites dolor ingens per ureterum ductus vesicam versus tendens, tum vomitio enormis) vel semel laboraveram. Quamvis vero nondum aderant ista calculi renum indicia, cum ratione tamen judicabam, me calculum mole insigniorem in renum pelvi gestare: qui cum major esset, quam ut ex pelvi dicta in ureterum ductus elabi posset, praedicta symptomata non intulit. Qua in re post annos multos elapsos me hallucinatum non fuisse certo comperi. Etenim cum bruma anni 1676. statim a soluto rigidissimo gelu diu multumque obambulassem, urinam mox reddidi sanguine permistam; idque toties mihi usu venit,

quoties vel multum itineris pedibus conficerem, vel in curru per platearum pavimenta veherer, quantumlibet lento equorum gressu; quod mihi tamen non accidebat, quoties per viam regiam lapidibus non stratam, licet quam longissime, curru vectarer. Urina quam tunc excernebam, tametsi terribili sanguinis tantum non sinceri specie prodiret, non ita diu post sanguine in fundo seorsim grumescente, in summitate limpida et sui similis conspiciebatur. In hujusce mali remedium sanguinem satis copiosum e brachio mitti curabam, et post purgationes universales medicamenta refrigerantia, et incrassantia, varii generis in usum revocabam; diaetam interea his consentaneam adhibens, liquores acidos, acres, et attenuantes sollicite devitans. Cum autem neque ista, neque alia permulta, quae numerare longum esset, quidquam prodessent; et metuens calculum, quem grandiorem esse suspicabar, quam ut expelli posset, aquis chalybeatis ad exitum sollicitare, tandem spem rei bene gerendae prorsus amisi; idque eo potissimum nomine, quod observaram, senes aliquot mihi notos sibi mortem accersisse, dum hujusmodi remediis incassum morbi curationem molirentur. Stetit itaque sententia non amplius tentare, at vitato tantum, quam potui maxime, corporis motu ab hoc effectu mihi cavere. Tandem vero animo forte recolens, quam mire nonnulli depraedicent seminis Fraxini vim lithontripticam, subiit cogitare, quod si semen ejusmodi virtute polleret, omnino verisimile esset, Mannam Fraxini adhuc plus posse; cum Manna, quam habemus, docente botanographo τῷ πάνυ, Dno. Joh. Ray post alios scriptores, neque mel aëreum est, nec ros aliquis coelestis, sed liquor potius tam e foliis, quam e trunco et ramis Fraxinorum in Calabria nascentium exsudans; de cujus rei veritate idem, dum in Italia peregrinaretur, certior factus est ab eruditissimo medico, qui ex ramulis et foliis linteo a se curiose contectis Mannam (qui est succus ut dixi) saepius collegit. Vid. Joh. Ray catalogum plantarum Angliae. Experimentum itaque facturus, Mannae unc. duas sem., in seri lactis libr. duabus solutae, hausi, pauxillum succi limonum subinde, dum purgarer, deglutiens; quo et catharticum acuerem, quod segnius operari solet, et ventriculo minus in-

gratum redderem. Ab hujusce remedii usu vix dici queat, quantum ego levaminis circa renum regionem perceperim; licet enim antea non semper dolerent renes, tamen pondere quodam gravativo et molesto sensu adficiebantur. Quod cum ita feliciter mihi cessit, idem catharticum singulis hebdomadibus stato quodam die ad menses aliquot continuos in usum revocabam; et post singulas catharseos vices melius me habuisse plane sum expertus; donec tandem etiam rudiorem currus conquassationem ferre potuerim, ab hoc symptomate prorsus liberatus usque ad veris tempus jam proxime elapsum. Quo adpetente, cum per praegressam hyemem fere omnem podagra laborassem, et prae nimia corporis ad motum inhabilitate quieti et ἀχινησία magis, quam alias solebam, indulsissem, rediit denuo sanguinis mictus. Hic ego an ad catharsin me iterum reciperem haerebam dubius; quoniam nuperis hisce annis omni corporis substantia in podagrae sedem et fomitem quasi perversa catharticum, quantumlibet lene, diutinum podagrae paroxysmum certo certius accersebat. Tandem animo succurrebat, quod si paregoricum singulis noctibus post purgationem adhiberem, quo tumultus a cathartico excitatus sedaretur, posse me pristinam methodum Mannae semel in hebdomade capiendae tuto resumere. Uncias itaque duas cum semisse in seri lactis libr. duabus dissolutas mane hausi, et sero guttas xvj Laudani liquidi in cerevisia tenui dormiturus adjeci, et Mannam et Laudanum dicto modo repetens, bis in septimana ad sex vices. Postea vero Manna semel in septimana tantum uterer, humorum illuvie jam ita copiose a cathartico subducta, ut a podagra minus metuendum esset. Cum tamen mea mihi ratio plane dictaverit, quod si facultate aliqua, sive dissolvente, sive alio quovis modo, lithontriptica fuerit insignita Manna, omnino est necesse, ut medicamentum, quale est Laudanum, valide adstringens, remedii, in quo spem collocaveram, efficaciam ac vim quadamtenus infringat; satius esse duxi, hypnoticum missum facere, cum jam semel tantum in septimana alvum solverem. In qua methodo jam ad menses aliquot perstiterim, eumdem septimanae diem ubique catharsi dicans; nec me ab hoc meo more, ex quacumque data ansa,

dimoveri paterer. Licet a prima remedii hujus dosi dolor, qui in dorso erat, remittebat, uti prius, tamen non ita diu post repetita catharsis podagrae signum dedit; quod nunc artubus, nunc visceribus bellum coepit indicere; at haec morbi tentamina Laudanum fortiter repressit. Cum haec mihi medendi ratio hactenus bene verterit, in eadem perseverandum mihi esse judicabam, tam ad praecavendum mictus sanguinis recursum, quam ad imminuendum aliquantulum calculi fomitem. Quod tandem votis respondit, haemorrhagia ista, ex quo tractatulum hunc primum edidi, prorsus evanescente, proindeque Manna in totum abjecta. Purgationem itaque quod attinet (modo sanguinis mictus urgeat, et solum cathartico hoc lenitivo, Manna scilicet, et secundum methodum supra a me traditam, subducatur alvus), jam retractanda mihi est sententia illa mea, quam in scripto de podagra olim evulgaveram; nempe „podagra adfectis minime conducere, ut vel initio, vel in declinatione, vel per paroxysmorum intervalla, purgentur.“

—— nec si miserum fortuna Simonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Nondum enim in mentem mihi venerat, paroxysmum, quem a tumultuante cathartico excitandum metuebam, exhibito sub noctem hypnotico prohiberi potuisse. Nihilominus si podagram solum respiciamus, evacuationes qualescumque plurimum nocent, ac proinde nequaquam sunt admittendae, nisi symptoma dictum earumdem usum omnino postulaverit.

De regimine et victus ratione, quae utrovis horum adfectuum laborantibus competere mihi videntur (quando nihil eorum praeterire velim, quae istis usui esse poterint, qui iisdem, quibuscum ego, morbis conflictantur), haec addo. Mane lecto exsurgens, decoctionis foliorum theae cyathum unum alterumve exsicco; dein curru ad meridiem usque gestatus, et domum reversus, quovis ciborum genere mihi grato et eupepto modice (id enim ante omnia semper, et diligenti cum cura tenendum est) me reficio; statim a prandio per singulos dies vini Canarini, plus aliquid quarta parte librae (seu pintae) vulgaris, ad promovendam ciborum in ventriculo

concoctionem, et ad arthritidem a visceribus procul arcendam, haurire soleo. Pransus iterum rheda vector, et quoties per occupationes meas non distineor, rus peto, aëris salubrioris inspirandi gratia, ad milliaria duo vel tria. Cerevisiae tenuioris haustus mihi pro coena est; sed et hunc repeto etiam in lectulo, me jam ad somnum compositurus; idque eo fine, ut hoc julapio succos acres cālidosque in renibus stabulantes, e quibus fit calculus, refrigerem simul ac diluam. Ego vero et hic et inter prandendum cerevisiam tenuem lupulatam, cerevisiae non lupulatae, quantumlibet tenui ac miti, praeferendam censeo. Licet enim non lupulata mollitie ac lubricitate, qua pollet, ad subducendum calculum, jam in renibus concretum, magis faciat; attamen lupulata ob levem illam stypticitatem, quam impertiunt lupuli, minus facit ad sabuli vel materiae calculosae generationem, quam facit non lupulata, cujus et viscidior est substantia, et lutulentior. Quo die catharsi defungor, ex pulli carnibus prandium mihi est. Vinum tamen Canarinum pro more meo superbibo. Mihi curae est, praesertim hyeme, ut lectum temporius petam: quo nihil magis confert ad concoctiones recte perficiendas, et ad conservandum pariter tenorem illum atque ordinem, qui naturae jure debetur. Sicuti ex adverso nocturnae lucubrationes senum cum morbo chronico qualicumque conflictantium tum concoctiones omnes imminuunt ac depravant, tum eorumdem principio vitali vulnus haud facile medicabile infligunt. Illud etiam sedulo observo ad praecavendum a calculo mictum sanguineum, ut quoties per plateas ad longius aliquot intervallum curru vehendus sim (gestatio enim, vel ad maximam quamlibet distantiam, per vias lapidibus non stratas minime officit mihi), non prius rhedam ingredior, quam haustum cerevisiae tenuis paulo liberaliorem ingessero; quem pariter itero ante regressum domum versus, si forte alicubi diutius fuerim commoratus; quo pacto semper mihi a mictu sanguineo satis est praecautum. At quoad podagram hoc unum adjiciam. Nuperis hisce annis ex errore aliquo circa sex res non naturales commisso mihi retrocessio subinde materiae podagricae accidit; cujus signa sunt aegritudo ingens cum vomituritione,

et aliquali ventris dolore. Artus interim ex improviso doloris sunt expertes, ac ad motum plus solito habiles. In hoc casu congium unum liquoris possetici, vel cerevisiae tenuis devoro, et quamprimum totum per vomitionem rejecerim, vini Canarini haustulum, cui instillatae fuerint Laudani liquidi gutt. XVIII, ebibo, in lecto ad quietem me componens. Atque hac methodo me ipsum ab imminente morte aliquoties liberavi.

Etsi vero haud quemquam fortasse deceat (eum maxime quem sive salvum, sive mortuum esse hominem vix intersit) ita crebram sui mentionem injicere; haec tamen eo animo dicta volui, ut aliis, quorum vita salusque majoris fortasse ponderis et momenti sunt, queant prodesse.

Hic postremo subindicandum est ingens discrimen, in quod nonnulli se conjiciunt, tam calculo, quam podagra laborantes, quoties Mannam in aquis mineralibus catharticis solutam inconsulto capiunt. Quamvis enim hoc modo adsumta celerius vim catharticam edat, et minori nausea ventriculum irritet; tamen minora ista commoda injuriam alias ab aquis illatam pensare non valent. Etenim si calculus renibus inclusus ita magnae molis sit, ut per ureterum ductus in vesicam propelli nequeat, istae aquae paroxysmum utplurimum excitant, qui eousque perdurabit, cum magno vitae aegri periculo, donec tandem calculus in pelvim redierit. Quinimmo nec chalybeatis aquis aeger se tuto committet, nisi prius certo sciat, calculum majorem non esse, quam ut per ureteres viam possit sive invenire, sive facere, quod hoc tantum modo, quantum ego conjicio, certo dignoscere potest; si nempe jam antea paroxysmum aliquem nephriticum fuerit perpessus (cum dolore scilicet saevissimo in renum alterutro, per ureterum ductus propagato, et vomitu enormi), pro comperto habeat, non tam grandiorem aliquem calculum pelvi concludi, quam lapillorum exiguorum congeriem, quorum unus subinde in ureterem illabitur, atque ita paroxysmum hunc invitat, qui fere non desinit nisi calculo in vesicam detruso. Cum res ita se habeat, nullum est magis efficax remedium, sive ad praecavendum minorum calculorum incrementum, sive ad eosdem e renibus deturban-

dos, quam aquarum chalybeatarum potatio liberalior, per singulas aestates jugiter repetenda.

Cum vero saepe accidat, ut paroxysmo nephritico quis corripiatur, quando hujusmodi minerales aquae haud praesto sint, vel etiam tempestas anni adsit, quae earumdem potationi minus faveat; hac itaque compendiosa methodo, sine ulteriore remediorum adparatu, insistendum. Si aeger temperamento sanguineo praeditus fuerit, et aetatem provectiorem haud adhuc attigerit, sanguis ex brachio reni adfecto respondenti ad unc. x. extrahatur; deinde liquoris possetici, cui rad. Althaeae unc. duae incoctae fuerint, congius unus quam citissime devoretur, et sequens enema injiciatur. Rec. Rad. Althaeae et Lilior. aa. unc. un., Fol. Malvae, Parietar., Branc. ursin. et Flor. Chamaemel. aa. man. un. Sem. Lin. et Foenigr. aa. unc. sem. Coq. s. q. Aq. ad libr. un. sem. Colatura dissolve Sacchari culinaris et Syr. Dialthaeae aa. unc. duas. M. F. Enema. Quamprimum per vomitionem aeger totum reddiderit, quod per os ingestum fuerit, ut etiam enema rejecerit, Laudani liquidi satis magna dosis propinetur, v. gr. ad gutt. xxv, vel Pil. Matthaei gr. xv vel xvj.

In senibus vero morbo aliquo diuturno fractis, ut et in vetulis, vaporibus, vulgo dictis, obnoxiis (praecipue si sub initium paroxysmi urinam eae reddant nigram ac sabulosam) venaesectio omittatur: at quoad reliqua, eadem, quae jam dicta fuit, via omnino procedendum.

Sed ut ad calculum, qui hujus loci est, grandiorem revertamur. Quod si calculosus nullo umquam paroxysmo nephritico fuerit tentatus, cum jam major sit calculus, quam ut ex pelvi possit elabi; non solum nihil proderunt ferreae aquae, sed etiam ob jam dictas rationes non sine praesenti periculo sumentur. Neque minus male quandoque podagricis cedit aquarum mineralium usus, modo senes fuerint (ut sunt plerumque), et pariter corporis habitu phlegmatico imbecilloque. In his enim nonnumquam naturae vires eo usque sunt imminutae ac succisae, ut omnino metuendum sit, ne tanta copia aquarum penitus obruantur ac succumbant. Sive vero hoc in caussa sit noxae, quam exinde capiunt homines,

tali habitu ac temperamento praediti, sive non sit; illud mihi compertissimum est, haud paucos, quorum corpora hoc morbo fracta admodum et quasi confecta fuerant, hisce aquis interemptos diem suum obiisse.

Atque haec eorum fere summa est, quae mihi in morborum curatione hactenus innotescunt, ad diem, quo haec scribo, Septembris scilicet vicesimum et nonum, anno domini 1686.

PROCESSUS INTEGRI IN MORBIS FERE OMNIBUS CURANDIS A D. TH. SYDENHAM, M. D., CONSCRIPTI.

Amice Lector,

Specimen habes praxeos eximiae in dilectissimi filii M. D. usum, caute et diligenter excogitatum, sua ipsius manu conscriptum, mihi autem pro familiaritate ista, qua omnes excepit, concessum a clariss. SYDENHAMO, viro sane, cui vix aetas superior parem dederat, vel postera datura est, non modo in arte sua mira sagacitate, et ingenii acumine singulari conspicuo; sed et probis moribus et in humanum genus studio et amore insignibus adeo, ut apud omnes summum sui reliquerit desiderium. Cujus praecepta licet animo meo et imo pectore infixa sint, ne tamen forte fortuna in mei ipsius et aegrorum detrimentum excidant memoria parum fida, typis haud ita pridem mandabam, exemplaribus circiter viginti impressis, ut amicis quoque inservirem. Nescio autem, quo pacto in lucem irrepsit publicam, inter Miscellanea curiosa superioris anni Norimbergae editum; sed inepta mole inutile. Prodit tandem eo modo vestitum, ut tibi sit in quovis loco paratum; figmentis cerebri vanis et futilibus sciolorum dogmatis nequaquam refertum, nec hypothesi placida solidis, ut videtur, rationum momentis undequaque constipata superbiens; humile autem et modestum adcurate morbos depingit, et adcuratius adhuc medetur; in id solum sollicitum, ut innotescat, quod natura faciat aut ferat. Et si verum loqui liceat, modo partium situs noveris, pateant tibi per symptomata aegritudines (quod adsidua edisces observatione), scias deinde veram et genuinam medendi methodum per diaetam et pharmaciam adhibere, felicissimus eris practicus, et tibi et infirmis optime consules. Parum interim tua refert, utrum alcali peccet an acidum; num in spiritibus animalibus, an in ipso sanguine aut

in recondito aliquo viscere delitescat morbi minera; unde de periodico intermittentium reditu docte satis et prolixe possis disserere, dum interea ipsa febris sine ullis ambagibus, inquietudine, siti, calore, pulsu celeri, nausea, caeterisque symptomatis etiam adstantibus palam est, et aperte dignoscitur. Hinc saepius mirari subit, quamobrem anxie ita et scrupulose immediatas et proximas morborum caussas, dum medicinam pertractandam suscipiunt, indagare satagunt, et e tenebris istis, quibus natura obduxit, irrito licet conatu, eruere, gravi et subacto judicio viri, et in praxi versatissimi; satis interim gnari, se latere vel quaevis obvia; unde enim dimanat graminis viridis, aut albus nivis color? Quid est, quod humana anima ratiocinari nequeat, dum adhuc infantes aut pueri sumus? Unde forma tua specifica? Satius esset, medicum, quam philosophum agere (quis enim umquam CARTESIUM sibi medicum voluerit?), minutissima phaenomena plane et rite enumerare, et remedia, quibus unusquisque morbus facilius cedat, candido et sincero animo proponere; ita tandem limites suos praetergressa, quibus angustis nimis jam includitur ars nobilissima, omnibus, quaquaversum patet orbis, feliciter satis et prospere salutem, filiis autem suis honores summos conciliabit.

Meditabatur paulo ante obitum tractatum de phthisi peritissimus medicus; in perquirendo naturae methodum, qua morbos amoliri studet, ut adjutrices porrigeret manus, et miseriis hominum subveniret, diu noctuque pensitabundo et anxio animo exercitatissimus; hinc fidissimarum observationum serie et irrefragabili edoctus experientia, medicinae praxin ornavit, et ad saniores reduxit regulas; sed vae tabidis, dum hujusmodi numquam intermissis studiis detenti et defatigati spiritus, solitis non vacabant excubiis, truculentissimus hostis, podagra, quae per multos annos obsederat et debilitaverat artus, impetu facto in interiora viscera irruit, per vomitum et secessum enormiores intentans mortem: unico autem morbo nescit cedere medicorum princeps, sed cum malorum cumulo accessit et renum calculus, qui corrasis vasorum osculis, sanguinem liberalius, quam senectus tulit, urinae permixtum effudit, se jam non amplius opponens, nec vitae, nec

mortis cupidus, placidam et pacatam exspiravit animam. Ne tamen auxilio prorsus destituantur tabidi, fragmenta quaedam, quae auctorem ubivis sapiunt, in primo saltem morbi stadio plerumque proficua (neque enim fas est, quod aegrotanti proximo opituletur, celare), in publicum prodeunt, ut exinde pateat quam adcurata et omnibus numeris absoluta, si modo Deus opt. maximus concessisset vitam, exspectari potuisset phthisiologia.

Quid in febribus, variolis, morbillis, acutis caeteris, ut et chronicis sanandis valuit optime meritus auctor noster, sequentes indicant paginae. Regimen et diaeta instituuntur aptissima; praescribuntur remedia pauca, sed necessaria, nec in pharmacopolarum lucrum excogitata, nec inani ostentationi composita: sitibundis aegris (eodem modo, quo et ipse sitim suam restinguere solitus erat) cerevisiam tenuem affatim et pro libitu hauriendam, unde mire reficiuntur et refrigerantur, concedit; nec immanitate plus quam barbara precibus eorum surdus, apozemata et julapia, prae ingrato sapore fastidita, substituit; maximam adhibet cautelam, ne exaestuans nimis, vel igne luculentiori, vel stragulorum onere plus adhuc incalesceret, vel a propinatis forsan remediis eum in finem, ut per poros eliminetur materia morbifica cruda adhuc et inconcocta; quae tamen hac data ansa concitato motu cerebrum petit, unde phrenesis aut coma, aut extravasato sanguine deturpant cutim maculae purpureae, aut eruptiones, quas vocant, miliares, collum et pectus ubivis obsident. Numquid ad amussim magis depingi poterat, quam variolarum historia? Eruptionis diem in utravis specie designat: pustularum ingenium ad unguem describit; quo tempore incipiat, et quamdiu continuetur salivatio, quo iterum faciei manuumque tumor se prodat; quid tandem quolibet die exspectandum, diserte explicat. Paregoricorum usum, quo emolumento judicent practici, primus persuasit: malum, ingerendi cardiaca ante eruptionem, morem, unde saepe accersitum fuerit confluentium genus, merito primus improbavit. Melius autem haec ex ipso fonte. Valeas itaque, amice lector, et si cubi scateant mendae, ignoscas.

S. M.

MEDICAMENTORUM QUAEDAM FORMULAE IN PRAXI MAGIS FAMILIARES.

Potio communis purgativa.

Rec. Tamarind. unc. sem., Fol. Sennae drachm. duas, Rhei drachm. un. sem. coq. s. q. aq. ad unc. tres; in colatura dissolve Mannae et Syrup. Rosar. solut. aa. unc. un. M. F. Potio.

Emeticum commune.

Rec. Aq. Card. benedict. unc. duas, Infus. Croc. Metall. unc. un., Syr. Caryophyll. unc. sem. M. F. Vomitorium. Sumat hora quarta pomeridiana, superbibendo post singulas vomitiones haustum largum liquoris possetici.

Julapium perlatum.

Rec. Aq. Cerasor. nigr. et Lact. alexiter. aa. unc. tres, Aq. Cinnamon. hordeat. unc. un., Margarit. praeparat. drachm. un. sem., Sacchar. crystall. q. s. adde Aq. Rosar. Damascen. drachm. sem. F. Julap. de quo capiat cochlear. iv vel v. in languoribus.

Julapium cardiacum.

Rec. Aq. Lact. alexiter., cerasor nigr. aa. unc. tres, Aq. epidem., Syr. Caryophyll. et de succo Citri aa. unc. sem. M. F. Julap. de quo capiat saepius.

Decoctum diaeteticum.

Rec. Rad. Sarsaparill. unc. vj., Lign. Sassafr. et Chinae aa. unc. duas, Glycyrrhiz. drachm. un.; coq. in aq. font. congiis duobus per horae dimidium; deinde stent clause super cineres calidos, per horas xij., postea ebulliant ad tertiae partis consumtionem: cum primum ab igne amoveatur, infunde sem. Anisi unc. sem.; post duas horas coletur, et postea depuretur per residentiam, et liquor reponatur lagenis

vitreis, probe clausis, ad usum. Sit pro potu ordinario per XXX. dies.

Apozema aperiens et antiscorbuticum.

Rec. Rad. Gramin., Cichor., Foenicul. et Asparag. aa. unc. un., Uvarum Corinthiac. et Passul. enucleat. aa. unc. duas, Fol. Hepat., Ling. cerv. et Cap. Ven. aa. man. un., Fol. Beccabung. sub finem addit. man. duos; coq. s. q. aq. fontan. ad libr. duas; sub finem adde Vini Rhenani libr. sem.; colatura adhuc calente, infunde ad duas horas, vase clauso, Cochl. hortens. man. un.; colaturae adde Syr. e quinque radic. et e succo Aurant. aa. unc. duas, Aq. Cinnamom. hordeat. unc. un. M. F. Apozema. Sumat libr. sem. mane quinta pomeridiana, per XIV. dies.

Eclegma incrassans in tussi.

Rec. Ol. Amygd. dulc. unc. un., Syr. Papav. rhoead., Portulac., Jujub. et Lohoch sani, aa. unc. sem., Sacchar. crystall. q. s. M. in mortario ad integrae horae spatium, et F. Linctus perfecte mistus; recondatur in olla figulina, ad usum. Capiat saepius lambendo e baculo liquiritiae.

Eclegma fortius incrassans.

Rec. Conserv. Ros. rubr., Syrup. Violar. et de Mecon. aa. unc. un., Sem. Papav. alb. drachm. tres; contundantur simul et per setaceum trajiciantur, deinde adde Ol. Nuc. moschat. express. gr. vj. F. Eclegma.

In defluxione tenui.

Rec. Conserv. Rosar. rubr. unc. duas, Syr. de Mecon. et Jujub. aa. unc. un., Oliban., Mastich. et Succin. aa. drachm. un., Ol. Nuc. moschat. per expressionem gr. vj. M. F. Lohoch. de quo lambat saepe; bis in die cap. Eclegm. descript. cochl. un. instillando Balsam. Sulphur. anisat. a gutt. viij. ad gutt. xij.

Cerevisia purgativa.

Rec. Polypod. querc. libr. un., Rad. Rhabarb.

monach., fol. Sennae et Passul. enucleat. aa. libr. sem., Rhabarb. incis. et rad. Raphan. rustican. aa. unc. tres, fol. Cochl. hortens., Salv. aa. man. iv. Aurantior. incis. n°. iv; infunde in congiis v vel vj Cerevisiae non lupulatae, fermentationis tempore; et quando ad maturitatem pervenerit, sit pro potu ordinario per dies xiv vel xxj; praecipue vero sumat haustum singulis auroris.

Emplastrum hystericum.

Rec. Galbani in tinctura Castor. solut. et colat. drachm. tres, Tacamahac. drachm. duas. F. Emplast. pro umbilico.

Catharticum pro infantibus tenellis.

Rec. Syrup. Cichor. cum Rhabarb. cochl. un. parvulum.

Decoctum amarum purgativum.

Rec. Decoct. amar. duplicata. Senna unc. iv, Syrup. de Spina cervina unc. un., Elect. de succ. Rosar. drachm. duas. M. F. Potio.

Laudanum liquidum auctoris.

Rec. Vini hispanici libr. un., Opii unc. duas, Croci unc., un. Pulv. Cinnam. et Caryophyllor. aa. drachm. un.; infundantur simul in B. M. per duos vel tres dies, donec liquor debitam consistentiam adquirat; colatura servetur pro usu.

De adfectione, in feminis hysterica, maribus hypochondriaca, dicta.

Cum a casu aliquo graviori molestum patitur humana anima, ataxiam concipiunt animales spiritus; urina subinde limpidissima copiose excernitur; sanitatis recuperandae spes omnis protinus abjicitur, et tristissima quaevis sibi ominantur aegrotae; quamcumque corporis partem morbus insederit (plurimas autem insidet), symptomata ei parti competentia confestim urgent: in capite apoplexia, hemi-

plegia soluta, statim a partu adoritur; spasmi epilepsiae persimiles (vulgo uteri strangulatus, in quo venter et praecordia guttur versus intumescunt) infestant; clavus hystericus, in quo dolor in capite atrocissimus, quem transverso pollice possis contegere, aegra interim materiam viridem bili porraceae parem evomente, misere excruciat; cordis palpitationem, tussim, passiones iliacam et colicam, nephritin, urinae suppressionem, aemulatur paroxysmus; vomitiones enormes, diarrhoeam, subinde excitat; externe in carne musculosa nunc dolorem, nunc tumorem, inducit, in tibiis hydropis instar; nec (quod mireris) intactos dimittit dentes; et saepe saepius adeo refrigerantur externae partes, ut cadaver plane referant; in risum et lacrymas effusissimas sine ulla προφάσει ridicule erumpunt; ptyalismus nonnumquam eo gradu laborantes adficit, ut Mercurio delibutas facile crederes. Dolores hysterici quamcumque partem obsident; ubi discesserint, teneritudinem, quae tangi recusat, relinquunt, ac si verberatae fuissent carnes.

Mittatur sanguis ad unc. viij.

Emplastr. de Galbano umbilico admoveatur. Sequenti mane adgrediatur usum sequentium pilularum.

Rec. Pil. Coch. maj. drachm. duas, Castor. pulv. gr. duo, Balsam. Peruv. gutt. tres, F. Pil. xij. cap. iv, singulis vel alternis matutinis, pro ratione virium, hora quarta vel quinta matutina, superdormiendo.

Rec. Aq. Rutae unc. iv., Bryon. comp. unc. duas, Castor. in nodulo ligat. et in vitro suspens. drachm. sem., Sacchar. crystall. q. s. de quo capiat cochl. iv vel v. in omni languore.

Post has pilulas sumtas utatur sequentibus:

Rec. Limatur. Chalyb. gr. viij. cum s. q. Extract. Absinth. F. Pil. n°. tres. Sumat summo mane, et repetantur hora quinta pomeridiana per xxx. dies, superbibendo haustum vini absinthitis.

Sin forma boli magis adrideat:

Rec. Conserv. Absinth. roman. et flaved. Aurant. aa. unc. un., Angelic. condit., Nuc. moschat. condit. et Theriac. Andromach. aa. unc. sem., Pulv. Ari comp. drachm. tres, Zinzib. condit. drachm. duas,

cum s. q. Syrup. de succ. Citr. vel, ejus defectu, Syr. Aurantior. F. Electuarium.

Rec. Elect. praescript. drachm. duas, limatur. Chalyb. gr. viij. cum s. q. Syrup. Aurantior. F. Bolus, sumendus mane et sero, superbibendo haustum vini absinthitis, vel cochl. vj. seq. Infusionis:

Rec. Rad. Angelic., Enul., Campan. et Imperator. aa. unc. un., fol. Absinth. vulg., Centaur. min., Marrub. alb. et Chamaedr. aa. man. un. Cort. Aurant. duor. incis. adfunde Vini hispanic. q. s. ad supereminentiam duorum digitorum. Coletur tempore usus. Vel

In delicatulis chalybs exhiberi poterit in forma Pulv. sequentis.

Rec. Limatur. Chalyb. probe trit. unc. un., Pulv. Ari comp. drachm. vj., sem. Coriand. praeparat., Anisi, Foenicul. dulc. aa. unc. sem., Cinnamom. acutiss., Corall. rubr. praeparat. aa. drachm. tres, Nuc. moschat. drachm. duas. F. omnium Pulvis subtilissimus, cui adde Sacchar. albiss. ad pondus omnium, hujus capiant e cochleari drachm. sem. bis in die per 4. dies, tum drachm. un. bis in die per 40. dies, superbibendo cochl. vj. seq. Julap. vel vini absinthitis:

Rec. Aq. Lact. alexiter. unc. xij., Gentian. comp. unc. iv., Absinth. magis comp. unc. duas, Sacchar. albiss. q. s. F. Julap. Vel:

Rec. Vini Rhenan. absinth. libr. sem., Aq. Gentian. comp. unc. duas, Syr. Caryophyll. drachm. un. F. Julap.

Rec. Myrrh. elect., Galban. et Asae foetidae aa. drachm. un., Castor. drachm. sem. cum s. q. Balsam. Peruv. F. Pil. e singulis drachmis xij. Sumat tres singulis noctibus, superbibendo aq. Bryon. compos. cochl. tria vel. iv. per totum decursum hujus processus.

Si pilulae praescriptae ventrem moverint, utatur sequentibus:

Rec. Castor. drachm. un., Sal. Succin. volatil. drachm. sem.; cum s. q. extract. Rutae F. Pilulae n°. xxiv. Cap. tres singulis noctibus, superbibendo Julapii hysteric. cochl. tria vel iv.

Sp. C. C. ad gutt. xvj. vel xviij. in aqua aliqua adpropriata saepius exhibitus, valde confert.

Si vero his non cedat remediis, tum capiat sequentes pilulas:

Rec. Trochisc. de Myrrh. pulv. scrup. un., Balsam. Sulphur. terebinth. gutt. iv. cum s. q. Gumm. Ammoniac. solut. F. Pil. n°. iv. Cap. mane et sero, superbibendo Julap. hysteric. cochl. iv vel v. instillando Sp. C. C. gutt. xij.

Electuarium antiscorbutic. cum aqua ibidem descripta prodest in his adfectionibus, ut et Electuar. corroborans cum additione Conserv. Cochl. hortens. unc. un., Pulv. Ari compos. drachm. vj. superbibendo praescriptam aquam.

At si adfectus his non cedat remediis, eundum est ad aquas ferreas; et si neque his, tum ad sulphureas, quales sunt Bathonienses.

Inter bibendum aquas ferreas haec observanda: Si aliquod symptoma gravius acciderit, quod potationi aquarum referri potest, tunc ab iis aeger abstineat, donec symptoma istud penitus evanuerit. Aeger in earum usu per sex septimanas ad minimum, vel potius ad duos menses perseveret. Zinziber conditum, vel semina Carvi saccharata ad calefaciendum ventriculum subinde sumat. Pilulae etiam hystericae tres devorari possunt per primas x noctes, superbibendo Julap. hyster. cochl. iv, vel v.

Quoad usum aquarum Bathoniensium, duobus diebus bibat eas, ac tertio die per modum balnei eas ingrediatur, atque ita alternatim per sex septimanas vel duos menses.

Si chalybs justo plus corpus calefaciat, tum per ejus usum, quarta quaque aurora sumat aq. mineralium purgantium libr. iv. Quae tametsi alvum moveant, haud tamen tumultum cient, ut solent cathartica ex officinis deprompta.

Si chalybs magnas perturbationes inducat, Laudanum, aqua aliqua hysterica mistum, singulis noctibus ad tempus aliquod propinandum.

Cum a morbi diuturnitate fractae et attritae fuerint vires, venaesectio et cathartica non sunt praemittenda, sed a chalybe statim incipiendum.

Ubi symptomata sunt mitiora, satis est, sanguinem mittere, et alvum solvere ad dies tres vel iv, dein pilulas hystericas ad dies x, mane et sero exhibere.

In dolore intolerabili, vomitione et diarrhoea enormioribus exhibendum Laudanum, et postea corroborandi spiritus; at, modo per vires liceat, ante usum Laudani educatur e venis sanguis, et cathartico propinetur, in viraginibus praesertim et sanguineo temperamento praeditis: in debilioribus autem et haud pridem paroxysmum passis sufficit ventriculum congio uno lactis cerevisiati hausto, et mox per vomitum rejecto detergere; dein largam dosin Theriacae Andromachi vel Elect. Orvietan. imperare, et cochl. aliquot liquoris alicujus cum paucis Laud. liquidi gutt. superbibenda dare. Quod si aegra jam pridem vomuerit, et ulterius emeticis sollicitare periculo vacabit, Laudanum sine mora propinandum est, ea dosi, quae symptoma vincat, et post singulas vomitiones toties quoties repetendum, in forma potissimum solida, vel in liquida, in parco vehiculo, viz. gutt. aliquot in cochl. un. aq. Cinnam. fortior., aegra interim conquiescente et caput immotum tenente.

Perdomito symptomate, mane et sero ad dies pauculos continuetur usus Laudani.

Haec duo diligenter notanda; quod cum semel post evacuationem Laudano uti coeperimus, ea dosi, donec illa toties repetita sumendum est anodynum, donec symptoma omnino fuerit debellatum, interjecto tantum spatiolo inter singulas doses, ut quid prior praestiterit, ante noscamus, quam alteram ingeramus; deinceps, cum Laudano morbum adgredimur, nihil movendum est, nihil evacuandum, vel per mitissimum enema.

Theriaca Andromachi crebro, diuque usurpata, magnum est in hoc, et aliis morbis quamplurimis a caloris et concoctionis defectu ortis remedium.

Vina hispanica Gentiana, Absinthio, Angelica, Centaurio, cort. Aurant. flavedine, aliisque corroborantibus infusis medicata, si ad aliquot cochlearia ter in die potentur, admodum conferunt; modo aegra tenui non fuerit biliosoque corporis habitu.

Cortex peruv. ad scrup. un. mane et sero per septimanas aliquot deglutitus, praesertim in spasmis hystericis miras habet vires.

In tenui biliosoque corporis habitu posset usurpari diaeta lactea, praecipue in colica hysterica, si

modo ea incommoda possint superari, quae primis fere diebus adportat; quod nempe tum in ventriculo coagulatur, tum etiam viribus corporis in statu conservandis sustentandisque minus sufficiat.

Nihil tamen aeque sanguinem spiritusque fovet et confirmat, ac diu multumque singulis fere diebus equo vehi, nec itinera in curru facta suo carent successu.

De febre depuratoria annorum 1661, 62, 63, 64.

Si aeger juvenis sit, extrahatur sanguis e brachio, et eodem die post aliquot horas, vel sequenti die, duabus horis post leve prandium Emeticum ex infus. Croc. metallorum (paratis Zythogal. libr. vj vel viij, ut quoties vomuerit, aut alvum exoneraverit, e vestigio sumatur haustus) exhibeatur; et post finitam operationem emetici hoc vel simile paregoricum.

Rec. Aq. Cerasor. nigr. unc. un. sem., Aq. epidem. unc. sem., Laud. liquid. gutt. xvj., Syr. Caryophyll. drachm. duas. M. F. Haustus.

Vomitoria ex Inf. Croc. metall. parata pueruli s, ullisve infra adolescentiam constitutis, vel minima quantitate non est tutum exhibere.

Post hunc diem usque ad undecimum vel duodecimum, singulis auroris, injiciatur enema sequens:

Rec. Decoct. commun. pro Clystere libr. un. (vel lactis vaccini eamdem quantitatem), Sacchar. culinar. et Syrup. Violar. aa. unc. duas; F. Enema.

Post dictum diem alvus constipari permittatur, quo materia febrilis citius concoquatur; ad quem etiam finem cardiaca moderata, his ultimis diebus exhibita adprime conducunt; ut,

Rec. Pulv. e chel. Cancror. comp. gr. xiv., Elect. de ovo scrup. sem. cum s. q. Syr. Caryophyll. F. Bolus, sumendus octava quaque hora, superbibendo sequentis Julapii cochl. v, vel vj.

Rec. Aq. Lact. alexiter., Cerasor. nigr. aa. unc. tres, Aq. epidem. et Syr. Caryophyll. aa. unc. un. M. F. Julap. vel alia his similia.

Hac methodo sollicite observata usitato circa xv. diem (tum ex laudabili in urina separatione,

tum ex manifesta symptomatum omnium remissione) tempestivum esse, potionem purgantem communem exhibere, percipies.

Accidit interdum, maxime in senibus, curata febre, et purgato corpore aegrum nihilominus valde debilem esse, et quandoque tussi, interdum etiam screatu magnam glutinosi viscosique phlegmatis copiam expectorare; hoc in casu vinum Malaganum annosum, cum pane tosto ei immisso, bibat aeger.

Si superveniat iliaca passio, praescribatur sal. Absinthii scrup. un. ex cochl. un. succ. Limonum, mane et sero; intermediis temporibus capiantur aq. Menth. stillat. sine saccharo, cochl. aliquot, bis quaque hora; dum haec fiunt, catulus vivens nudo ventri indesinenter adcumbat: postquam dolor cum vomitu per biduum, triduumve cessaverit, exhibeatur Pil. Coch. maj. drachm. un. in aq. Menthae soluta, nec removendus catulus ante pilularum usum.

Ad recidivam praecavendam persistat in usu praedictae aquae per longum tempus, et duplicatis pannis laneis ventrem a frigore defendat.

De febre pestilentiali annorum 1665, 66.

Post venaesectionem in lecto celebrandam, aeger stragulis obruatur, et lacinia lanea sincipiti adligetur; tum, si vomitus non adsit, hoc vel simile hydroticum exhibe:

Rec. Theriac. Andromach. unc. sem., Elect. de ovo scrup. un., Pulv. e chel. Cancr. comp. gr. xij., Coccinel. gr. viij., Croc. gr. iv. cum s. q. succ. Kermes F. Bolus, quem sumat sexta quaque hora, superbibendo cochl. vj. seq. Julap.

Rec. Aq. Card. benedict. et Scord. compos. aa unc. iv., Aq. theriacal. stillatit. unc. duas, Syr. Caryophyll. unc. un. M. F. Julapium.

Si adsit vomitio, hydroticum differatur, donec, solo tegumentorum pondere, sudor promanare incipiat, linteaminis parte vultui superinducta.

Incepta diaphoresis haustulis Zythologalae Salvia alteratae, vel cerevisiae, cui macis aliquantulum incoxeris, subinde repetitis, ad naturalis diei spatium

(i. e. horas 24) est continuanda; in sudore licet jusculis confortativis aegrum reficere.

Ubi tumor enatus fuerit, venam aperire non sustinui; per horas adhuc a finito sudore xxiv, aegro se in lecto continente, frigus caute devitetur. Indusium sponte sua in corpore arescere permittatur, potulenta omnia calidiuscule hauriantur, et Zythogalae Salvia alteratae usus etiamnum continuetur; in seq. luce Potio purgat. communis exhibeatur.

Anni 1667, 1668, febrem variolosam et variolas produxerunt.

Anni 1669, 70, 71, 72, febrem dysentericam.

Anni 1673, 74, 75, febrem comatosam.

Curationem febrium horum annorum non attingo; quoniam methodo, in febre anni 1685. etc. descripta, curari eas potuisse autumo.

De febribus intermittentibus.

Cum rigore et horrore adoritur paroxysmus, quibus mox succedit calor, et huic tandem sudor, et subsequens ἀπυρεξία; licet in primis morbi diebus, autumno maxime, aliquoties remissio potius quam intermissio persentiscitur; in calore aeque ac in rigore vomiturit utplurimum, ac vehementer aegrotat miser, cum siti et lingua arida. In tenera aetate abdominis inflatio, in adultis crurum tumor febris solutionem; tonsillarum dolor, raucedo, oculi cavi, facies Hippocratica mortem denuntiant.

Rec. Cort. Peruv. subtiliss. pulv. unc. un. cum s. q. Syr. Caryophyll. vel de Rosis siccis; F. Electuarium dividendum in xij doses; quarum unam capiat quarta quaque hora, superbibendo vini cujuslibet haustum, incipiendo immediate post paroxysmum.

Si autem praescripti boli ventrem moverint, in haustu vini dentur gutt. x. Laudan. liquid. singulis vel alternis vicibus, post adsumtionem boli, ut opus fuerit.

Ad recidivam praecavendam (praecipue in quartana) repetatur processus praedictus, singulis septimanis, per tres alias vices.

Sin forma pilularum magis adrideat:

Rec. Cort. Peruv. pulv. unc. un. cum s. q. Syr. Caryophyll. F. Pilulae mediocris magnitudinis, quarum capiat unam quarta quaque hora.

Rec. Cort. Peruv. pulv. unc. duas, Vin. Rhenan. libr. duas; stent simul in infusione frigida, et coletur per manicam Hippocratis. Usus tempore capiantur unc. tres, tertia vel quarta quaque hora.

Sin ob vomituritionem fere continuam corticem deglutire nequeat aeger, tum sexies vel octies spatio duarum horarum, succi Limonum recens expressi cochl. un. cum sal. Absinth. scrup. un. adsumat; dein Laud. liquid. gutt. xvj cum aq. Cinnam. fortioris cochl. un., ac brevi post, cessante vomitu, corticis usum adgrediatur.

In intermittentibus vernalibus nonnumquam emeticum tempestive propinatum, ut nempe ante paroxysmum negotio suo defungi possit, felicissime successit. Nonnumquam enema in diebus intermittentibus per triduum vel quatriduum injectum curationem absolvit.

Quae sequenti quoque modo tentari potest.

Rec. Serpentar. Virgin. subtiliss. pulverisat. gr. xv., Vin. alb. unc. tres. Sumat duabus horis ante paroxysmum, et stragulis coopertus aeger sudet per iij vel iv horas, idem faciendo per duas alias vices ante paroxysmum.

Si ab ingeminatis paroxysmis summe debilis fuerit aeger:

Rec. Conserv. flor. Borrag., Bugloss. aa. unc. un., Conserv. Anthos unc. sem., Cort. Citri cond., Nuc. mosch. condit., Theriac. Androm. aa. drachm. tres, Confect. Alcherm. drachm. duas. M. F. Opiata: cap. ad quantitatem avellanae mane et vesperi, superbibendo cochlearia paucula alicujus aquae epidem. simplicioris, saccharo edulcoratae, interdicto interim enematum usu.

Si sub morbi exitum occurrat hydrops, nondum tamen depulsa febre, curatio non est instituenda remediis purgantibus, sed infusionibus rad. Raph. rust., summit. Absinth., Centaur. min., baccar. Junip., cinerum Genistae etc. in vino factis: exulante autem febre, catharticis et aperientibus.

Pro infantibus febre intermittente laborantibus:

Rec. Aq. Cerasor nigr. et Vini Rhenani aa. unc.

duas, Cort. Peruv. subtiliss. pulv. drachm. tres, Syr. Caryophyll. unc. un. M. F. Julap. Cap. cochl. un., alterumve, pro ratione aetatis, quarta quaque hora, donec paroxysmi non amplius discrucient; instillando alternis vicibus, si diarrhoea adfuerit, Laud. liquid. gutt. un. vel duas.

De febre stationaria, ab anno 1685 *ad* 90.

Calor et frigus se invicem excipiunt; artus pariter et caput dolent; pulsus interim fere sanus; nonnumquam tussis; dolor circa collum et fauces; exacerbatio febris prope noctem; inquietudo; sitis; lingua vel humida, et ex omni parte pellicula alba et scabra vestita, vel sicca, fusci coloris in medio, quam partem undique cingit fimbria inalbescens. A jugi in lecto decubitu coma et phrenesis; a calido regimine petechiae, maculae purpureae, eruptiones (quas vocant) miliares, morbillis magis rubentes; pulsus inordinatus, tendinum subsultus, atque ita tandem mors. Sudores in initio symptomatici divexant, qui, si ab arte provocentur, viscosi a capite erumpunt, et materiam morbificam in caput aut in artus transferunt.

Mittatur sanguis ad unc. x. e brachio. Reiteretur venaesectio, si modo respirationis difficultas, dolor capitis inter tussiendum lancinans, et alia signa peripneumoniae nothae adsint. In hoc casu tam venaesectio quam catharsis repetenda, donec aeger convaluerit.

Vesperi adplicetur epispasticum, et sequenti aurora potio lenitiva praescribatur; quae ad tertiam vicem alternis diebus repetatur; et hora somni post catharsin haustus pacificus propinetur:

Rec. Aq. Paralys. unc. tres, Syr. de Mecon. unc. un., Succ. Limon. recent. extract. cochl. duo. M. F. Haustus.

Aphthae et singultus, sponte sua post curationem febris supervenientes sponte evanescunt. Si in longum tempus decurrant, facile fugantur Cortic. Peruv. unc. un. cum Syr. Papav. rhoead. q. s. in form. electuar. vel pilular. redacta, superbibendo haustum lactis deflorati. Remedium hoc certissime scopum

attinget, si non frustrentur ejus vires ex jugi aegri in lecto decubitu.

Diebus a purgatione liberis sequentia praescribantur:

Rec. Conserv. Lujul. et Cynosbat. aa. unc. un., Conserv. Berber. unc. sem., Crem. Tart. drachm. un. cum s. q. Syr. de Limonib. F. Electuarium, de quo capiat ad magnitud. Nuc. moschat. ter in die, superbibendo sequentis Julapii cochl. vj.

Rec. Aq. Portulac., Lactuc., Paralys. aa. unc. tres, Syr. de Limonib. unc. un. sem., Syr. Violar. unc. un. M. F. Julapium.

Vel Rec. Aq. font. libr. un., Aq. Ros., Succ. Limon., Sacch. albiss. aa. unc. iv.; coq. lento igne, dum despumaverint; cap. unc. tres ad libitum. Praescribatur quoque sequens Gargarisma:

Rec. Succ. Pomor. agrest. libr. sem., Syr. de Rub. Id. unc. un. M. F. Gargarisma.

Si febris ita ventriculum infestet, ut aeger potionem retinere nequeat, pil. Coch. maj. ad scrup. duos exhibeantur; tum etiam hypnoticum est concedendum, v. gr. Laudan. Londin. gr. un. sem. cum simili quantitate Mastich.; vel Laudan. liquid. gutt. xviij., in aq. Cinnamom. hordeat. unc. un.

Decoctum album paratum ex C. C. usti unc. un. in aquae communis libr. tribus cocti, et postea saccharo albissimo edulcoratum sit pro potu, ut et cerevisia tenuis pro libitu.

Post catharsin bis celebratam concedatur aegro pullorum carnibus vesci, et post ultimam purgationem, modo febris aliquantulum deflagraverit, vini Canarini cochl. iij vel iv. mane et sero, ut et post prandium, per dies aliquot propinentur.

In phrenitide, ut et comate, nihil perinde confert atque aegri caput radere, nullo admoto emplastro, sed pileolo tantum.

Si (quod feminis hystericis quandoque accidit) post venaesectionem et purgationes hujusmodi iteratas, etiamnum duret procurratque febris, modo signa peripneumoniae et inflammationis circa partes vitales absint, singulis noctibus paregoricum et medicamenta hysterica, bis vel ter in die, injungantur.

De infantibus febre stationaria laborantibus.

Hirudines duae utrimque pone aures adplicentur; dein emplastr. epispasticum cervici admoveatur.

Cerevisia, qua Rhabarbarum fuerit infusum, purgetur.

Si post catharsin febris intermittere videatur, tum Julapium cum Cortice Peruviano (in capite de febre intermittente pro infantibus descriptum) exhibeatur.

De febre scarlatina.

Aestate exeunte infantes praecipue infestat. Rigent et horrent sub initium; nec tamen admodum aegrotant; cutis universa maculis parvis, rubris, crebrioribus, latioribus, et magis rubentibus quam in morbillis interstinguitur. Ad duos tresve dies persistunt, quo quidem tempore evanescunt, et decedente subjecta cuticula squamulis furfuraceis, ad instar farinae, cutis conspergitur.

Rec. C. C. usti, et Pulv. e chel. Cancr. comp. aa. drachm. sem., Coccinel. gr. duo, Sacchar. crystall. drachm. un. M. F. Pulvis subtiliss. in xij chartulas dividend., quarum unam capiat sexta quaque hora, superbibendo cochl. ij vel tria sequentis Julapii:

Rec. Aq. Cerasor. nigr., Aq. lactis alexiter. aa. unc. tres, Syr. e succ. Citri unc. un. M. F. Julap.

Adplicetur etiam epispasticum cervici, et qualibet nocte paregoricum ex syr. de Mecon. propinetur, et postquam symptomata cessaverint, purgetur aeger.

De pleuritide.

Inter ver et aestatem dominatur. A rigore et horrore orditur, quos statim comitantur calor, sitis, inquietudo et caetera febrium symptomata; elapsis pauculis horis, aeger vehementi dolore punctorio in laterum alterutro circa costas corripitur, qui nunc versus omoplatas, nunc spinam, nunc anteriora pectoris sese propagat; tussi crebra excruciatur. Ma-

teria sputo rejecta in initio morbi pauca est et tenuis, et saepe sanguinis particulis intermista; progressu vero copiosior et magis concocta, sanguine etiam permixto. Febris pari passu incedit cum tussi, sputo sanguinis, dolore, et pro ratione liberioris expectorationis sensim imminuitur; nunc alvus est adstricta, nunc soluta nimis. Eductus e vena sanguis sevi liquati speciem prae se fert, ubi refrixerit.

Mittatur sanguis e brachio lateris adfecti ad unc. x.

Rec. Aq. Papav. rhoead. unc. iv., Sal. Prunell. drachm. un., Syr. Violar. unc. un. M. F. Haustus, sumendus statim a prima venaesectione.

Rec. Amygd. dulc. excorticat. n°. v., sem. Melon., Pepon. aa. unc. sem., sem. Papav. alb. drachm. tres, Aq. hord. libr. un. sem., Aq. Rosar. drachm. duas; cum s. q. Sacchar. cand. F. l. a. emulsio; cap. unc. iv. quarta quaque hora.

Rec. Decoct. pectoral. libr. duas, Syr. Violar. et Cap. Ven. aa. unc. un. sem. M. F. Apozema; cap. libr. un. sem. ter in die.

Rec. Ol. Amygd. dulc. unc. duas, Syr. Violar. et Cap. Ven. aa. unc. un., Sacchar. cand. q. s. M. F. Eclegma, de quo saepe lambat.

Oleum Amygd. dulc. per se, vel Oleum sem. Lini recenter extractum exhiberi potest.

Rec. Ol. Amygd. dulc., Lilior. et unguent. Dialthaeae, aa. unc. un. M. F. Linimentum, quo inungatur latus adfectum mane et sero, superimponendo fol. Brassicae.

Repetatur venaesectio ad tres alias vices ad eamdem quantitatem, quatuor diebus continuis, ubi dolor et respirandi difficultas suadent.

De peripneumonia notha.

Ingruente hyeme, et saepe sub ejus exitum, emergit; insultu primo nunc incalescit, nunc friget aeger; ex motu quolibet vertiginosus est; rubent et inflammantur genae oculique; tussit, et inter tussiendum dolor capitis lancinans premit; potulenta vomitu rejicit; urina turbida est et intense rubet; sanguis pleuriticorum aemulus; anhelus crebro et cele-

riter spiritum ducit, dolente thorace. Ab asthmate sicco plane distinguitur, quod in isto nusquam comparent febris indicia, in hac manifesto se produnt, licet minora longe et magis obscura, quam in peripneumonia vera.

Mittatur sanguis e brachio dextro ad unc. x. Die sequenti aeger hanc potionem sumat:

Rec. Cassiae rec. extract. unc. un., Glycyrrh. drachm. duas, Ficus pingues n°. iv., fol. Senn. drachm. duas sem., Agaric. trochiscat. drachm. un.; coq. s. q. aquae ad unc. iv. in colatur. dissolv. Mannae unc. un., Syr. Rosar. solut. unc. sem.

Si vero potionem adsumere nequeat, capiat pil. Coch. maj. scrup. duos, hora quarta matutina.

Sequenti die celebretur iterum venaesectio ad eamdem quantitatem; ac postero die repetatur catharsis, quae porro repetenda est alternis diebus, vel post majora intervalla, pro ratione virium: atque insuper si symptomata non cessaverint, extrahatur iterum sanguis semel adhuc, bis vel saepius, diebus aliquot interjectis, prout res postulaverit; sed utplurimum venaesectio bis celebrata sufficiet. Interim, dum haec fiunt, praesertim in diebus a purgatione vacuis, utatur Decocto pectorali, Eclegmate, et oleo Amygd. dulcium, in pleuritide descriptis.

De Rheumatismo.

Rigorem et horrorem et caetera febrium symptomata patiuntur; elapso die uno alterove (est et ubi citius) dolor adest atrox, nunc in hoc, nunc in illo artu, in carpis, humeris et genubus praesertim, vicissim hos relinquens et illos occupans; rubore et tumore in parte, quam postremum adfecit, adhuc residuis. Febris sensim evanescit, manente dolore, quin et nonnumquam immanius saeviente. In lumbagine rheumatica immanis dolor adest, circa lumborum regionem fixus, nephritin mentiens, nisi quod aeger non vomituriat; qui procumbere nequit, sed vel e lecto exilit, vel super eodem erectus sedet, corpore perpetua agitatione nunc versus anteriora, nunc posteriora inclinato. Sanguis pleuriticorum similis.

Mittatur sanguis e brachio lateris adfecti ad unc. x.

Rec. Aq. Nymph., Portulac., Lactuc. aa. unc. iv., Syr. de Limonib. unc. un. sem., Syr. Violar. unc. un. M. F. Julap., de quo bibat ad libitum.

Praescribenda Emulsio 4. Sem. frigid. maj.; Cataplasma e mica panis albiss. et lacte Croco tincto adplicetur parti dolenti.

Die sequenti eadem sanguinis quantitas detrahatur; atque iterum, die uno vel altero interjecto, reiteretur; atque porro quater vel pluries, si opus fuerit; hoc observando, ut post secundam venaesectionem majora sint intervalla inter singulas sanguinis missiones.

Diebus a phlebotomia vacuis Enema e lacte saccharato subinde injiciatur, vel sequens:

Rec. Decoct. commun. pro Clyster. libr. un., Syr. Violar. et Sacchar. culinar. aa. unc. duas. M. F. Enema.

Si imbecillitas aegri repetitionem phlebotomiae non ferat, tum post secundam vel tertiam venaesectionem curatio hac methodo tentanda.

Capiat alternis diebus potionem purgativam communem, donec convaluerit, et iisdem noctibus paregoricum ex Syr. de Mecon.

Sin his remediis non cedat, et aeger ob imbecillitatem evacuationes qualescumque ferre nequeat, adgrediatur usum elect. et aq. antiscorbut. in scorbuto descript., quae etiam remedia locum habent in rheumatismo scorbutico.

In juvenibus, atque iis, qui temperate vixerunt, vino non plus aequo dediti, rheumatismus diaeta simplici admodum refrigerante, et mediocriter nutriente, aeque feliciter, ac repetitis venaesectionibus (quas minus ferre queant) profligari potest. Ex. gr.

Solo lactis sero ad dies quatuor vescatur aeger; postea praeter serum pane similagineo, semel in die loco prandii, donec penitus convalescat; nisi quod postremis diebus iterum panem in coenam indulgere liceat. Symptomatis cessantibus, carnes pullorum elixorum ceteraque eupepta concedantur; tertio autem quoque die solo lactis sero victitet, donec tandem pancratice valeat.

De febre erysipelatosa.

Nulla non corporis pars, praesertim facies, tumet, dolet, et summe rubet; pustulae densae, parvae, in vesiculas subinde facessunt, quae per frontem caputque serpunt; oculi tumore obruti; rigor et horror, atque reliqua febris indicia, adsunt. In alia hujus morbi specie, liquorum attenuantium potationi superveniente, febricula adest, pustulae urticarum puncturas referentes, nonnumquam in vesiculas sublatae, mox recedentes, tuberculorum more sub cute se condentes, maxime pruriunt, et scalpendo rursum apparent. Est et alia eruptionis species, pectus utplurimum obsidens; macula nimirum lata, cuti vix supereminens, porriginosa, cum squamulis flavis; qua vigente, aeger bene se habet, eadem evanescente leviter aegrotat; urina turbida et flava; iisdem remediis, quibus pruritus ferinus, cedit; vino utatur aeger et carnibus eupeptis.

Mittatur sanguis e brachio ad unc. ix, vel x. Die sequenti sumat potionem communem purgativam.

Rec. Rad. Althaeae et Lilior. aa. unc. un., Fol. Malv., Sambuc., Verbasc., Flor. Chamaemel., Melilot. Summitat. Hyperic. et Centaur. minor. aa. man. un. Sem. Lini, Foeni graec. aa. unc. sem.; coq. s. q. aq. ad libr. tres. Coletur liquor, et tempore usus adde singulis libris decocti Spir. Vini unc. duas. Stuphae e panno laneo huic decocto immersae, ac expressae, calide admoveantur bis in die, et pars adfecta post fotum sequenti Mixtura illinatur:

Rec. Spir. Vini libr. sem., Theriac. Androm. unc. duas; pulv. Piperis. longi, et Caryophyll. aa. drachm. duas., F. Mixtura, qua charta emporetica madefacta parti adfectae circumvolvatur.

Si primae venaesectioni non cedat morbus, tum repetatur, et nondum cessante, ad duas alias vices celebretur, interposito semper die uno.

Diebus a venaesectione liberis Enema e lacte cum Syr. Violarum, Emulsio refrigerans, et Julap. refrigerans, sunt praescribenda.

De pruritu ferino, et inveteratis cutis eruptionibus, quae venaesectioni et catharsi non cedunt.

Rec. Theriac. Andromach. drachm. sem., Elect. de ovo scrup. un., Rad. Serpentar. Virgin. subtiliss. pulver. gr. xv., Lapid. Bezoar. oriental. gr. v.; cum s. q. Syr. e conditur. Citri F. Bolus, hora somni sumendus per dies xxj. superbibendo cochl. vj. sequent. Julapii:

Rec. Aq., Card. benedict. unc. vj, Aq. epidem. et theriacal. stillat. aa. unc. duas, Syrup. Caryophyll. unc. un. M. F. Julap.

Singulis matutinis capiat liquoris possetici libr. sem. calide, et sudet horae unius spatio.

His finitis, si pustulae adhuc non evanuerint, sequenti linimento partes adfectae inungantur.

Rec. Unguent. ex Oxylapatho unc. duas, Uungent. pomati unc. un., Flor. Sulphur drachm. tres, Ol. Rhodii scrup. sem. F. Linimentum.

Verumtamen medicamenta praescripta haud usurpentur, nisi venaesectione et catharsi rite praemissis.

De angina.

Angina inter ver et aestatem utplurimum adgreditur. Sequuntur febris insultum dolor et faucium inflammatio; unde a tumore uvulae, tonsillarum et laryngis nec deglutire queat aeger, nec spiritum ducere.

Mittatur sanguis e brachio copiose. Tangantur partes inflammatae Melle rosaceo, Sp. Vitrioli, vel Sp. Sulph. ad summum acorem permisto, vel Sp. Vitrioli solo. Mox Gargarisma sequens usurpetur, non vulgari modo, sed ita, ut sine ulla agitatione in ore contineatur, donec incalescat, dein exspuatur, et repetatur subinde.

Rec. Aq. Plantag., Rosar rubr. et Sperm. Ranar. aa. unc. iv., Album. ovor. in aquam agitando redact. n°. tria, Sacchar. crystall. drachm. tres. M. F. Gargarisma.

Emulsio refrigerans, in pleuritide descripta, indies sumatur.

Sequenti mane, nisi febris et dolor inter deglu-

tiendum remiserint, venaesectio repetatur, catharsi in diem posterum rejecta; alias catharticum lenitivum exhibeatur.

Manente adhuc adfectu (quod oppido rarum), repetatur adhuc venaesectio, et catharsis; epispasticum amplum ac forte adplicetur cervici post primam venaesectionem.

Omni mane, nisi diebus purgationi datis enema refrigerans et emolliens injiciatur; diaeta tenui utatur aeger, et lecto per horas aliquot quotidie absistat.

In his omnibus febribus, quas intercurrentes appello, ut etiam in illa, quae stationaria est, caute observandum, quod aeger a lecto abstineat magnam diei partem, ut jusculis hordeaceis, avenaceis, ac id genus aliis victitet, et cerevisiam tenuem lupulatam et hydrogalam pro potu ordinario bibat.

De morbillis.

Infantes plerumque impetunt. Primo die rigent horrentque, calent et frigent alternatim. Secundo consummatam febrem accersunt. Aegritudo vehemens, sitis, inadpetentia, lingua alba (non vero sicca), tussicula, capitis et oculorum gravedo, et somnolentia perpetua, acriter premunt; humor e naribus et oculis jugiter stillat; quae lacrymae certissimum morbillorum signum. Huc accedunt sternutatio, tumor palpebrarum paulo ante eruptionem, vomitus, diarrhoea cum dejectionibus colore viridi, in dentientibus praesertim. Symptomata ingravescunt ad quartum usque diem, quo quidem die (nonnumquam quinto) in fronte et facie maculae parvae, rubrae, pulicum morsibus persimiles prodeunt, quae numero et magnitudine auctae racematim coalescunt, et faciem maculis rubris majusculis interstinguunt. Hae maculae e parvulis papulis, supra cutim paululum elevatis conflantur, quarum protuberantia digito levi, vix oculorum acie, deprehendi possit.

A facie, quam primo solum occupant, ad pectus, ventremque, crura deinde tibiasque propagantur maculae; in his autem partibus latae et rubrae, superficiem cutis non superantes conspiciuntur. Eruptione morbillorum non perinde deliniuntur symptoma-

ta ac in variolis. Vomitus post eruptionem nullus; sed tussicula et febris cum spirandi difficultate intenduntur, in oculos defluxio, somnolentia et inadpetentia perseverant. Die sexto aut circiter frons et facies asperescunt, emorientibus pustulis ruptaque cuticula; in reliquo corpore maculae latissimae sunt, et maxime rubescunt. Octavo circiter die in facie evanescunt, et vix in reliquo corpore permanent. Nono nullae prorsus sunt; per faciem vero et artus, quandoque et totum corpus in farinam quamdam et squamulas facessunt; et tunc temporis febris, spirandi difficultas et tussicula augentur. In adultis a calido regimine livescunt primo, mox nigrescunt exanthemata.

Rec. Decoct. pectoral. libr. un. sem., Syrup. Violar. et Cap. Ven. aa. unc. un. sem. M. F. Apozema; capiat unc. tres vel iv. ter vel quater in die.

Rec. Ol. Amygd. dulc. unc. duas, Syr. Violar. et Cap. Ven. aa. unc. un., Sacchar. cand. albiss. q. s. M. F. Eclegma, de quo saepius lambat, praecipue quando tussis urget.

Rec. Aq. Cerasor. nigr. unc. tres, Syr. de Mecon. unc. un. M. F. Haustus singulis noctibus sumendus, a primo morbi insultu, usque dum convaluerit aeger; dosin augendo vel imminuendo pro ratione aetatis.

Aeger se contineat in lecto per biduum, post primam eruptionem.

Si post morbillorum discessum febris, respirandi difficultas, et alia symptomata peripneumoniam mentientia supervenerint, sanguis liberaliter extrahendus e brachio, semel, bis, vel ter, prout opus fuerit, convenienti spatio interposito inter singulas venaesectiones; atque etiam continuentur Decoctum pectorale supra descriptum ut et Lohoch, vel Ol. Amygd. dulc. per se. Circa diem xij. ab invasione cathartico lenienti purgetur.

Diarrhoea, quae morbillos excipit, venaesectione sanatur.

De variolis.

Distinctae sunt vel confluentes: et in distinctis invadunt rigor et horror; calor intensus; capitis et

dorsi dolor vehemens; vomituritio; in adultis ingens in sudores propensio (et hinc minime confluxuras esse licet conjicere); dolor sub scrobiculo cordis si manu prematur; stupor et somnolentia, nonnumquam et insultus epileptici (in infantibus praesertim), quibus si, dentione peracta, corripiantur, in procinctu esse variolas possis praedicere; ita ut si forte insultum epilepticum sub vesperam patiantur, sequenti aurora in conspectum se daturae sint variolae, mites utplurimum et rarissime confluentes. Quarto inclusive ab invasione die, nonnumquam serius, raro tamen ante illum, erumpunt, quo tempore vel minuuntur symptomata vel prorsus evanescunt. In eruptione autem subrubrae primo pustulae, tenuissimarum acicularum puncta aequantes, sparsim se produnt per faciem, collum, pectus, et corpus universum; tunc in faucibus dolor, qui cum pustulis surgentibus augetur. Circiter octavum a primo insultu diem intervalla pustularum, prius alba, rubere jam incipiunt, in tumorem attolli, et dolore tensivo adfici; extenduntur palpebrae, et ut vesica inflata oculos claudunt. Proximae a facie intumescunt manus, digitique distenduntur; pustulae faciei antea laeves et rubrae, jam asperae (primum maturationis indicium) et subalbidae adparent; succum insuper luteum, colore a flavo non abludentem evomunt; faciei et manuum inflammatio jam summa in pustularum interstitiis colorem exhibet floridum, et rosarum Damascenarum aemulum; quem quidem colorem, quo mitiores sunt variolae, eo magis tum pustulae, tum cutis interjecta ad amussim exprimunt. Quae faciem occupant pustulae, asperiores quotidie ac magis flavae pro maturationis ratione; quae manus et reliquum corpus, minus asperae, albaeque magis conspiciuntur in dies. Die undecimo faciei tumor et inflammatio recedunt, pustulae maturae, et justam magnitudinem (viz. pisi grandiusculi) adeptae exarescunt deciduntque. Decimo quarto vel quinto pereunt funditus; manuum autem pustulae pertinaciores, albae adhuc et recentes die uno aut altero moras trahunt, et tandem disrumpuntur: caeterae autem, faciei nimirum et corporis, desquamantur, et in facie squamulis hisce furfuraceis succedunt foveae. Per totum morbi decursum alvus vel prorsus consti-

patur vel rarissime dejicit. Maxima eorum pars, qui ex hoc morbo pereunt, octavo die in discretis, undecimo autem in confluentibus intereunt: quippe cum in discreto hoc genere promoventur sudores tum cardiacis, tum regimine calidiore, praedicto die facies, quae turgida et per interstitia pustulis interjecta inflammari debuerat, e contra flaccida reperitur et albescens, pustulis nihilominus rubentibus et elevatis, etiam post aegri mortem: sudor, qui huc usque manaverat, derepente evanescit; aeger interim phrenitide corripitur, anxietate, jactatione, aegritudine vehementibus; urinam parce reddit ac frequenter, et tandem paucissimarum horarum spatio ad plures migrat.

In confluentibus eadem symptomata (sed atrociora), febris scilicet, anxietas, aegritudo, vomituritio, etc. immanius saeviunt; licet non ita prompte, ac in discretis, in sudores dissolvitur aeger. Diarrhoea nonnumquam eruptionem praecedit, et ad diem unum aut alterum post illam protrahitur, quod in discretis vix contingit. Tertio die aut citius, raro tardius, erumpunt; et quo citius, eo magis confluunt. Quandoque ad quartum vel quintum diem differtur eruptio, ob atrox aliquod symptoma, v. g. acutissimum dolorem in lumbis, nephritici aemulum, in latere pleuritici, in artubus rheumatici, in ventriculo cum ingenti aegritudine et vomitu. Non perinde, ac in discretis, mox ab eruptione remittunt symptomata, sed et febris et alia ad multos etiam dies post eruptionem pustularum aegrum discruciant: nunc erysipelatis ritu, nunc morbillorum, erumpunt: eruptionis licet tempore plane distinguantur. Crescente morbo, non in molem aliquam spectabilem attolluntur; sed in facie sibi invicem implicitae, tanquam vesicula rubra, vultum omnem contegunt, quem maturius elevant quam discretae: postmodum ad instar pelliculae albae vultui adglutinatae cutis superficiem non admodum superant. Praeterlapso die octavo, pellicula alba quotidie paulatim magis exasperatur colore fusco: intensus magis est dolor cutis, donec tandem in truculentiori morbo non nisi post diem vicesimum latioribus laminis desquamatur. Hoc interim observatu dignum, quod quanto pustulae maturescentes propius ad colorem subfuscum vergunt,

eo deteriores lentius abscedunt; quo magis autem flavescunt, eo minus confluxerint, et ocyus se propipiunt. Ubi primum deciderit pellicula, nulla scabritie vultus adficitur; at vero mox illam excipiunt squamulae furfuraceae, indolis perquam corrosivae, quae foveas relinquunt patentiores, et saepe cicatrices. Quandoque humeri et dorsum cuticula denudantur. Morbi periculum a pustularum frequentia, et numero in facie sola aestimandum. Pustulae manuum et pedum majores, et quo altius ab extremitate artuum adscenderis, eo sensim minores et contractiores exstant. In adultis salivatio, in infantibus diarrhoea (licet non ita certo) confluentium comes. Ptyalismus nunc cum eruptione se prodit, nunc biduo triduove praeterito materiam primo tenuem, die undecimo viscidiorem aegerrime exscreat. Siticulosus est aeger, voce rauca, somnolentia et stupore ingentibus corripitur, inter bibendum subinde tussit, et potus per nares revertitur. Tunc cessat utplurimum salivatio, cui nisi faciei intumescentia (quae licet hoc ipso die pro morbi genio aliquantisper remitti debeat, non tamen nisi post diem unum alterumve omnino recedere) et manuum jam insigniter incipiens, et diutius perdurans suppetias tulerint, aegro protinus moriendum est. Diarrhoea non ita mature infantes occupat, ac ptyalismus adultos. In utraque variolarum specie febris ab insultu ad eruptionem dominatur, inde dat inducias ad pustularum maturationem, qua peracta, desinit. Superveniunt a malo regimine symptomata anomala; qualia sunt pustularum flacciditas et subsidentia; phrenitis; coma; maculae purpureae pustulis interspersae, et in earum summitate maculae nigrae exiguae in medio subsidentes; sanguinis mictus et sputum sub initio morbi; urinae suppressio.

Separationis tempus cum febrili ebullitione tribus vel quatuor primis diebus transigitur: expulsio per reliquum morbi tempus, mediantibus parvis abscessibus, in carne perficitur.

Dies, in quo maxime periclitatur aeger, in confluentibus, in minime crudo, maxime vulgari genere, a primo morbi insultu est undecimus, in crudiore adhuc decimus quartus, et in crudissimo decimus septimus; nonnumquam tamen, sed rarius, non

ante diem vicesimum moritur aeger. Quinimmo per spatium illud omne, quod inter diem undecimum et decimum septimum interjacet, adpetente vespera, molestissimo inquietudinis paroxysmo quotidie vexatur aeger.

Mittatur sanguis quovis ex tribus primis diebus ab invasione ad drachm. ix vel x. et postea vomitorium exhibeatur ad unc. un., vel unc. un. sem. infusionis Croci metallorum.

His primis diebus diluatur sanguis frequenti potatione cerevisiae tenuis lupulatae, cui Vitrioli spiritus immisceatur usque ad plenam pustularum eruptionem.

Cum variolae omnes eruperint (quod utplurimum est sexto die post invasionem), vesperi propinetur syr. de Mecon. unc. un.; quae dosis repetatur dehinc singulis noctibus ad diem decimum post invasionem. Ea nocte, si variolae e confluentium genere fuerint, augeatur dosis ad unc. un. sem.; quae dein repetatur ad unc. un. mane, et ad unc. un. sem. sero, singulis noctibus, donec aeger convaluerit.

Si syr. de Mecon. minus congruat, substitui possit Laudan. liquid. viz. gutt. xviij pro unc. un. syrupi et gutt. xxv pro unc. un. sem. Hoc interim observandum, quod si paregoricum, bis in die exhibitum, orgasmum compescere non valeat (quod in variolis insigniter confluentibus sub finem earum saepe accidit), tum octava quaque hora exhibendum, vel saepius, si opus fuerit.

At si variolae interstinctae fuerint, satis erit, ut solummodo singulis noctibus post plenam eruptionem exhibeatur paregoricum, atque etiam in minori dosi.

Qualiscumque autem generis variolae fuerint, atque etiam qualicumque morbi tempore, si phrenitis acciderit, omnino oportet, ut inordinato spirituum motui fraenum injiciatur; ac proinde si prior paregorici dosis metam non attingat, alia atque alia adsumatur, donec tumultus penitus compescatur; interposito inter singulas doses spatio aliquo, ut pernoscere valeamus, utrum dosis ultima id, quod quaerimus, praestiterit, antequam nova ingeratur.

Si omnimoda urinae suppressio acciderit, aeger e lecto eximatur, et aliquantulum obambulet.

Si saliva ob calorem sit adeo viscida, ut expectorari non possit, tum gargarisma cum syringa saepe in fauces injiciatur. Componatur e cerevisia tenui vel aq. hord. cum melle rosarum; vel sequens usurpari poterit:

Rec. Cort. Ulmi drachm. vj, Rad. Glycyrrhiz. unc. sem., Passular. enucleat. n°. xx., Ros. rubr. pug. duos; coq. s. q. aq. ad libr. un. sem.; in Colatur. dissolv. Oxymel. simpl. et Mell. Rosar. aa. unc. duas. M. F. Gargarisma.

Si epispastico opus fuerit, amplum satis et acre nuchae adplicetur nocte ista, quae magnam morbi crisin praecedit: mox ab adsumto paregorico plantis quoque pedum adplicari potest allium, a die octavo usque ad morbi finem, singulis diebus renovandum.

Si infans, de symptomatis dentitionem comitantibus jam securus, derepente spasmis corripitur, hic cogitandum est, convulsionem istam fortassis a naturae conatu, quae variolas, scarlatinam febrem, aut morbillos, in corporis habitum protrudere satagit, pendere: adplicetur itaque emplastrum epispasticum nuchae; lecto quamprimum committatur aeger; exhibeatur insuper cardiacum, cui paregorici pauxillum est admiscendum; puero nempe trienni Laud. liquid. gutt. v. in aquae epidem. cochl. un.

Si die undecimo, vel alio quovis post eum, febris secundaria cum inquietudine, jactatione, et caeteris id genus symptomatis usque adeo efferatur, ut paregoricis utcumque repetitis sufflaminari nequeat, et mors quasi immineat, tum sanguis ad satis magnam quantitatem illico detrahatur, nempe ad unc. xij, vel circiter, atque porro repeti possit semel vel bis in sequentibus diebus, si symptomatum dictorum ratio idem postularit; at non alias. Catharsis etiam blanda die decimo tertio (non antea) vel quovis alio die eum insequente (modo venaesectio praecesserit) institui possit, nempe ex Electuarii lenitiv. unc. un. dissolut. in aq. Cichor. vel lactis alexiter. unc. iv. Verumtamen nec venaesectio, nec catharsis impediunt, quo minus paregorica in usum veniant; quae (haud obstantibus iis) tam quoad largam dosin, quam repetitam, exhiberi debent, si opus adhuc fuerit: nam ad haec in hoc morbo semper confugiendum.

Quando pustulae perfecte exaruerint, inungatur facies linimento ex aequalib. partib. ol. amygd. dulc. et pomat. per biduum; at non ultra.

Die xxj. post invasionem mittatur sanguis e brachio; et sequenti die catharsis celebranda, quae porro alternis diebus, ad tres alias vices, repetatur.

Quoad regimen, a lecto abstineat ad sextum diem post invasionem, in quo postea se contineat usque ad decimum septimum, non aliis stragulis tectus, quam quibus sanus uti solebat.

Jusculis avenac., hordeac., pomis coct. et cerevisia tenui victitet; et post undecimum diem vini hispanic. cochl. iv, vel v, bis in die exhibeantur, si aeger voluerit.

Si crurum tumor non evacuationibus praescriptis cedat, tum fotu fol. Malv., Verbasc., Sambuc., Lauri, cum floribus Chamaemel. et Melilot. in lacte coct. facile fugatur.

Si primis morbi diebus aeger haemoptoë laboret, vel urinam reddat sanguineam, tum pulvis et tinctura, quae in capite de haemoptoë praescribuntur, sexta quaque hora (donec symptomata ista prorsus cessaverint) diligenter exhibeantur. Quo etiam casu paregorica liberali manu propinanda.

De chorea sancti Viti.

Convulsionis species quaedam est; pueros puellasve a decimo aetatis anno ad pubertatem invadit: prodit se claudicatione, vel instabilitate alterutrius cruris, quod aeger post se trahit fatuorum more; manum ejusdem lateris, vel pectori vel alii alicui parti adplicitam nequit continere iu eodem situ horae momento, sed in alium situm et locum convulsione distorquebitur, quidquid aeger contranitatur. Antequam poculum ad os possit adducere, mille gesticulationes circulatorum instar exhibebit: non enim recta linea ori admovet, sed deducta a spasmo manu, huc illuc aliquamdiu versat; donec tandem, forte fortuna, labris propius adponens liquorem derepente in os injicit, et avide haurit; dedita tamquam opera, ut spectantibus risum moveret.

Sanguis ad unc. viij, plus minus pro aetate, ex brachio educatur.

Die sequenti, dimidia pars, vel quiddam amplius pro ratione aetatis, potionis communis hauriatur; et vesperi haustulus sequens propinetur:

Rec. Aq. Cerasor. nigr. unc. un., Aq. epilept. Langii drachm. tres, Theriac. Andromach. scrup. un., Laudan. liquid. gutt. viij. F. Haustus.

Potio cathartic. ad tres vices, alternis diebus, repetatur; et haustus paregoricus iisdem noctibus.

Postea sanguis iterum extrahatur; et ad catharsin, uti prius, aeger revertatur, et sic sanguis mittatur et alvus subducatur ad tertiam quartamve vicem; spatio tamen inter alternas evacuationes observato, ut nihil periculi aegro immineat.

Diebus a purgatione vacuis sequentia praescribantur.

Rec. Conserv. Absinth. roman. et flaved. Aurantior. aa. unc. un., Conserv. Anthos unc. sem., Theriac. Andromach. vet. et Nuc. moschat. condit. aa. drachm. duas, Zinzib. condit. drachm. un., Syr. e succ. Citr. q. s. F. Electuar. de quo capiat ad magnitud. nuc. moschat. mane et hora quinta pomeridiana, superbibendo vini sequentis cochlearia v.

Rec. Rad. Paeoniae, Enul., Campan., Imperator. et Angelic. aa. unc. un., Fol. Rut., Salv., Betonic., Chamaedr., Marrub. alb. et summitat. Centaur. min. aa. man. un., Baccar. Juniper. drachm. vj., Cortic. duos Aurantior. Incidantur et infundantur frigide in vini Canarini libr. vj. Coletur tantummodo usus tempore.

Rec. Aq. Rut. unc. iv., Aq. epilept. Lang. et Bryon. comp. aa. unc. un., Syr. Paeon. drachm. vj. M. F. Julap.; capiat cochl. iv. singulis noctibus cubitum iturus, instillando Sp. C. C. gutt. viij.

Adplicetur plantis pedum Emplast. e Caranna.

Ob recidivae metum pertundatur ei vena, et ad dies aliquot purgetur, ea ipsa anni sequentis tempestate (vel paulo ante), qua morbus invasit.

Verimisile mihi videtur, quod haec methodus curationi epilepsiae adultorum convenire possit, quod tamen non adhuc expertus sum. Cum vero chorea

Viti aetates teneras adoriri soleat, in epilepsia adultorum tam sanguinis detrahendi quantitas, quam catharticorum doses adaugeantur.

De apoplexia.

Somnus est profundissimus, et omnimoda sensus et motus privatio, excepta respiratione, quam aegri habent difficilem cum stertore.

Mittatur sanguis e brachio ad unc. xij, quamprimum; ac postea ex venis jugularibus ad unc. viij: deinde vomitorium ex unc. un. sem., vel unc. duabus infus. Croc. metall. propinetur statim.

Emplastr. epispastic. satis amplum ac forte cervici adplicetur.

Dum haec aguntur, erectus sedeat aeger in lecto, nec stragulis nimis obrutus.

Sp. sal. ammoniac. optime rectificatus admoveatur naribus.

Finita vomitorii operatione, subinde exhibeantur cochl. tria vel iv. sequentis Julapii:

Rec. Aq. Rutae unc. iv, Aq. Bryon. comp. et antepilept. Lang. aa. unc. un., Sp. C. C. gutt. xx, Sacchar. crystall. q. s. F. Julap.

Vel cochleare un. Sp. Lavendulae compos. per se propinari possit bis vel ter, durante paroxysmo, hora dimidia vel integra interposita.

Cavendum est, ne cardiaca plus justo calida, ac nimis frequenter (ut mos est) exhibeantur; nam quacumque demum specifica virtute pollere videantur, plus damni quam emolumenti aegro adportant, utpote quae humores fundere (ac proinde malum augere) apta nata sunt: quod etiam incommodum non minus infertur ex nimia stragulorum congestione.

Paroxysmo jam finito, ad praecavendam recidivam sequentia exhibeantur.

Rec. Pil. Coch. maj. scrup. duos; cap. tertio quoque die per sex vices, hora quarta matutina, superdormiendo.

Rec. Conserv. flor. Salv., Rorismarin. aa. unc. un., Conserv. flaved. Aurant. drachm. vj, Nuc. moschat. condit. et Zinzib. condit. aa. unc. sem., Theriac. Androm. vet. drachm. duas, Pulv. elect. Diambr.

Diamosch. dulc. aa. drachm. un. cum s. q. Syr. conditur. Citr. F. Opiata; capiat ad magnitudinem castaneae mane et sero, superbibendo aq. epilept. Lang. cochl. duo.

Rec. Ambr. gris. drachm. sem., Ol. destill. sem. Anisi, Cinnamom., Nuc. moschat. aa. gutt. duas; Ol. Caryophyll. gutt. un., Sacchar. in aq. flor. Aurantior. solut. unc. iv. F. l. a. Tabellae, quarum capiat unam ad libitum.

Ab usu potus generosioris cujusvis sibi temperet, vescatur jusculis avenaceis, hordeaceis, ut et ex pullis gallinaceis confectis, et quandoque etiam (praecipue inter purgandum) carne pullorum, agnorum, ac id genus ciborum eupeptωn.

De ophthalmia.

Ex oculorum inflammatione patet.

Mittatur sanguis e brachio ad unc. x. Sequenti die sumat potionem purgativam communem, quae repetenda est per duas alias vices, duobus diebus interpositis; iisdem noctibus sumat haustum paregoricum ex syr. de Mecon. unc. un.

Diebus a purgatione vacuis sumat ter aut quater in die unc. iv Emulsionis ex sem. frigid. maj. et Papav. alb.

Rec. Aq. Plantag., Ros. rubr. et Spermat. ranar. aa. unc. un., Pulv. Tutiae praeparat. drachm. un. F. Collyrium, cujus guttae aliquot instillentur oculis bis in die; at non incipiendum, nisi post primam purgationem.

Si his remediis adfectus haud cedat, repetatur venaesectio semel vel bis (praecipue si sanguis pleuriticus adparuerit), ut etiam catharsis.

Abstineat ab usu vini et cujusvis liquoris generosi, ab usu etiam ciborum coctu difficilium et sale conditorum; et diebus inter purgationes bibat hydrogalam coctam.

Nota, quod saepe accidit, quod venaesectioni et catharsi utcumque repetitis ophthalmia non cedit; hoc in casu paregor. ex syr. de Mecon. unc. un. singulis noctibus exhibitum, curationem sine aliorum suppetiis absolvit.

De uteri procidentia.

Rec. Cort. Querc. unc. duas; coq. in aq. font. libr. iv. ad libr. duas, sub finem addendo Cortic. Granator. contus. unc. un., flor. Ros. rubr., Granator. aa. man. duos; dein adde Vini rubr. libr. sem.; Colatura sit pro fotu, qui cum pannis laneis parti adfectae admoveatur mane horis duabus, antequam e lecto adsurgat, et nocte post decubitum, donec symptoma penitus evanuerit.

De paroxysmo nephritico.

Adsunt dolor fixus in lumborum regione; urina cruenta; arenularum aut calculi excretio; stupor cruris e directo renis laborantis; testis retractio ejus lateris, in quo est dolor; nausea et vomitus. Dolor colicus nephritico haud absimilis, licet in quibusdam symptomatis plane discrepet, quae recensita in capite de colica biliosa videas.

Si aeger temperamento sanguineo fuerit, mittatur sanguis e brachio adfecto reni respondenti ad unc. x; dein liquoris possetici, cui rad. Althaeae drachm. duae incoctae fuerint, cong. un. quam citissime deglutiatur; et enema sequens injiciatur:

Rec. Rad. Althaeae et Lilior. aa. unc. un., Fol. Malv., Parietar., Branc. ursin. et flor. Chamaemel. aa. man. un., Sem. Lini et Foenugraec. aa. unc. sem.; coq. s. q. aq. ad libr. un. sem. M. F. Enema. Rejectis vomitorio et enemate, Laudan. liquid. satis magna dosis propinetur, viz. ad gutt. xxv; vel Pil. Matth. gr. xv vel xvj. In senibus vero, et morbo diuturno fractis, ut et vetulis vaporibus obnoxiis (praecipue si sub initium paroxysmi urinam eae reddant nigram et sabulosam) venaesectio omittatur; at quoad reliqua eadem, quae dicta est, via omnino procedendum.

In mictu sanguineo, calculo renibus impacto.

Capiat aeger stato quodam die, singulis hebdomadis, Mannae unc. duas sem. in seri lactis libr. duabus solutas.

Conducit aliquando haustus cerevisiae tenuis liberalior.

In calculo renum grandiori dolor hebes et obtusus, nullatenus auctus, sed satis tolerabilis persentitur, nec paroxysmus nephriticus comitatur.

Aquis chalybeatis aeger se non tuto committet, nisi prius certo sciat, calculum majorem non esse, quam ut per ureteres viam possit invenire; quod hoc tantum modo certo potest dignosci, si nempe jam antea paroxysmum aliquem nephriticum fuerit perpessus (cum dolore scilicet saevissimo in renum alterutro, per ureterum ductus propagato, et vomitu enormi), pro comperto habeat, non tam grandiorem aliquem calculum pelvi concludi, quam lapillorum exiguorum congeriem, quorum unus subinde in ureterem illabitur, atque ita paroxysmum invitat; qui fere non desinit, nisi calculo in vesicam detruso. Cum sic se res habeat, nullum magis efficax est remedium, quam aquarum chalybeatarum potatio. Quod si calculosus nullo unquam paroxysmo nephritico fuerit tentatus, cum jam major sit calculus, quam qui ex pelvi possit elabi, devitandae sunt aquae ferreae.

De dysenteria, diarrhoea et tenesmo.

Rigent horrentque; sequitur deinde totius corporis calor, quem brevi excipiunt ventris tormina, et haec dejectiones crebrae, et mucosae omnes (nisi quod stercorosae nonnumquam interponantur) cum ingenti cruciatu et molestissimo viscerum omnium quasi descensu, quoties exoneratur alvus; sanguinis interim lineamentis intertextae, licet aliquando ne minimum sanguinis per totum morbi decursum admisceatur. Progressu morbi sanguis sincerus quandoque excernitur, et gangraena insanabili adficiuntur intestina. Si aeger aetate floreat, vel cardiacis incalescat, febricitat admodum, lingua est subalbida, quadam mucilagine dense obsita, interdum nigra et sicca. Prosternuntur vires, dissipantur spiritus: aphthae insuper oris interna faucesque obsident, praesertim ubi materiae peccantis evacuatio adstringentibus praepostere impeditur, non exacto per ca-

thartica morbi fomite. Aliquando, exulante febre, agmen ducunt tormina, caetera morbi symptomata sequuntur.

In diarrhoea humores excrementitii sine sanguine, aut intestinorum exulceratione excernuntur.

In tenesmo adsidua est desidendi cupiditas, nihil tamen praeter mucosum quoddam et subcruentum, aut purulentum rejicitur.

Mittatur sanguis e brachio quamprimum, eademque nocte paregoricum propinetur; et mane sequenti potio purgans communis, repetenda alternis diebus ad duas vices, et paregoric. post purgationes, quamprimum suo defunctae sunt munere; ac diebus a purgatione vacuis idem, mane et sero, exhibendum.

Post venaesectionem et catharsin semel celebratam per totum morbi decursum sequens cardiacum exhibeatur:

Rec. Aq. Ceras. nigr. et Fragor. aa. unc. tres, Aq. epidem., Scord. comp. et Cinnam. hordeat. aa. unc. un., Margarit. praeparat. drachm. un. sem., Sacchar. crystall. q. s.; adde Aq. Ros. Damascen. unc. sem. ad gratum saporem. M. F. Julap. de quo capiat cochl. iv. vel v., in languoribus, vel ad libitum.

Potus sit lac coctum cum aq. triplo, vel decoctum album, ut,

Rec. C. C. et micae panis albiss. aa. unc. duas; coqu. in aq. font. libr. tribus ad libr. duas; postea s. q. sacchar. albiss. edulcoretur. Vel si dejectio virium postulaverit, Aq. font. libr. tres cum vin. Canar. libr. sem. simul coctae pro potu frigide adsumantur.

Cum per tres vices purgatus fuerit aeger, tota curatio usui Laudani, bis vel ter in die repetiti, postea incumbit; nisi quod enema ex lact. vaccin. libr. sem. et theriac. Androm. unc. un. sem. subinde injiciatur, quod in alvi egestionibus mire confert.

Cum alvi fluxus in diarrhoeam tantum adsurgat, phlebotomia et catharsi praescriptis omissis, sequ. bolus singulis matutinis exhibeatur:

Rec. Rhabarb. pulv. drachm. sem. (plus minus pro ratione virium) cum s. q. Diascordii F. Bolus, addendo Ol. chem. Cinnamom. gutt. duas.

Noctibus insequentibus paregor. ex aq. Cinnamom. hordeat. unc. un. et Laudan. liquid. gutt. xiv. exhibeatur.

Ubi tormina sicca sine dejectionibus excruciant, curantur diluendo sero lactis frigide propinato, et tepide injecto; ut in cholera morbo pullorum jusculo, aut lacte cerevisiato.

Si hic morbus diutius excurrat, adeo ut omnis ejus vis in rectum intestinum decumbat, cum adsidua desidendi cupiditate, diaeta analeptica instituatur, et liquor aliquis cardiacus pro libitu ingeratur, ut restaurari possint vires; quibus redeuntibus tenesmus sponte se proripit.

In dysenteria male curata dolores aliquando aegrum ad annos aliquot discruciant; in hoc casu phlebotomia repetita pristinam sanitatem restituet.

Notandum est, quod in constitutionibus huic morbo minus faventibus, omissis evacuationibus dysenteria Laudano solo sanatur, quod mane et sero repetendum, donec symptomata penitus evanuerint, vel etiam ter nycthemeri spatio, si opus fuerit.

De colica biliosa.

Intestinorum dolor atrocissimus est, per horas aliquot adfligit febris in hunc morbum desinens, qui aut quasi injecta fascia constringit, aut in punctum contractus quasi terebello perforat; subinde remittitur, mox recrudescit. Sub initio non ita certo ad unum aliquod punctum determinatur, neque tam crebra vomituritio, neque alvus ita pertinaciter catharticorum vim eludit; quo autem magis augetur dolor, eo obstinatius in puncto figitur; vomituritio frequentior, et major alvi adstrictio, colica tandem in iliacam transeunte. A nephritide sic distinguitur. 1°. Dolor nephriticus fixus in rene est, et ab eo ad testem exporrigitur secundum longitudinem ureteris. Colicus vero vagus est, et cinguli instar medium ventrem adfligit. 2°. A pastu colicus dolor augetur; nephriticus potius imminuitur. 3°. In colico dolore ab excretione per alvum et per vomitum majus levamen emergit, quam in nephritico. 4°. In dolore nephritico urina primum clara et tenuis, postea aliquid subsidet, et tandem arenulae aut lapilli excernuntur: in colica urinae ab initio crassiores existunt.

Sanguis e brachio liberalius educatur, et post horas tres vel iv, anodyn. exhibeatur. Postero die catharticum lenitiv. et, interposito die uno, ad tertiam vicem propinetur.

At si malum hoc fructibus horariis vel aliis cibis avide ingestis originem debeat, tum ventriculus ante omnia lacte cerevisiato affatim hausto eluendus est; quo exantlato, anodynum propinandum est; sequenti autem die vena secanda est, et in ordine praescripto procedendum.

Ubi hic morbus minus perite tractatus diutissime fatigaverit, et aegrum pene confecerit, liberalior sive aquae epidem. sive. mirab. sive alius cujuscumque, qua maxime delectabatur, usus aegrum hoc tempore ultra spem omnem juvit.

De cholera morbo.

Intra Augusti limites se continens, vix in priores Septembris hebdomadas evagatur. A crapula et ingluvie excitatus similis adfectus, nullo temporis discrimine insurgit, qui licet eodem curetur modo, alterius tamen est subsellii. Adsunt vomitus enormes, ac pravorum humorum cum maxima difficultate et angustia per alvum dejectio; ventris ac intestinorum dolor vehemens, inflatio et distentio; cardialgia; sitis; pulsus celer ac frequens, parvus et inaequalis; aestus et anxietas; nausea molestissima; sudor; crurum et brachiorum contractura; animi deliquium; partium extremarum frigiditas, et similia, quae aegrum in 24 horarum spatio interimunt.

Pullus tenerior in tribus circiter aq. font. congiis elixetur, ut carnis saporem vix perceptibilem liquor referat; hujus decocti vel (defectu ejus) liquoris possetici capaciores aliquot cyathos aeger tepide exhauriat; et eodem tempore ex eodem liquore enemata successive repetenda. Haustibus et clysteribus syr. Lactuc., Violar., Portulac., Nymphaeae, eorumve alicujus uncia admisceri poterit.

Exantlata hoc eluvionis penso (quod tres vel iv horas sibi vendicat) paregoricum curationi coronidem imponit.

Si non accesserit medicus, nisi postquam aeger

vomitu et dejectionibus per multas horas continuatis fuerit exhaustus; et jam frigescant membrorum extrema; tum ad Laudanum liquidum confugiendum est, in paulo majori dosi (viz. Laudan. liquid. gutt. XXV. in aq. Cinnamom. fort. unc. un.), et cum cessaverint symptomata, nihilominus mane et sero quotidie est repetendum; at in minori dosi, donec pristinas vires receperit.

Est species quaedam cholerae morbi infantibus valde familiaris, ac saepenumero funesta, ex dentitione vel crapula originem ducens.

Horum aetas tenella minime fert, ut diluatur ventriculus larga liquorum potatione, multo minus ut catharticis tumultus major in humoribus excitetur; sed curationem Laudano solo adgredi oportet: quamobrem gutt. duas, tres, vel iv, vel plures pro ratione aetatis, cochlear. un. cerevisiae tenuis, vel aquae cujusvis adpropriatae instillatae exhibeantur repetanturque, ut opus fuerit.

De colica Pictonum.

Est species quaedam colicae, quae degenerare solet in paralysin, et motus omnimodam manuum ac pedum depravationem; quam hoc nomine RIVERIUS in capite de paralysi indigitat, et apud insulas Caribum notissima est; utpote quae magnam vim hominum infestat.

Hunc dolorem atrocissimum sanat Balsam. Peruv. frequenter ac in magna dosi exhibitum, nempe si ejus gutt. 20, 30, vel 40, Sacchar. albiss. cochl. un. instillentur, et bis vel ter in die dentur. At paralysis huic remedio haud cedit.

De iliaca passione.

Peristalticus intestinorum motus invertitur; propinata cathartica et injecta enemata in emetica statim transeunt; alvi faeces per vomitum rejiciuntur.

Mittatur sanguis e brachio dextro ad unc. ix vel x; post aliquot horas exhibeatur sequens pulvis:

Rec. Resin. Scammon. vel (defectu ejus) Resin.

Jalap. gr. xij, Calomelan. Turquet. scrup. un. M. F. Pulvis; capiat e cochl. un. lactis vaccini; superbibendo ejusdem lactis cochl. un. vel alterum; vel si forma pilularum magis adrideat:

Rec. Pil. ex duob. drachm. sem., Calomel. Turquet. scrup. un. cum s. q. Balsam. Peruv. F. Pil. iv. sumend. e cochl. un. Syr. Violarum.

Sin autem aeger hoc remedium per os rejecerit, Laud. liquid. gutt. xxv. aquae Cinnam. fort. unc. sem. instillatae statim propinentur: cum vero horum usu vomituritio ac ventris dolores remiserint, catharticum dictum iterum exhibeatur; verum si, anodynorum virtute ac vi jam penitus infractis, vomituritio ac dolor iterum redierint, cathartico interim in corpore restitante, ad usum paregorici supra descripti revertendum; idemque eo usque repetendum, quarta vel sexta quaque hora, donec intestinis quies omnino inducatur; quo quidem tempore catharticum operationem suam per sedes exseret.

Nec sane abs re fuerit, una aut altera post venaesectionem hora clysterem aliquem ex iis, qui potentius operantur, injicere; fumum scilicet Nicotianae ex tubulo inverso per vesicam majusculam in intestinum validissime insufflatum; quae quidem operatio post aliquot horas reiterari debet, nisi citius meatus deorsum pateat.

Finita operatione cathartici, sumat sequentem haustum:

Rec. Aq. Cinnamom. fort. unc. un., Laudan. liquid. gutt. xxv. M. F. Haustus; qui porro repetendus est bis, ter, vel saepius in die, donec vomituritio et dolor penitus cessaverint; atque etiam, istis symptomatis cessantibus, nihilominus ad curationem confirmandam, per aliquot adhuc noctes capiat idem paregoricum, in minori dosi, cubitum iturus.

De fluxu mensium immodico.

Menstruorum fluxus naturaliter constitutus capacitatem testae ovi anserini implet. Patet autem immodicus ex difficili tolerantia, virium lapsu, inadpetentia, cachexia, colore cadaveroso, et pedum intumescentia.

Mittatur sanguis e brachio ad unc. viij; sequenti mane sumatur potio purgativa communis, repetaturque alternis diebus ad duas alias vices; et noctibus post purgationem paregoric. e syrup. de Meconio exhibeatur.

Diebus a purgatione vacuis sumat sequentia:

Rec. Conserv. Rosar. sicc. unc. duas, Trochisc. de terra Lemnia drachm. un. sem., Cort. Granator., Corall. rubr. praeparat. et Boli Armen. aa. scrup. duos, Lapid. haematit., Sanguin. Dracon. aa. scrup. un. cum s. q. Syr. Cydonior. F. Elect. de quo sumat ad magnitudinem nucis moschat. maj. mane et hora quinta pomeridiana, superbibendo sequentis Julapii cochl. vj.

Rec. Aq. germ. Querc. et Plantag. aa. unc. tres, Aq. Cinnamom. hordeat. et Syr. de Rosis siccis aa. unc. un., Sp. Vitriol. q. s. ad gratam aciditatem.

Rec. Fol. Plantag. et Urtic. aa. q. s. Contundantur simul, et succus exprimatur, et postea clarificetur, de quo cap. cochl. iv, vel saepiuscule ad libitum.

Post primam purgationem adplicetur emplastrum seq. regioni lumborum:

Rec. Emplastr. de Minio et ad herniam aa. part. aeq.; extendantur super alutam. F. Emplastrum regioni lumborum admovendum.

De colica hysterica.

Est species quaedam, seu potius insigne ac valde usitatum adfectionis hystericae symptoma, cui comitem se adjungit dolor circa scrobiculum cordis atrocissimus, uti etiam humorum viridi colore per vomitionem ejectio.

Primo, quo saburra vitiosorum humorum in ventriculo contentorum minus impediat paregorici efficaciam, satis magna quantitas liquoris possetici affatim ingurgitetur, atque iterum per vomitionem rejiciatur, nempe ejusdem liquoris cong. un. sem.; quo peracto Laudan. liquid. gutt. xxv. in aq. Cinnamom. fort., aq. epidem. vel alius vehiculi unc. un. propinentur.

In usu paregorici hoc notandum, quod eo usque repetendum est, donec symptomata omnia penitus

cessaverint; debitum interea tempus interjiciendo; ut dijudicare valeamus, quid prior dosis effecit, antequam novam ingeramus.

Si sanguineo temperamento praeditus sit aeger, vel si antea hoc symptomate haud multum infestatus fuerit ac viribus fractus, hoc in casu sanguis primum e brachio detrahendus, antequam vomitorium praescriptum propinetur.

Hac ipsa methodo clavus hystericus curatur. Sin vero colica hysterica diuturnior fuerit per paroxysmos adfligens, tum in eorum intervallis, sive extra paroxysmum sequentia usurpentur:

Rec. Zedoar. subtiliss. pulv. drachm. un.; cum s. q. Syr. e conditur. Citri F. Bolus, sumendus mane et sero per 30 dies, superbibendo sequentem infusionem:

Rec. Zedoar. incis. minutim unc. sem., Vini Canarin. unc. iv.; infundantur frigide per xij. horas; deinde colentur pro usu; vel Balsam. Peruv. ut in colica Pictonum, usurpetur.

Quae de colica hysterica hic dicuntur, de colica etiam hypochondriaca dicta sunto: ut et hoc diligenter advertendum.

Utriusque adfectus natura sibi vendicare videtur, ut alia atque alia tententur, donec tandem ad illud remedium perventum fuerit, cui quasi genuine morbus cedit; tametsi, utplurimum, chalybs inprimis confert.

Colica hysterica tam in hypochondriacis, quam hystericis saepissime in icterum desinit, qui sensim sponte sua facessit; sin autem longas moras nectat, exhibeatur apozema sequens:

Rec. Rad. Rubiae tinctor., Curcum. aa. unc. un., Chelidon. maj. cum toto, et summitat. Centaur. min. aa. man. un.; coq. in aequalib. partibus vini Rhenani et aq. fontan. ad libr. duas; Colatur. dissolv. Syr. de 5 radicibus unc. duas. M. F. Apozema, de quo capiat libr. sem. calide, mane et sero, usquedum convaluerit.

De ictero, colica neutiquam praegressa.

Color flavus in toto corpore, praesertim in oculorum albis est conspicuus, quo quidem colore objecta

omnia adparent adfectis tincta; corporis pruritus, segnities, et lassitudo; linguae amaror; vomitus biliosus interdum; singultus; egestio alba; urina crocea, et pannum immersum eodem colore inficiens, morbum indigitant.

Exhibeatur potio purgativa communis, dein adgrediatur usum sequentium; et, durante eorumdem usu, catharticum praescriptum quarto quoque die exhibeatur.

Rec. Conserv. Absinth. rom., Conserv. flaved. Aurant. aa. unc. un., Angelic. condit., Nuc. moschat. condit., pulv. Ari compos. et Chalyb. cum aceto praeparat. aa. unc. sem., Extract. Centaur. min., Extract. Gentian. et Cremor. Tartar. aa. drachm. duas, Croc. anglic. pulv. drachm. sem. cum. s. q. Syr. de 5 radicibus F. Electuarium, de quo cap. ad magnitud. nuc. moschat. mane, et hora quinta pomeridiana (vel vice Electuarii sumat Pilulas chalybeatas) superbibendo post matutinam dosin aquarum mineralium purgantium libr. iv. et post pomeridianam dosin apozemat. in colica hysterica descripti libr. sem.

At si signa hydropis adfuerint, tam mane quam sero apozema superbibat.

Si vel his diu continuatis morbus adhuc obstiterit, ad aquas ferreas eundum est, quae ex ipso fonte sunt bibendae.

Ad praecavendum abortum.

Eadem praescribenda, ac in fluxu mensium immodico, omisso solummodo catharsi et succis.

De immodico lochiorum fluxu.

Fluxum lochiorum naturalem tria constituunt, sanguis scilicet purus, copiosus, per triduum primum fluens: dehinc sanguis aquosus, loturae carnium crassiori similis, per quatriduum praeter propter durans; hinc postmodum materia viscosa et mucilaginosa, pauco aut nullo sanguine permista, per quinque aut septem dies prodiens, et sic porro ad mensis finem.

Fluxus autem eorum immodicus dijudicandus est ex virium dejectione; animi deliquio; sanguine grumoso effluente; cibi fastidio; dolore in hypochondriis; ventris tensione; pulsu debili et frequenti; visus obtenebratione; aurium tinnitu; et convulsionibus.

Victus incrassans instituatur, et potus sequens addatur:

Rec. Aq. Plantag., Vin. rubr. aa. libr. un.; coq. simul ad tertias, et deinde edulcoretur s. q. sacchar. albiss. cujus, cum frigescat, cap. libr. sem. bis vel ter in die.

Interim julap. aliquod hystericum (at satis mite) subinde propinetur; et nodulus sequens naribus adplicetur:

Rec. Galban., Asae foetid. aa. drachm. duas, Castor. drachm. un. sem., Sal. Succin. volatil. drachm. sem. M. F. nodulus, vel

Rec. Sp. salis ammoniac. drachm. duas, quem saepe olfaciat.

De suppressione lochiorum.

Intumescit venter; dolor gravativus imum ventrem, lumbos et inguina occupat; facies rubescit; difficilis est respiratio; perturbantur oculi; rigores, febres acutae adsunt; animi deliquia; sudores frigidi; pulsationis et ardoris sensus in utero; paralysis in partibus inferioribus; ut et interdum epilepsia.

E vestigio lecto addicatur, et emplast. hystericum umbilico admoveatur quamprimum; Electuarium seq. adhibeatur;

Rec. Conserv. Absinth. rom., Rutae aa. unc. un., Trochisc. e Myrrh. drachm. duas, Castor., Croc. anglic., Sal. volatil. ammoniac. et Asae foetid. aa. drachm. sem. cum s. q. Syr. e 5 radicib. F. Elect.; cap. ad magnitud. nuc. moschat. quarta quaque hora, superbibendo seq. Julapii cochl. iv. vel v.

Rec. Aq. Rutae unc. iv, Bryon. compos. unc. duas, Sacchar. cand. q. s. F. Julap. vel sumat Trochisc. de Myrrh. scrup. un. quarta quaque hora.

Si tota praedictorum quantitas consumatur, et lochia adhuc supprimantur, Laudanum unica saltem

vice exhibendum, ut: Laudan. liquid. gutt. xiv. in aq. Bryon. compos. vel Laudan. solid. gr. un. sem. cum Asae foetid. scrup. sem. in Pilulas duas redactum.

Si haec nihil proficiant, tum enema ex lacte saccharato, unica saltem vice, injiciatur,

---

De hydrope.

Foveae a digitorum impressione in surarum parte inferiori sub noctem conspicuae, mane evanescentes, hoc malum primum indicant, maxime si spiritus interim aegrius ducatur; (haud raro tamen feminae praegnantes, et quibus catamenia sistuntur, ut et viri ab asthmate inveterato derepente liberati, eodem tumore tentantur); pedibus cruribusque ad extremum extensis, in abdomen ruunt aquae, et ad ultimum capacitatis suae limen paulatim distendunt; donec tandem in viscera nobiliora impetu ab iis facto aeger submergitur. Pro rata, qua partes a morbo obsessae mole augentur, alia magis magisque gracilescunt, urgentibus dyspnoea, urinae paucitate, et siti intensa. Viros, ingravescente aetate, feminas, ubi jam parere desierint, utplurimum adoritur.

Indicationes curativae dirigendae sunt primo ad aquarum evacuationem; deinde ad instaurandum sanguinis robur, quo novus aquarum proventus praecaveri possit.

Rec. Vini albi unc. iv, Jalap. subtiliss. pulv. drachm. un., Zinzib. pulv. scrup. sem., Syr. de Spin. cervin. unc. un. M. F. Potio, sumenda summo mane repetendaque singulis vel alternis diebus pro ratione virium, donec partes adfectae detumuerint; vel

Rec. Tamarind. unc. sem., fol. Senn. drachm. duas, Rhei. drachm. un. sem.; coq. in s. q. aq. ad unc. tres; in Colatur. dissolv. Mannae. et syr. Ros. solut. aa. unc. un., Syr. de Spin. cervin. unc. sem. Elect. e succ. Rosar. unc. tres. M. F. Potio, sumenda ut supra: vel,

Rec. Pil. ex duob. scrup. un., Elater. gr. tria, Ol. chem. Caryophyll. gutt. duas. F. Pil. n°. tres; cap. summo mane, repetanturque, ut opus fuerit; vel,

Rec. Gambogii gr. xv, Vin. alb. et aq. Cichor. aa. unc. un. sem., Syr. de Spin. cervin. unc. sem. M. F. Potio, sumenda ut supra; vel,

Rec. Cortic interior. Sambuc. e ligno derasi man. tres; coq. in aq. et lact. partibus aeq. mistorum libr. duabus ad libr. un. Colaturae capiat dimidiam partem mane, et alteram sero quotidie, donec convalescat. At hoc remedium, nisi in corporibus, quae facillime purgativis cedunt, nihil confert.

Circa usum catharticorum in hoc morbo haec tria advertenda sunt:

Primo, utrum aegri corpus facile, an vero difficulter catharticis cedere soleat; cum in iis, qui facile purgantur, Syrup. de Spin. cervin. solus, ad unc. un. exhibitus, aquas sat copiose eliciat, in illis vero, qui difficulter purgantur, cathartica supra descripta, utut valida, vix scopum attingant.

Secundo, cathartica omnia, quae segnius operantur, magis officiunt, quam prosunt; quamobrem purgatio paulo fortior et nimia justo debiliori est praeferenda.

Tertio, aquae ea maxima celeritate exhauriri debent, quam aegri vires ferre queant, ne nimis longa inter purgationes intervalla adhibendo, aquae denuo affatim colligantur.

Est autem, ubi medicamenta omnia, qualiscumque demum generis, quae alvum movent, prorsus omitti possint ac debeant; quoties enim aeger constitutione est infirmiori, vel femina vaporibus obnoxia, aquarum evacuatio diureticis solum committenda, inter quae ea sunt efficacissima, quae ex salibus lixivialibus fiunt, ut,

Rec. Cinerum Genistae libr. un.; infundantur frigide in Vini Rhenan. libr. iv; liquoris per filtrationem colati unc. tres mane, quinta pomeridiana et singulis diebus exhibeantur, usque dum humor evanuerit.

Aquis jam penitus evacuatis, calefacientia et corroborantia medicamenta usurpanda; ut,

Rec. Rad. Raphan. rustican, fol. Cochl. hortens., Absinth. vulgar., Salv., summitat. Centaur. min. et Genistae, infundantur in cerevisia forti pro potu ordinario; qui potus incipienti hydropi aliquando sine catharticis subvenit, vel sequenti utatur;

Rec. Conserv. Cochl. hortens., Absinth. roman. aa. unc. un., Extract. Gentian., Absinth. vulgar. et Centaur. min. aa. drachm. tres; cum s. q. Syr. e cortic. Citri F. Electuarium, de quo sumat ad quantitatem nuc. mosch. maj. mane, quinta pomeridiana, et vesperi, superbibendo unc. iv. sequentis infusionis:

Rec. Rad. Gentian. unc. un., Summitat. Genist., Centaur. min. et Absinth. vulgar. aa. man. un., Sem. Foenicul. et Petroselini aa. drachm. duas; incisis minutim adfunde Vini Rhenani libr. iv; stent simul in infusione frigida, et coletur solummodo tempore usus.

Notandum, cum ad corroborantium usum deventum fuerit, aegrum nullo modo esse purgandum, tantisper dum sanguinis corroborationi navetur opera.

Quod et per salium lixivialium usum omnino observandum, quo quidem tempore pariter corroborare convenit.

Rec. Rad. Raphan. rustican. unc. tres, Fol. Cochl. hortens., Absinth. vulg., Salviae, summit. Centaur. et Genistae, aa. man. tres, Aurant. incis. n°. tria. Infundantur in congiis vj. cerevisiae fortis non lupulatae, inter fermentandum; sit pro potu ordinario.

De gonorrhoea virulenta.

Corripiunt dolor genitalium insolitus, et rotatio testiculorum; in non recutitis macula morbilli aemula glandem occupat; statim a cujus exortu liquor seminis instar exstillat, qui quotidie a seminis colore et consistentia recedens flavescit, tandem dilutior ovi vitello; in lue virulentiore virescit, et aqueo humori permiscetur sanguine tincto. Pustula dicta ulcus fit, aphthis infantum simile, indies latius et profundius depascens, superveniente orificii callo. Verpi non glandis ulcere, sola gonorrhoea tentantur. Mox magnus dolor in pene, quoties erigitur, quasi manu transversus fortiter constringeretur, noctu praecipue urget, dum aeger lecto incalescit. Curvatur penis a fraeno contracto. Accedit ardor urinae inter mingendum vix perceptibilis, sed mictu finito, per urethrae ductum acriter urens, maxime

qua in glandem desinit. Carunculae lotii exitum quandoque impediunt; et scroti dolor ac inflammatio nonnumquam superveniunt.

Rec. Mass. Pil. Coch. maj. drachm. tres, Extract. Rudii drachm. un., Resin. Jalap. et Diagryd. aa. drachm. sem. cum s. q. Opobalsam. F. Pilulae e singulis drachmis vj., capiat iv. singulis auroris, donec urinae ardor et color flavus materiae seminiformis admodum imminuantur. Postea alternis diebus ad septimanas adhuc duas; ac sub finem bis in septimana, donec humor stillare prorsus cessaverit.

In iis, qui difficulter purgantur, subinde intercalari possit potio communis purgativa, cui addantur Syr. e Spin. cervin. et Elect. e succ. Rosar. aa. drachm. duae vel, curatione minus feliciter succedente, Turbith. mineral. ad gr. viij. exhiberi potest bis vel ter, diebus quatuor interpositis, vel vice Turbith. mineral:

Rec. Pil. ex duob. drachm. sem., Merc. dulc. scrup. un. cum s. q. Opobalsam. F. Pil. iv, summo mane sumendae.

Si aeger a dicta catharsi abhorreat, post pilulas primo descriptas, tribus auroris continuis sumtas, tum mane et hora quinta pomeridiana quotidie injiciatur clyster sequens, nisi quod semel aut bis in hebdomade, omisso clystere, catharticum imperandum.

Rec. Elect. e succ. Rosar. drachm. vj, Terebinth. venet. vitello ovi solut. unc. sem.; dissolvantur in aq. hord. libr. un. Colaturae adde Syrup. Violar. unc. duas. M. F. Clyster.

Singulis noctibus cap. Opobalsam. vel Balsam. e Mecha gutt. xxv, Sacchari frustulo exceptas. Hujus defectu terebinthina Cypria ad quantitatem avellanae substituti possit.

Sit pro potu hydrogala, aut cerevisia tenuis in pastubus.

Vel sequentem methodum adgrediatur:

Rec. Pil. ex duob. drachm. sem., Opobalsam. gutt. tres. F. Pil. n°. tres. Cap. hora quarta matutina, superdormiendo; repetanturque alternis diebus, vel tertio quoque die.

Diebus a purgatione vacuis injiciatur mane et hora quinta pomeridiana clyster supra descriptus.

Procedente curatione (quacumque ea demum methodo tentetur), sanguis sub medium curationis semel vel bis mittatur, et diaeta refrigerans et incrassans praescribatur, et medicamenta iisdem virtutibus pollentia, qualia sunt hydrogala, emulsiones ex seminib. frigid. etc.

Si penis tumore adficiatur:

Rec. Rad. Althaeae, Lilior. aa. unc. un. sem., Fol. Malv., Verbasc., Sambuc., Hyoscyam., flor. Chamaemel., Melilot. aa. man. un., Sem. Lini, Foenigraec. aa. unc. sem.; coq. s. q. aq. font. et F. Fotus parti adfectae admovendus per horae unius spatium, bis vel ter in die.

Peracta fomentatione, perungatur pars adfecta ol. sem. Lin. rec. extract.; dein Emplast. e mucilaginibus alutae agninae inductum labiis praeputii tumidis circumponatur.

Si ulcus in praeputii labiis, vel in subjecta glande haereat, tum sequens linimentum praescribatur:

Rec. Unguent. basilic. drachm. vj., Unguent. Nicotian. drachm. duas, Praecipitat. aq. Rosar. loti et optime laevigat. drachm. sem. M. F. Linimentum, quo lintei rasura imbuatur et ulcusculo admoveatur, semper post fotus praescripti usum.

Si scrotum tumore adficiatur, statim sanguis e brachio extrahatur, atque bis in die fotus praescriptus parti adfectae admoveatur, singulis fotibus addendo Sp. Vin. gallic. cochl. un. vel alterum, vel Cataplasma ex Oxycrato et farina Fabarum ejus loco adplicandum.

Catharticis interim et refrigerantibus modo descriptis introsumtis utendum est.

De lue venerea.

Ubi aut gonorrhoeae mora, aut indebito adstringentium usu labes sanguini imprimitur, exoritur lues. Comparent in inguine bubones, in capite dolores et artubus, articulorum interstitiis, noctu praecipue invadentes in lecto calidos, crustulae et porrigines in variis corporis partibus, quae ad instar favi flavescunt. Quo magis scabies diffunditur, tanto

minus aeger discruciatur. In cranio, tibiis brachiisque exostoses, ossium inflammatio et caries; ulcera phagedaenica in variis partibus, sed fauces utplurimum primo adgredientia, quae sensim per palatum in nasi cartilaginem propagata mox eam absumunt, ita ut fulcro destitutus nasus plane concidat. Ulceribus, carie et dolore indies exacerbatis, pereunt per vices membra; lacerum donec cadaver, et jam superis grave, humo condatur.

Rec. Axung. porc. unc. duas, Mercur. crud. unc. un. M. F. Linimentum, in tres aequales partes dividendum, quarum una brachia, crura et tibias ad tres noctes continuas manibus suis aeger perungat.

Si intra tres dies post ultimam inunctionem salivatio haud procedat, tum gr. viij. Turbith. mineral. in Conserv. Rosar. rubr. exhibeantur; aut corporibus minus robustis Mercur. dulc. scrup. un. Sed si salivatio jam incoepta prius elanguescat, quam symptomata penitus disparuerint, exstimulanda subinde est eadem dosi Mercur. dulc.

Ptyalismus ita moderari debet, ut libr. iv. nycthemeri spatio exspuat, aut circiter.

Si justo altius exsurgat ptyalismus cum inflammatione nimia, atque id genus symptomatis ingruentibus, aliquantulum reprimendus est medicamentis catharticis, donec debitum gradum attingat.

Quamprimum symptomata cessaverint, statim immutentur indusium et tori lintea; at sint ea, quae prius usurpata fuerint.

Si diarrhoea supervenerit (quod plerumque accidit, antequam salivatio bene adsurgat), tunc sistenda est usu Laudan. liquidi, ita dosin augendo atque repetendo, ut debitum opus absolvat.

Si os exulceretur, aq. Rosar. Damascen. vel lacte aq. permisto, vel seq. decoct. idem colluatur:

Rec. Rad. Althaeae, Hord. mundat. aa. unc. un., Sem. Cydonior. unc. sem.; coq. s. q. aq. ad libr. duas. M. F. Gargarisma, quo saepius utatur.

Diaeta et reliquum aegri regimen, eadem ac in catharsi imperanda, nisi quod primis aliquot diebus liquore possetico, jusculis avenaceis, hordeaceis ac cerevisia tenui tepefacta nutriatur.

His omnibus rite peractis (etiamsi symptomata omnia evanuerint, ac subinde morbus penitus profli-

gari videatur) quo minus recidivam postliminio patiatur, aegro semel in septimana per quatuor vel sex vices, Merc. dulc. scrup. un. exhibendus, utcumque bene se habeat, et etiamsi jam domo egrediatur.

De fluore albo.

Quod effluit, modo album, modo pallidum, flavum, viride aut subnigrum; modo acre et erodens; tetrum quandoque et graveolens; decoloratur facies; dolet spina dorsi; prosternitur adpetentia; oculi pedesque intumescunt.

Mittatur sanguis e brachio ad unc. viij.

Rec. Pil. Coch. maj. scrup. duos, Castor. gr. duo, Balsam. Peruv. gutt. tres. F. Pil. n°. iv.; cap. hora quarta matutina, superdormiendo; repetanturque per duas alias vices, interponendo diem unum vel alterum, pro ratione virium.

Rec. Aq. Rutae unc. iv, Aq. Bryon. comp. unc. duas, Sacchar. crystall. q. s. F. Julapium. Cap. cochl. tria vel iv. in omni languore; deinde adgrediatur usum sequentium.

Rec. Theriac. Andromach. unc. un. sem., Conserv. flaved. Aurant. unc. un., Diascord. unc. sem., Zinzib. condit. et Nuc. moschat. condit. aa. drachm. tres, Pulv. e chel. cancr. comp. drachm. un. sem., Cort. exterior. Granat., Rad. Angelic. hispan., Corall. rubr. praeparat. et Trochisc. de terra Lemnia aa. drachm. un., Boli armen. scrup. duos, Gumm. arabic. drachm. sem. cum s. q. Syr. de Rosis siccis F. Electuar. de quo sumat ad magnitud. nuc. moschat. maj. mane, hora quinta pomeridiana et nocte, per mensem integrum, superbibendo sequentis infusionis cochl. vj.

Rec. Rad. Enul., Campan., Imperator., Angelic., Calami aromat. aa. unc. sem., Fol. Absinth. roman., Marrub. alb., Centaur. min., Calamenth. vulgar., Salviae siccae aa. man. un., Bacc. Junip. unc. un.; incidantur minutim et infundantur in Vini Canarini libr. iv. stent simul infusione frigida; coletur tantummodo tempore usus.

Vescatur cibis eupeptis, et abstineat ab usu olerum et fructuum qualiumcumque, et singulis pastibus bibat vinum hispanicum.

De diabete.

Succi sanguini illati per vias urinarias crudi et inconcocti exitum sibi quaerunt; unde sensim labefactantur vires, colliquescit corpus et quasi substantia ejus per hanc cloacam exinanitur, cum siti, ardore viscerum, lumborum coxarumque intumescentia, et salivae spumosae exspuitione crebra.

Eadem praescribenda sunt, quae in fluore albo, omissis solummodo venaesectione et catharsi.

De dolore haemorrhoidum.

Intensissimus inter excernendum dolor excruciat, et excrementi superficies cruore conspergitur: nonnumquam tumores verrucis similes in sphinctere delitescunt, vel in margine ani adparent.

Mittatur sanguis e brachio dextro ad unc. x.

Rec. Sem. Melon., Pepon. aa. unc. sem., Papav. alb. drachm. duas, Amygd. dulc. excorticat. n°. v; contundantur in mortario marmoreo, sensim adfundendo Aq. Hord. libr. un. sem., Aq. Rosar. drachm. duas, Sacchar. albiss. q. s. F. l. a. Emulsio; cap. unc. tres saepiuscule.

Rec. Flor. Sulphuris, Pulv. Glycyrrhiz., Salviae aa. drachm. un. cum. s. q. Balsam. Locatell. F. Pil. e sing. drachm. vj.; cap. tres, ter in die, superbibendo Emuls. praescript. cochl. vj.

Rec. Aq. Spermat. Ranar. unc. iv. in qua dissolv. Lithargyr. drachm. duas, Opii scrup. un. F. Mixtura, cujus tantillo linteum madefactum parti adfectae adplicetur, vel si tumor intus lateat, cochl. tria ejus misturae modo clysteris injiciantur.

Pro potu ordinario bibat aquam, cum lacte coctam, vel aquam hordei; et a carnis esu abstineat. Singulis noctibus sumat Diacodium.

De fluxu haemorrhoidum immodico.

Innotescit ex viribus prostratis, copia et diuturnitate sanguinis excreti, foedo corporis colore ad citrinum (ut in ictero) vergente. Succedit cachexia, et deinde hydrops.

Eadem conferunt, quae in fluxu mensium immodico, omissa solummodo catharsi.

De epilepsia puerorum.

Vel primo mense adgreditur a frequentibus nimis alvi dejectionibus (quo in casu Diascordium ad quantitatem grani piperis in aq. Saxifrag. aut lacte materno solutum et exhibitum, praestantissimum est remedium); vel circa dentitionis tempus, a septimo ad decimum mensem; tussi comitata est, aut (quod multo deterius) vomitu et diarrhoea, viridia (ut solent hystericae,) egerente infante. Quandoque improviso occupat paroxysmus, os oculosque distorquens, nigredine vultum perfundens, et artus varios convellens; quandoque praesentitur ex digitorum in pugnum contractione, et ex stabili et insolita oculorum orbitarum immobilitate. Nunc serius, nunc ocyus se proripiunt paroxysmi, certa subinde periodo, vago alias insultu revertentes; sed, adpetente morte, a tergo se invicem premunt. Si quando inducias dent, in soporem proclives sunt infantes, donec a novo resuscitentur insultu.

Adplicetur Emplastrum epispasticum cervici quam primum.

Rec. Aq. epilept. Lang. drachm. tres, Laudan. liquid. gutt. un. vel duas vel plures, pro ratione aetatis, Syr. Paeon. drachm. un. M. F. Haustus, sumendus quam primum.

Rec. Aq. Rutae unc. tres, Aq. epilept. Lang. et Aq. Bryon. comp. aa. unc. un., Syr. Caryophyll. unc. sem. M. F. Julap.; cap. cochl. un. singulis horis, si haustus praescriptus paroxysmum non fugaverit.

De rhachitide vera.

In rhachitide adsunt partium laxitas et mollities, debilitas et languor, ignavia et torpor, et inaequalis earumdem nutritio; viz. caput justo majus; facies plenior et floridior; partes carnosae infra caput emaciantur; nodis protuberant articuli, maxime carpi, paulo minus tali; tument et extremitates costarum; ossa incurvantur, praecipue tibiae et fibulae; hinc ulnae et radii, aliquando femoris et humeri, decurvantur etiam ossa; dentes tarde et moleste erumpunt, vacillant, nigrescunt, et frustulatim excidunt;

pectus a lateribus angustum, anterius acuminatum, abdominis repletio, et hypochondriorum tensio; tussis et pulmonum vitia lacessunt; lateralis decubitus modo dextri, modo sinistri aversatio.

Rec. Fol. Absinth. vulgar., Centaur. minor., Marrub. alb., Chamaedryos, Scordii, Calamenth. vulg., Parthen., Saxifrag. pratens., Hyper. virg. aureae, Serpill., Menth., Salv., Rutae, Card. benedict., Puleg., Abrotan., Chamaemel., Tanacet., Lilior. convall., omnium rec. collect. et incis. aa. man. un., Axung. porcin. libr. iv., Sev. ovin. et Vin. Claret. aa. libr. duas; macerentur in olla fictili super cineres calidos per horas xij; deinde ebulliant ad humiditatis consumptionem, et postea colentur, ut F. Linimentum, quo venter et hypochondria illinantur mane et sero, ut etiam et artus hoc malo adfecti per 30 vel 40 dies, vel donec convaluerit.

Rec. Singulor. ingredient. praescript. aa. man. duos; infundantur frigide in cerevisiae non lupulat. cong. iv. pro potu.

In tumoribus infantum ventres occupantibus ab evacuationibus nimiis procedentibus, sanguis et viscera herbis corroborantibus confortentur, ut in rhachitide vera; nisi quod axillae etiam utraeque inungantur, at non artus.

De febribus a dentitione ortis.

Rec. Sp. C. C. gutt. duas vel tres vel iv. pro ratione aetatis in cochl. un. vel altero aq. Cerasor. nigr. vel Julap. alterius adpropriati, exhibeantur quarta quaque hora ad vices quatuor, vel sex.

De febre hectica infantium.

Sine insigni calore languent cum adpetitus dejectione; artus et truncus corporis emaciantur.

Rhabarb. incisi drachm. duae in lagenam vitream, Cerevisiae tenuis libr. duar. capacem, immittantur pro potu ordinario.

Epoto hoc liquore, aliae libr. duae eidem Rhabarb. superadfundantur ad tertiam vicem.

Si vero potus vi cathartica saturatius impraegnetur, tum libr. un. epota alteri cerevisia mox adjiciatur.

De tussi puerorum convulsiva.

Phlebotomia et repetita catharsi, eaque sola, expugnatur haec tussis, malum alias pertinacissimum et fere insuperabile; sed leniora tantum cathartica hic conveniunt, eaque cochleatim ingerenda sunt, pro ratione aetatis.

De haemorrhagia narium.

Dolor et calor sinciput lancinant.

Sanguis e brachio frequenter extrahatur; victus ratio refrigerans et incrassans injungatur; Julap. refriger. et incrassans cum Emulsionibus refrigerantibus praescribantur.

Singulis diebus injiciatur enema refrigerans, atque omni nocte Paregoric. ex Syrup. de Mecon. exhibeatur et semel vel bis Potio purgativa commun. praescribatur.

Lintea quadruplicata immersa aq. frigidae, in qua sal. Prunell. dissolvatur, et postea leviter expressa admoveantur nuchae, et utrimque cervici saepius in die.

Post evacuationes liquor sequens adplicetur:

Rec. Vitriol. Hungaric. et Alum. aa. unc. un., Phlegmat. Vitriol. libr. sem.; coq. tamdiu, donec omnia fuerint dissoluta, liquorem frigefactum filtra, et a crystallis subinde natis separa, liquori residuo adde Ol. Vitrioli duodecimam partem; vel potius.

Rec. Aq. Plantag. unc. tres, Bol. Armen. subtiliss. pulver. unc. sem.; probe misceantur; turunda ex linteo raso liquore hoc humectata nari, ex qua sanguis stillat, indatur per dies duos isthic relinquenda.

Hoc minus succedente, Vitriol. Rom. aq. commun. dissolvatur, quo turunda imbuta nari indatur; liquore etiam hoc linteamina imbuta et adplicata sanguinem sistunt, si ex parte externa diffluat.

De chlorosi.

Adsunt vultus et totius corporis decoloratio; intumescentia in facie, palpebris et malleolis; gravitas totius corporis; crurum ac pedum tensiva lassitudo; respiratio difficilis; cordis palpitatio; capitis dolor; pulsus febrilis; somnolentia; pica, et mensium suppressio.

Sumat pilulas chalybeatas, vel pulv. chalybeatum in adfectione hysterica praescriptum plus minus pro ratione aetatis, superbibendo haustum vini cujuslibet ad libitum, vel infusion. corroborant. cum rad. Angelic. ibidem descriptam. Si aegra non valde debilis fuerit, purgetur semel, vel bis ante praescriptorum usum.

De suppressione mensium.

Cibum fastidiunt mulierculae; foedus faciei color est; gravitas totius corporis; dolores sincipitis, lumborum, crurum et imi ventris; pedum tumores infestant.

Eadem praescribenda ac in hysterica adfectione; at si iisdem remediis adfectus non cesserit, tum sequentia sunt praescribenda.

Singulis auroris, et quarta pomeridiana sumat Julap. hysteric. sine Castor. cochl. v., instilland. Sp. C. C. gutt. xij. Singulis noctibus sumat cubitum itura Trochisc. de Myrrh. scrup. un. cum Syr. de Artemis. in formam boli vel pil. redact.

De vomitu sanguinis, vel etiam de haemoptoë.

In haemoptoë dolor et calor pectus obsident, cum debilitate quadam.

Mittatur sanguis ex brachio dextro ad unc. x. Sequenti mane sumat Potionem purgativ. commun. et eadem nocte Paregoric. ex unc. trib. aq. Cerasor. nigr. et Syr. de Mecon. unc. un.

Postea adgrediatur usum sequentium:

Rec. Bol. Armen. unc. un., Pulv. radic. Symphyt. drachm. duas, Terr. sigillat., Lapid. haematit. et sang. Dracon. aa. drachm. un., Sacchar. albiss.

ad pondus omnium; M. F. pulvis subtilissimus; cujus cap. drachm. un. mane, quinta pomeridiana, et nocte superbibendo sequentis Apozemat. unc. iv.

Rec. Fol. Plantag., Rubi sylvestris, et Millefol. aa. man. un.; coq. s. q. aq. ad libr. un. sem.; in Colatura dissolv. Syrup. de Symphyt. unc. duas; M. F. Apozema; vel cap. cochl. vj. sequent. Tincturae:

Rec. Flor. Ros. rubr. drachm. vj., Cort. intern. Querc. unc. sem., Sem. Plantag. parum contus. drachm. tres., Aq. font. libr. duas, Sp. Vitriol. q. s. ad levem aciditatem; infundantur in vase clauso, calore leni, per iv. horas; Colaturae adde Aq. Cinnamom. hordeat. unc. tres, Sacchar. albiss. s. q. ut F. Tinctura gustui grata.

Si ab usu pulveris abhorreat, utatur electuario in fluxu mensium immodico praescripto.

Enema quotidie injiciatur, et Diacodium hora somni propinetur.

Phlebotomia insuper semel, bis, vel ter (ut opus fuerit) reiteretur, diebus aliquot interpositis; et semel iterum, si res postulet, repetatur Potio purgativa.

Diaeta incrassans et refrigerans observanda.

De punctura tendinis.

Humor aqueus, vel ichor quidam, ex orificio venae incisae jugiter destillat.

Rec. Rad. Lilior. alb. in lacte vaccin. ad teneritud. coct. et contus. unc. iv., Farin. sem. Lin. et Avenae aa. unc. tres; coq. ad cataplasmatis consistentiam in eodem lacte, quo radices coctae fuere; adplicetur parti adfectae mane et sero.

De ambustis.

Foveatur pars adfecta linteis Sp. Vin. imbutis, usque dum evanescat dolor; ac deinceps de novo imbuatur linteum, quod ter vel quater in die parti adfectae adplicetur.

De mania communi.

A nimis exaltata et vivida sanguinis crasi oritur. Est et alia maniae species febres intermittentes diuturniores excipiens, in stultitiam tandem degenerans, producta quidem a debilitate et vappiditate sanguinis, a diutina fermentatione. Praescribantur itaque Cardiaca generosiora, viz. Theriac. Andromach., Electuar. de Ovo, Pulv. Comitiss., Pulv. Gualt. Raleigh, in aq. epidem., theriacali vel alia; et diaeta instituatur analeptica.

In junioribus mittatur sanguis e brachio ad unc. viij. vel ix, bis vel ter, diebus tribus inter singulas venaesectiones interpositis. Tum semel extrahatur sanguis e venis jugularibus. Postea tota curatio innitatur sequenti cathartico, quod sumat tertio vel quarto quoque die, donec convaluerit: hoc interim observando, quod cum octies vel decies purgatus fuerit aeger, exhibitio cathartici ad septimanam unam vel alteram omittatur.

Rec. Pharmac. domestic. (i. e. rad. Bryon. alb.) pulv. drachm. un., Lactis vaccin. unc. iv; vel

Rec. Ejusdem unc. sem. vel drachm. vj., Vin alb. unc. iv.; infundantur per noctem; in Colatura dissolve Syr. Violar. unc. un. M. F. Potio; vel

Rec. Gambogii gr. xiv., Aq. Cerasor. nigr. unc. tres, Syr. Caryophyll. unc. sem. F. Potio.

De contusionibus.

Mittatur sanguis e brachio lateris magis adfecti ad unc. x; sequenti mane exhibeatur Potio communis purgativa ac deinceps eodem modo venaesectio et purgatio alternatim repetantur, donec aeger convaluerit. Interim toto decursu, si internae partes laedantur, sequentia praescribantur:

Rec. Decoct. pectoral. libr. un. sem., Syr. Violar., Cap. Ven. aa. unc. duas. F. Apozema; cap. libr. sem. ter in die. Item ol. Amygd. dulc. rec. cochl. un. saepius propinetur.

Rec. Ol. Amygd. dulc., Unguent. Dialthaeae et Pomat. aa. unc. un. M. F. Linimentum, quo inungatur pars laesa mane et sero, superimponendo fol. Brassicae.

De furfure, sive porrigine capitis.

Potio purgans communis bis propinetur; dein

Rec. Ol. Amygd. amarar. et laurini, Cinerum fol. Abrotani aa. unc. un.; misceantur probe, et F. Linimentum, quo inungatur totum caput singulis matutinis, diligenter infricando, et postea superimponendo vesicam suillam.

At primum abradatur totum capillitium, et postea defricentur squamulae, sensim singulis auroris, prout decidere pronae fuerint.

De morsu canis rabidi.

Post quadraginta dies, aut plures melancholica adsunt symptomata; febris, sitis, hydrophobia, et tandem partium extremarum convulsio.

Rec. Sp. Vin. optime rectificat. unc. iv., Theriac. Andromach. unc. un. F. Mistura, qua illinatur pars laesa ter in die, superimponendo linteum eadem mistura imbutum.

De ulcere vesicae.

Pus graveolens, aut sanguis, nonnumquam squamulae seu pelliculae membranaceae ac veluti furfuraceae crustulae (sin in renibus haereat ulcus, carunculae minutulae, aliquando crassiores) una cum urina excernuntur; perpetua dysuria et continuus earum partium dolor infestant; renibus autem adfectis ulcere, dilucida dysuriae et doloris dantur intervalla, pus etiam excretum copiosius est, album, leve et minime foetidum; lacti similis profunditur urina: et longe post mictionem pus ab eo separatum in fundo residet.

Rec. Emplast. Flos Unguent. dicti drachm. unc. sem. F. Pil. n°. ix; cap. tres horis medicinalibus, superbibendo sequentis Aquae cochl. vj.

Rec. Rad. Foenicul., Consol., Aristoloch. et Caryophyll. aa. man. tres, Fol. Agrimon., Hyper., Sanicul., Plantag. aa. man. vj, incidantur minutim, et destillentur in Vini alb. et Lact. aa. libr. iv. et eliciantur solummodo libr. iv. pro usu.

Rec. Pulv. rad. Consolid. maj. et Gumm. arab. aa. unc. un., Sacchar. Penid. unc. duas; F. Pulv.; cap. cochl. un. bis in die.

De asthmate inveterato in iis, qui sanguineo temperamento praediti sunt.

Dividitur in tres species; dyspnoeam, quae difficilis est respiratio, in qua crebrior densiorque est spiritus tractio, ex infarctu pulmonum sine stertore oriunda: asthma, ubi frequens, magna respiratio, in qua diaphragma, musculi intercostales, tum etiam abdominis violenter moventur, cum stertore et sibilo; in priore specie substantia pulmonum, in posteriore bronchia oppilantur: et orthopnoeam, quae est maxima spirandi difficultas, sub qua aegrotantes non nisi sedentes, et erecta cervice respirare possunt: musculi etiam pectoris et scapularum vehementer exagitantur.

Mittatur sanguis e brachio dextro ad unc. x. Die sequenti sumat potionem purgativam communem, quae repetatur tertio quoque die, per duas alias vices.

Diebus a purgatione vacuis sumat sequentia;

Rec. Sem. Anis. subtiliss. pulv. drachm. duas; cum s. q. Balsam. Locatell. F. Pil. ex singulis drachmis vj; cap. tres mane et quinta pomeridiana, superbibendo Decocti amari sine purgantib. unc. iv. calide.

Si symptomata adhuc maneant, repetatur de novo integer processus.

De paralysi.

Sensus et motus in partibus, quae adficiuntur, vel simul, vel alterutra tantum facultas aut prorsus exstinguitur, aut vitiatur.

Sumat Pil. Coch. min. scrup. duos alternis matutinis per vj. vices; deinde capiat ter in die per xxx. dies Electuar. antiscorbutic. drachm. duas, superbibendo Aq. antiscorbutic. cochl. vj. Vide in scorbuto.

Rec. Unguent. nervin. unc. tres, Sp. Lavendul. comp. et Sp. Cochl. hortens. aa. unc. un. sem., quo inungantur partes adfectae, ut spina dorsi, etc. mane et sero.

Pleraque praescriptorum utut curationi scorbuti solum destinari videantur; attamen cum humores crudos ac fixos volatilisare prae aliis apta nata sunt, in paralysi etiam conveniunt.

De tussi et phthisi.

Tussis per se patet. Phthisis autem invadit ab aetatis anno 18. ad 35. Extenuatur totum corpus. Febris molestat hectica, a cibo invalescens (quae ex celeritate pulsus, rubedineque genarum dignoscitur); materia per tussim excreta cruenta est aut purulenta, in ignem conjecta tetrum spirat odorem, et immissa in vas aqua repletum fundum petit. Sudores nocturni superveniunt; livescunt tandem genae; facies pallet; exacuantur nares; temporum quoque collapsus, unguium incurvatio, capillorum defluxio, et alvi profluvium mortem statim subsecuturam denuntiant.

Si tussis recens fuerit, et nondum febrim aut alia signa peripneumoniam notham comitantia accersiverit; vel si a pleuritide, aut peripneumonia ob neglectam sufficientem phlebotomiam male curatis eadem nequaquam orta fuerit, satis erit, ut aeger per dies aliquot ab usu vini et carnis abstineat; et his similibus remediis ad libitum utatur.

Balsam. Sulphur. anisat. ad gutt. x. cochl. un. Sacchar. crystall. instillatum, bis vel ter in die devoretur; ut etiam Tabellar. sequent., quas secum aeger continuo portet, unam frequenter adsumat.

Rec. Sacchar. cand. libr. un. sem.; coq. s. q. aq. font. usque dum adhaerescat extremis digitorum; tum adde pulv. Glycyrrhizae, Enul., Campan., Sem. Anis. et Angelic. aa. unc. sem., Pulv. Irid. florentin., Sulphur. aa. drachm. duas, Ol. chem. Anisi scrup. duos. F. l. a. Tabellae domesticae vocandae atque hoc interim eclegmate utatur:

Rec. Ol. Amygd. dulc. unc. duas, Syr. Cap. Ven., Violar. aa. unc. un., Sacchar. cand. q. s. F. Lohoch,

de quo saepius lambat bacillo Glycyrrhizae, quando tussis urget.

In defluxione tenui eclegmata incrassantia exhiberi poterunt.

Sin vero tussis his remediis haud cessaret (praecipue autem si febrem comitem habeat, vel si a peripneumonia aut pleuritide originem ducat), tum ineptum fuerit pectoralibus fidere; sed venaesectione et catharsi debellanda est, ut in methodo, quae in curatione peripneumoniae nothae describitur.

Verum enim vero cum, his omnibus non obstantibus, tussis non modo non curationi cesserit, sed et diuturna pulmonum concussione eos adeo debilitaverit, ut phthisis tandem subingressa fuerit, tum hac methodo procedendum:

Rec. Bals. Peruv. gutt. x.; instillentur cochl. un. Syr. Hederae terrestris, vel si id minus gratum fuerit aegro, cochl. un. Sacchar. crystall.; capiat ter in die, superbibendo Decocti amari sine purgantib. unc. iv. vel (si idem ventrem moverit) unc. tres.

Sed omnibus aliis (quotquot adhuc inventa sunt) equitatio ad satis longa et diutina itinera facile palmam praeripit; hoc observando, ut si aeger juvenilem aetatem praetergresssus fuerit, plus temporis huic exercitio impendere debeat, quam si puer aut juvenis esset; et sane haud multo certius cortex peruv. febri intermittenti, quam in hac aetate equitatio phthisi, medetur.

De scorbuto.

Adsunt spontaneae lassitudines; corporis gravitas; dyspnoea, praecipue ex motu corporis; gingivarum putrefactio; oris graveolentia; sanguinis e naribus crebra eruptio; ambulandi difficultas; crurum nunc intumescentia, nunc extenuatio, in iisdem perpetuo maculae lividae, plumbeae, flavae, aut violaceae; faciei color plerumque ex pallido fuscus.

Extrahatur sanguis e brachio ad unc. viij., nisi signa hydropis adfuerint. Seq. mane exhibeatur Potio purgat. communis, quae repetatur tertio quoque die per duas alias vices.

Diebus a purgatione vacuis, uti etiam postea, per mensem unum vel alterum sumat sequentia:

Rec. Conserv. Cochl. hortens. unc. duas, Conserv. Lujul. unc. un., Pulv. Ari compos. drachm. vj. cum s. q. Syr. Aurantior. F. Electuar. de quo cap. ad magnitud. nuc. moschat. maj. mane, quinta pomeridiana, et nocte, superbibendo Aq. Raphan. compos. cochl. vj. vel sequentis:

Rec. Rad. Raphan. rustican. raspat. libr. duas, Rad. Ari libr. un., Fol. Cochl. hort. man. xij., Fol. Menth., Salv., Nasturt. aquat., et Becabung. aa. man. vj., Sem. Cochl. hort. parum contus. libr. sem., Nuc. moschat. unc. sem., Vin. alb. libr. vj.; destillentur organis communibus et eliciantur solummodo libr. vj. pro usu.

Vel Folia rec. Cochl. hortens. per se destillentur pro usu dicto. Porro sequens cerevisia sit pro potu ordinario.

Rec. Rad. Raphan. rustican. recentis incisi drachm. duas, Fol. Cochl. hortens. n°. xij, Passular. enucleat. n°. vj. Aurantii cum toto incisi dimidium, in lagenam vitream libr. duar cerevisiae tenuis capacem, subere mox probe obturandam, immittantur.

In hunc modum parentur eodem tempore sex lagenae pro usu; et post aliquot dies sex aliae, antequam priores exhauriantur, et sic deinceps; vel

Vice hujus cerevisiae seq. misturae cochl. tria vel iv. immisceri poterunt singulis haustibus potus communis:

Rec. Rad. Raphan. rustican. et Sem. Cochl. hortens. aa. unc. sem., Fol. Cochl. hortens. man. duos, pulpam unius Aurant.; contundantur simul in mortar. marm., sensim adfundendo Vin. alb. libr. sem. Coletur cum levi expressione, et reponatur pro usu.

Eadem remedia, phlebotomia et catharsi omissis, in rheumatismo scorbutico, sive hysterico valde prosunt.

De podagra.

Exeunte Januario, aut incipiente Februario, ingruit hora fere secunda matutina, dolore pollicem pedis utplurimum occupante, quandoque vero calca-

neum, suram, aut talum; mox sequitur rigor, cum horrore et febricitatione aliquali, dolor gradatim intenditur (et pari passu rigor atque horror recedunt), idque in singulas horas, donec tandem sub noctem ad apicem pervenerit, nunc tensionem violentam, nunc morsum canis rodentis, quandoque pressuram et coarctationem exprimens; hinc prae exquisito dolore nec linteorum superincumbentium pondus, nec cubiculi a fortiori ambulatione concussionem ferre podagricus valeat: dolor non sedatur, nisi ante horam secundam tertiamve matutinam (decurso sc. nycthemeri spatio a primo adpulsu), et jam leni madore perfusus aeger somno concedit; a quo evigilans, dolore multum imminuto partem adfectam tumore recenter occupatam cernit. Sequenti die, forte etiam ad biduum triduumve dolet nonnihil pars adfecta, idque vehementius advesperascente die; levatur autem sub galli cantu. Intra paucos dies alter pes eodem dolore torquetur. Postquam utrumque pedem exercuerit dolor, qui sequuntur paroxysmi abnormes sunt, tum quoad tempus invasionis, tum durationem; atque ex serie horum paroxysmulorum constat paroxysmus, qui dicitur podagra, diuturnior breviorve pro aegri aetate: in iis, qui vegetiores sunt et quos podagra rarius invasit, diebus saepe quatuordecim; in senioribus, atque iis, quos saepius adflixit, duobus mensibus fere desinit; iis vero, qui vel annis vel diuturniore morbi mora fracti sunt, non prius valedicit, quam aetas jam adultior eam fugaverit.

Ad quatuordecim primos dies urina coloratior est, cum sedimento rubro, et quasi arenulis referto, alvus fere constipata est: adpetitus prostratio, rigor totius corporis sub vesperam integrum paroxysmum comitantur: recedentem paroxysmum excipit pedis adfecti inter digitos pruritus, vix ferendus, unde decidunt furfures, et pedes desquamantur.

Hactenus dolor pedibus tantum fuerat infestus; cum vero vel ab indebita medicatione turbatur podagra, vel ob diuturnam morbi pertinaciam, corporis substantia quasi in morbi fomitem pervertitur; jam manus, carpos, cubitos, genua, aliasque regiones occupat: quandoque unum pluresve digitos distorquens, fasciculo radicum pastinacae simi-

les eos reddit, motu paulatim privans; tandemque concretiones circa articulorum ligamenta tophaceas generans, cretam vel oculos cancrorum aemulantes: nonnumquam in cubitis tumorem subalbum ciet, fere ad ovi magnitudinem, qui sensim inflammatur cum rubore; nonnumquam femur occupans sensum exhibet quasi ingentis ponderis adpensi, sine dolore tamen notabili, at genu exinde petens id acrius urget: artus jam habet aeger fere undequaque contractos et impeditos, ita ut claudicet, et permoleste prorepit. Urina illam colore imitatur, quae in diabete excernitur; dorsum aliaeque partes moleste pruriunt maxime sub horam somni.

Post multos dirosque cruciatus paroxysmi subsequentes (natura partim onere materiae peccantis senio oppressa) aegrum quoad dolorem clementius tractant; at, loco doloris consueti, aegritudo quaedam cum dolore ventris, lassitudo spontanea, quandoque etiam propensio ad diarrhoeam superveniunt; quae symptomata evanescunt, quoties articulos dolor fatigat: atque ita nunc dolore, nunc aegritudine, quasi alternatim lacessentibus, paroxysmus longas moras nectit.

Calculum renum in quamplurimis parit hic adfectus.

Feminas perraro infestat; easque non nisi jam vetulas, et viragines; pueros quoque, et juvenibus minores vix adoritur.

Indicatio curativa in eo vertitur, ut coctioni consulatur, indigestionibus sublatis, seu fit per pharmaca, seu victus rationem, seu exercitationem, seu alia ex istis quaelibet, quae sex res non naturales indigitantur.

Venaesectio, catharsis ac diaphoresis scopum non attingent; licet iis, qui renum calculo et exinde orto mictu sanguineo laborant, non abs re erit, semel in septimana alvum Manna subducere, et singulis noctibus post purgationem paregoricum exhibere.

Medicamenta, quae praedictae indicationi satisfaciunt, ea sunt, quae moderate calent, et vel amaricant, vel linguam leniter feriunt; talia sunt: rad. Angel., Enulae, fol. Absinth., Cent. min., Chamaedr., Chamaep. etc. quibus addi possunt antiscorbutica dicta; ut rad. Raph. rustic., fol. Cochl. rec., Nasturt.

aq. etc. quae tamen parcius usurpanda veniunt, quia morbi fomiti aculeos subdunt, et calorem augent, prae istis aliis, quae miti calore atque amaritudine ventriculum corroborant. Haud inutile est electuarium sequens:

Rec. Conserv. Cochl. hortens. unc. un. sem., Absinth. rom., flav. Aurant. aa. unc. un., Angel. condit., Nuc. mosch. condit. aa. unc. sem., Ther. Androm. drachm. tres, Pulv. Ari comp. drachm. duas, cum s. q. Syr. Aurant. F. Elect., de quo sumat drachm. duas bis in die, superbibendo seq. Aq. destill. cochl. v. vel vj.

Rec. Rad. raph. rust. incis. unc. tres, Cochl. hortens. man. xij., Nasturt. aquat., Beccabung., Salv., Menth. aa. man. iv., Cort. Aur. n°. vj., Nuc. mosch. condit. n°. duas, Cerevis. Brunsvic. libr. xij; destillentur organis communibus, donec solummodo libr. vj. aquae eliciantur pro usu.

Haec autem remedia digestiva constanter, atque omni adhibita diligentia, adsidue usurpanda, et in paroxysmorum intervallis praecipue in usum revocanda sunt.

Mediocritas ea in cibis observanda est, ut neque plus alimenti ingeratur, quam ventriculus concoquere valeat; neque e contra nimia abstinentia partes ea proportione alimenti defraudentur, quae earumdem robur et vigorem sustinere potis est. Quoad qualitatem autem ciborum aegri palato consulendum est, et unica ciborum specie singulis pastibus vescatur; de caeteris, dempta carne, pro libitu comedat, modo nec acria, nec sale condita sint, nec aromatis. Prandere tantum expedit; loco autem coenae indulgeat sibi haustum cerevisiae alicujus tenerioris, quo calculi concretio impediatur.

Liquores optimi sunt, qui neque ad vini generositatem adscendunt, nec ad aquae debilitatem, ne frigore suo laedant ventriculum, deprimuntur. Hujusmodi est cerevisia tenuis Londinensis, aut multa aqua cum pauco vino permixta; aqua autem pura et cruda periculosa est: cum autem universa fere corporis substantia in podagram degeneraverit, a liquore quocumque fermentato, quantumvis levi et tenui, abstineat, et utatur decocto diaetetico ex Sarsa, in remediorum formulis descripto, ubi primum

a paroxysmo convaluerit, per reliquum vitae cursum.

Sin autem aeger a longo et nimio liquorum inebriantium usu vel ab aetate provectiore, vel denique prae nimia debilitate cibos absque vino nequeat concoquere; in pastibus haustum vini hispanici sibi indulgeat, apozema diaeteticum abdicans.

Aeger, maxime hyemis tempore, mature lectum petat, diluculo exsurgat, animus sit tranquillus, nec nimis intensus studiis et rebus seriis; caeteris vero omnibus exercitatio corporis quotidiana facile palmam praeripit, quae moderata sit et perseverans, nullo autem modo justo vehementior; quoad exercitii genus, quoties nec grandior aetas, nec calculus intercedant, reliquis praeferenda est equitatio constans ac adsidua in aëre salubri, aut vectio in curru.

Veneris lenociniis ne indulgeat: remedia externa nulla adhibenda.

Quamvis nihil magni in paroxysmo tentandum sit, conducet tamen forsan per aliquot dies, ubi primum a morbo corripitur, a carnibus abstinere, jusculo uti avenaceo, aut alio pari alimento; sin autem spiritus animales ataxiam concipere apti sunt, non expedit a carnibus abstinere diutius, quam ventriculus earum usum aversetur; ne quid autem vel in quantitate vel in qualitate ciborum aut potus peccet.

Symptomatis iis occurrendum est, a quibus aeger in paroxysmo de vita periclitatur; horum maxime familiare est ventriculi languor, cum ventris torminibus, tanquam a flatu; hoc in casu nihil aeque votis respondet, ac vini Canariensis haustulus subinde deglutitus; exercitio utatur aeger: sin autem symptoma inducias haud ferens mortem minitetur, modo caput malum non impetat, ad Laudanum statim confugiendum, viz. gutt. xx. in haustulo aquae epidemiae, et in lecto ad quietem se componat; hac ipsa methodo se ab imminenti morte liberavit auctor clarissimus, ubi ex errore aliquo circa res sex non natur. in ingentem ventriculi aegritudinem incidit, cum vomitione, et aliquali ventris dolore: artus interim ex retrocessione materiae podagricae doloris erant expertes, et ad motum plus solito habiles. Congium nempe unum liquoris possetici vel cerevisiae tenuis devorabat, et quamprimum totum per vomitum reje-

cerit, vini Canar. haustulum, cui instillatae fuerant Laudan. liquid. gutt. xviij., sumebat. Quodsi huic remedio symptoma non cedat, sudor provocetur methodo et medicamentis huic usui dicatis, ad biduum triduumve, mane et vesperi, per duas tresve horas continuas.

Si autem metastasis fuerit materiae morbificae in pulmonum lobos, liberatis artubus a dolore et tumore, tractandum est hoc symptoma pari modo ac peripneumonia absoluta, venaesectione repetita, diaeta et remediis refrigerantibus, et incrassantibus; purgandus est insuper aeger inter venaesectiones potionibus lenientibus; sudoris autem provocatio obest.

Phthisis seu tabis descriptio.

Plures sunt tabis species; prima fere oritur ex frigore hyeme contracto. Paulo enim ante solstitium brumale quamplurimi ab ingruente tempestate frigida tussi tentantur. Quae cum illos invaserit, quibus pulmones ab ortu sunt infirmiores, omnino necesse est, ut a repetitis tussiendi conatibus magis adhuc debilitentur; atque ita tandem alimento sibi proprio adsimilando prae mala διαθέσει prorsus impares reddantur. Hinc jam ingens pituitae crudae copia adgeritur, quae continua pulmonum agitatione et vehementi nisu affatim per os rejicitur. Pulmones exinde pure referti purulenta μάσματα quaquaversum in carnes dispergunt. Hinc enascitur febris putrida, cujus paroxysmus sub vesperam fatigat, sub auroram vero sudore copioso ac vires imminuente solvitur. Denique ad malorum cumulum diarrhoea succedit, partim ab humoribus putridis ex arteriis mensentericis in intestina depositis excretisque, partim a labefactato pessundatoque viscerum tono. Atque ita demum aeger proxima aestate fato suo fungitur a morbo, cui praegressa hyems viam straverat, extinctus. Atque haec est praecipua tabis species.

Porro cum sanguis hac tempestate particulis humidis maxime scateat, perspiratioque a subita pororum contractione plus satis inhibeatur, particulae hae in pulmones depluunt per interspersos venae arteriosae ramos; vel per ductus salivales in glandulis

fauces occupantibus reponuntur; unde jam humor per arteriam asperam delapsus in pulmones catarrhi ritu eos ita jugiter irritat, ut creber et vehemens tussiendi conatus tum illam debilitatem, tum alia, quae diximus, symptomata brevi accersat. Cumque non jam amplius naturalem sibi pulmones oeconomiam statumque tueri valeant, glandulae et tubercula adnasci solent; quae in aegris ex hoc morbo decedentibus, si adspiciantur pulmones, purulenta sanie utplurimum distenta reperiuntur.

Ubi semel invaluerit hic morbus, et radices egerit, remedia plerumque adspernatur. Tentari utcumque potest medicatio, minuendo caussam defluxionis in pulmones, pertusa in cubito vena, catharticis mitioribus, tum medicamentis pectoralibus dictis, ad varios morbi status adcommodatis. Incrassantibus scilicet, ubi humor subtilior et tenuior vim expultricis facultatis videtur eludere: attenuantibus vero, ubi pituita crassior aegre et cum molestia per os rejicitur. Dein et hectica febris remediis refrigerantibus contemperantibusque coërcenda. Talia sunt lac asininum; aqua lactis stillatitia; emulsiones ex Amygd. dulc. sem. Melon., Pepon., Papav. albi, aq. fl. Paralys. etc. Denique et curando ulceri opera danda est; cui rei terebinthina illa liquida, Opobalsamum vulgo dicta, adprime conferre censetur.

Hujusce morbi curatio me judice hac methodo optime ac felicissime instituetur. Primum educatur e brachio sanguis, dein subducatur alvus, ad tres dies continuos, vel Pil. Coch. major. vel decocto leniente a nobis praescripto. Tertia nocte exhibeatur Syrup. de Mecon. drachm. sem. Intermisso biduo triduove, pro re nata repetatur purgatio, idque toties fiat, quoties opus videatur, donec symptomata vel prorsus evanuerint, vel saltem mitescant. Post singulas catharses jam finitas capiat Opobalsami gr. xx. sacchari particulae majori instillatas permixtasque, nihil superbibendo. Vel Pilulam e Terebinth. ex insula Chio cum saccharo cando confectam. Opobalsamum non adsumendum est, nisi praegressis evacuationibus debitis. Hujus loco electuarium e balsamo Locatelli, glycyrrhizae pulvere, semine Anisi et terebinthina concinnatum poterit substitui. Post evacuationes sedulo conandum est, ut tussis se-

detur, ne pulmones jugi agitatione infirmiores evadant. Huc facit prae caeteris syrupus jam laudatus, qui hac formula possit usurpari:

Rec. Decoct. pectoral. libr. un., Syr. de Mecon., Capill. Vener. aa. unc. duas. Cap. cochl. v. ter in die.

Medicamentum hoc ita frequenter haustum catarrhum in pulmones depluentem paulatim sistet, eosque in pristinam ἐυεξίαν reducet, nisi jam pridem a naturali statu nimium recesserint. Promovebit insuper purulentae materiae in iisdem adgestae concoctionem.

At vero palmarium hujusce morbi praesidium est, ut aeger quotidie equo vehatur; et qui se huic corporis exercitio sanandum tradit, nullis jam diaetae legibus adstrictus, nullo cibi potusve genere privandus est; cum in hoc uno omnis rei cardo vertatur. Quibusdam eorum, qui ex hac methodo convaluere, tumor in collo exortus est, non multum a scrophulis abludens.

Est et alia tabis species a tussi prognata longe diverso anni tempore, initio scilicet aestatis. Haec juvenes persaepe illos invadit, qui debiliori sunt corporis habitu, et quorum sanguis particulis calidis acribusque refertus est. Sanguinem isti e pulmonibus per tussim exantlant, nimio meri potu prius excalefacti. Aegri dolorem sive aegritudinem quamdam in pulmonibus persentiscunt. Quae symptomata nisi mature remediis eliminentur, primo scabrities, mox et ulcus accedit, unde pus confectum demum exspuitur.

Dicta jam tabis species venaesectione et catharsi alternatim repetitis, saltem in principio, facile vincetur: si diaeta insuper refrigerante et incrassante utatur aeger, et a carnibus in solidum abstineat.

Tertia hujus morbi species ortum debet materiae febrili in pulmones febre jam fatiscente amandatae; qui sensim infirmiores redditi a symptomatis jam memoratis vexantur.

Quandoque oritur a sanie ista purulenta, quae a pleuriticis non satis copiose per expectorationem egeritur. Quo in casu eamdem quam empyema curationem postulat.

Sunt etiam, qui a nimis copiosis et debito frequentioribus evacuationibus debilitati in quartam tabis speciem praecipitantur. Hos calor hecticus a cibo potuque sumpto sub noctem lacessit; atque hos prae caeteris aphthae infestant.

INDEX
TOTIUS OPERIS ALPHABETICUS.

A.

Abdominis tumor in hydropica, ex tumultu a catharticis excitato, novum aquarum proventum simulans. 441. Diacodii syrupo integre repellitur. 442.
— — infantum, circa lienem praecipue, febribus intermitt. autumn. diuturnioribus eos discruciantibus enatus, primarium est indicium eas abituras; neque hae prius discedere solent. 79.
— — — pro varia febrium constitutione varius est, jam scirrhositatem, jam flatuositatem tantum aemulans. 80.
Abortus remediis iisdem, quibus mensium immodicus fluxus sistitur, praecavetur; catharticis et succis herb. omissis. 378 ad 379. 544.
Abscessus, vid. apostema.
Acetum et vinum fermentatione vegetabilium producuntur. 35.
Acupunctura in hydrope, non minori, quam vesicatorii applicatio, periculo vacat. 448.
Acuti morbi, vid. morbi acuti.
Adfectio hypochondriaca, vid. hypochondriaca adfectio.
— hysterica vel adfectus hysterici, vid. hysterica adfectio.
Adfectus comatosi, vid. comatosi adfectus.
— nervosi venaesectione et purgationibus repetitis saepe indigent; uti in chorea sancti Viti. 468.
— plurimi scorbuti nomine insigniuntur, qui saepe vel effecta morborum fientium, h. e. qui nullum adhuc certum induerunt typum; vel infelices reliquiae morbi, non perfecte curati, tantummodo sunt. 242. Quod argumentis ex arthritide incipiente, podagra, hydrope evincitur. 242. conf. itidem 48.
Adfectuum plurimorum curatio, non caussarum, sed verae atque expertae methodi, cognitione absolvitur. 88.
Adolescentes a variolis plus periclitantur, quam feminae vel impubes. 310 ad 311.
Adolescentium juxta cubantium calor, debilibus corporibus proficuus admodum. 49.

Adpetitionibus aegrorum, in morbis, plus saepe dandum, quam artis regulis. 197. 198. 321. Exempl. hujus. 321.
Adpetitus prostratus ex humorum depravatione. 354.
Adstringentia, in cholera, tuta non sunt in initio. 148. 149.
— in gonorrhoea virulenta scroti tumorem producunt; luem veram, et alia mala, inducunt. 289. 294.
Adulti, in variolis confluentibus, salivatione vexantur fere certo; et semel tantum omissam vidit auctor. 113. In variol. discretis, prodituris, ad sudores proni quam maxime sunt, non vero infantes. 108. 109. 114.
Aegri periculo pleni, respectu curationis modi, si inter primos occurant, in epidemia nova constitutione, donec morbi genius cognitus sit. 25.
— a peste convalescentes, postea sanissimi, nec aliis adfectibus, uti post alios morbos contingit, obnoxii sunt. 91.
Aegritudines ab omni aevo cur terris incubuerint. 5.
Aegritudo vehementior, in variolis, ipsas confluentes fore praedicat, 323.
Aegrorum adpetitionibus plus saepe dandum quam artis regulis. 198. 321.
Aër occulta quadam crasi, seu inexplicabili conditione, variis temporibus, varios epidemios morbos producit. 24. 85. 162. 460. Exemplo sunt variolae ac inprimis pestis. 85. Hancque aëris dispositionem, quidquid philosophantium turba nugetur, plane ignoramus. 85.
— effluviis terrenis inquinatus, ut epidemiorum morborum caussa producens, et propagans aliquamdiu, considerandus. 25. 204. 209. 460.
— ad hoc illudve tempus particulis scatet, humani corporis, ut et aliquando brutorum, oeconomiae adversantibus; quod an fiat, quoniam terrae viscera varias mutationes subeant, unde vapores exhalantes aërem inquinant; vel quoniam atmosphaera inficitur ab alteratione ex corporum coelestium quorumdam conjunctione; idem erit, saltem inde morbi producuntur epidemii dicti, istius generis, ac illa *μιάσματα* inducere valent. 403.
— contemperatus, in variolis, plus quam venaesectiones impetum morbi cohibet. 315.
— frigidior, in variolis, admittendus, qualis intelligendus? illoque modo plures a morte sunt liberati. 132. confer 130. 131. Ubi phrenitis hic, ex defectu faciei intumescentiae, adest, quantae tum necessitatis ille sit, docent aegri, qui nutricum curam fefellere, et aëri semet exposuere, felici eventu. 132. Et hujus casus singularis. 132.

Aër frigidior post corticis peruviani usum vitandus, donec vires restauratae fuerint. 268.
— liberior, in variolis, quantum refocillet aegros. 320. confer 130 ad 132. Et in hoc casu, per pulmones reciprocatus, plus facit ad sanguinem contemperandum, quam alia quaecumque. 324.
— — nimis, in febre scarlatina, vitandus. 227.
— manifesta quadam crasi tussim, seu novum epidemium morbum, an. 1679, sub fine, infert. 271.
— pestilentialis utut sit, tamen per se solus non videtur aptus pestis suscitandae. 87.
— — ita per terrae quemdam tractum, tum laborantium, tum cadaverum, halitibus ita contaminari potest, ut ipsum remotum a peste correptis, absque fomite vel personali consortio, modo corpus ad adflatum excipiendum paratum habeat, inficere valeat. 86.
— pestilentialis constitutionis, Dei bonitate, rarius occurrit, quam ille, qui aliis epidemiis morbis, minus exitialibus, suscitandis inservit. 85.
— pro podagricis, in quo se exerceant, rusticanus quare urbano praeferendus. 416.
Aëri libero, in variolis, quandonam exponendus aeger. 131. 132. 315.
Aëris constitutio vid. constitutio aëris.
— mutatio in febre quartana post illud tempus, quod sanguis ad suam despumationem perficiendam exigit, tantummodo convenit, nec prius; et quare. 75. In hydrope quando requiratur. 443.
— particulae cum humoribus nostris non convenientes, nudoque sanguini admistae, unam, morbos producentium, caussarum universalium classem constituunt. 21.
— qualitates manifestae seu sensibiles, uti et res sex non nat. corpora nostra, ad hujus illiusve morbi epidemii generationem magis minusve disponunt. 25. confer 224.
— — — febres, quae in qualibet constitutione se exserunt, quidem, non vero illas quae constitutioni cuidam propriae ac peculiares sunt, producunt. 25.
— qualitates manifestae constitutioni cuilibet generali tantam vim imprimere non valent, ut epidemiorum, qui ad eam referuntur, caussae productivae sint; verum illos tantum intromittere vel excludere possunt, hocce vel illo tempore, sub eadem constitutione, prout illis plus vel minus favent, illis temporibus, qualitates manifestae. 162. confer 25. Hinc sese morbi hi exserere solent ea tem-

pestate, ad quam sensibiles illae qualitates eos destinaverunt. 162.
Aëris qualitates occultae epidemiis plus favent, quam manifestae. 257. Nonnulli tamen horum quoad symptomata a manifestis pendent. 257.
— temperies epidemios aliquando elicit, ut citius invadant; et e contra. 26.
— — quo uberiore, vel parciore adparatu ad febres intermittentes producendas donata, eo maturius, vel tardius, ipsae invadunt. 62 et 63.
Aestas morbos chronicos minus progignit, quam hyems. 404.
Aestate podagrae irregularis paroxysmus paulo mitior est. 388.
Aestuatio in febribus continuis quomodo dirigenda. 37.
Aetas hominis unius, experimentis supra morbos instituendis par non est. 24.
Alexipharmaca pleraque calida sunt. 91.
— quaelibet, forte, materiam morbi per sudores evacuando potius, quam specifica quadam virtute, aegrotantibus succurrunt. 92.
— — in peste, calidiora quamvis, prosunt per accidens, quatenus nempe diaphoretica simul sunt. 91. Eorum vero vis occultae specificae indoli, tamquam antipestilentiali, non referri debet. 92.
— antivenerea ut Mercurius et Sarsaparilla, evacuando forte potius, quam specifica virtute agunt. 92.
Alexiterium pestis proprium, in naturae sinu abditum adhuc delitescit. 92.
Allium in hydrope incipiente solum, evacuantibus missis, hunc morbum aliquando depulit. 446. Pedibus adplicitum omnium optime revellit; hinc adultis variol. confl. laborantibus adplicatur. 332.
Alvi profluvium et vomitus sudoribus, in peste, curantur. 102.
Alvus, in variolis discretis, toto morbo fere constipata. 110.
Ambustio spiritu vini omnium optime curatur, si lintea eo madida adplicantur, et aliquamdiu retineantur. 238. et 558.
Amentia, sive mania, post febres intermitt. autumn. 80.
Anatomiae quaenam notitia medico necessaria. 436. 437.
Anethi semen specificum habetur in singultu: et quandonam non juvat. 54.
Angina quibusnam cum symptomatibus invadat, et progrediatur. 248. 523. Tempore quolibet, eo tamen, quod ver atque aestatem interjacet maxime, adgreditur. 248. 523. Unde

hoc. 249. A calore, intensum frigus subito excipiente, plerumque oritur. 25. Juvenes et sanguineos, sed praecipue rufos, adficit. 248. Periculo plenus morbus, saepe brevi suffocans. 248.

Angina qua methodo curetur. 248 ad 249.

— symptomatica eadem methodo, qua febris, cujus symptoma est, curari debet: quod probe notandum. 249.

In Angina febris pro morbo primario habenda; et reliqui adfectus, a quibus nomen mutuatur morbus, tamquam symptomata, quae a materia febrili, a modo criseos, a parte, in quam ruit, pendent, considerandi. 223.

— — gargarismata non, ut vulgo solent, usurpanda; sed sine agitatione in ore detinenda, donec incalescant. 248. Partes inflammatae melle Rosar. cum Sp. Sulph. tangantur. 248.

— — venaesectio fortis in brachio, tum in ranulis, instituenda. 248. Et si febris ac dolor inde minuuntur, catharticum lenitivum perutile. 248. Hisce non minutis, venaesectio iteranda in brachio, catharsi in diem posterum rejecta. 249. Et si morbus post venaesectionem et catharsin non cedit, quod oppido rarum, quid agendum. 248 ad 249. 524.

Anginae epidemiae. 224.

— verno tempore an. 1665. Londini, post hyemem frigidam, et siccum gelu, grassantur. 83.

— pleuritides, aliaeque inflammati sanguinis adfectiones, per aliquot septimanas pestis Londinensis exortum antecesserunt. 90.

Aniculae medicorum simiae, stolidae, ac infelices. 127.

Anima mundi philosophorum. 105.

Animi commotio apoplexiae speciem, in puerperis hystericis, saepe excitat. 342.

— compages magis delicata, quam corporis structura. 353. Qualis ab auctore concipiatur. ibid.

— pathemata spirituum systasin solvunt. 414.

— — in hypochondriaca seu hysterica adfectione, atrociora. 346.

— — in podagra sunt vitanda. 414.

— robur, unde. 353.

— et corporis motus violentiores adfectum hystericum excitare valent. 185.

Animus in hystericis et hypochondriacis quomodo sit constitutus. 346 ad 347. In podagra inveterata, contagio tan-

dem etiam ita adflatur, ut rectius iracundiae, quam podagrae paroxysmus dici queat. 391.
Annorum constitutiones vid. constitutiones.
Annus, quo pestis Londini grassabatur, caeteroquin salubris et mitissimus fuit. 90.
Anodyna vid. paregorica.
Ἀνορεξία ex humoribus depravatis. 354.
Anthraces, in peste, adustam faciem, pyrotici actualis impressioni non absimilem, habent. 90.
Antidotalia calida pestem potius invitant, ut vinum ipsum liberalius adsumtum, quam arcent. 91.
Antimonialia emetica puerulis, infra adolescentiam constitutis, numquam tuto exhibentur. 41. Neque tuto umquam praebentur, nisi copiose diluantur. 39.
Antiquitas medicinae vid. medicinae antiquitas.
Antiscorbutica hydropem, ex febre intermitt. autumn. natum, expellentia. 78 et 515.
Antivenerea alexipharmaca vid. alexipharm. antivenerea.
Aphorismus Hippocratis 22. Sec. I. tam in sudoribus provocandis, quam in subducenda alvo, locum habet. 398. Immo non tam catharsin quam diaphoresin spectat. 480.
Aphthae, dysenteriis recedentibus supervenientes, unde nascantur. 161 ad 162.
— in dysenteria, a cathartico et aliis neglectis, mortem denuntiantes. 151.
— in febre dysenterica unde nascebantur. 161.
— — — an. 1669., ubi haec recedebat, erant frequentiores, quam in febre ulla nota; et quare. 161 ad 162.
— in febre epidemia nova, an. 1685. recidivam febrem inducunt, quae symptomatica tantum est. 464.
— cortice peruviano quandonam sanentur. 464.
Apoplexia qualis sit morbus. 533. Quomodo tractanda, tum in paroxysmo, tum extra eumdem. 533 ad 534.
— febribus intermitt. an. 1678. superveniens, erat febris ipsa, caput impetens. 268. Signa unde hoc constabat. 268. Sed cortice peruviano curabatur. 269.
— vulgaris caussam non habet eamdem, quam hystericarum apoplexia. 342.
— in podagrico paroxysmo, sudoriferis exhibitis, cur nascatur. 398.
Apostema talis naturae machina in carnibus, qualis febris in humoribus. 138. sive, naturae est methodus, qua partes firmas ab extraneis liberat, quemadmodum febris materiam peccantem ex sanguine amolitur. 313.

Apostemata quomodo febrem, resorpto pure, excitent. 313.
— ad pestis verae curationem nondum excitari a nobis possunt; neque per cardiaca hoc tentaretur, licet ea sola, forte, hoc efficerent. 93.
— in peste, ubi ad maturitatem perveniunt, licet pestilentialem morbum tollere possint, incertam ac fallacem tamen constituunt curationem. 93. 104.
Apozema aperiens et antiscorbuticum. 506.
— pectorale in morbillis ad tussim. 169. in pleuritide. 132.
— purgans post febres intermitt. autumn. propinandum, hydropem ex iis natum saepe tollens. 77.
Aqua pura, et cruda, ni ab ineunte aetate adsumatur, nocua. 410.
— si potatur in iis, qui spirituosis liquoribus diu adsueti fuere, hydropem parit. 430.
— podagricis pura et cruda periculosa. 410. frigida ab auctore podagrico imprudenter potata, diarrhoeam excitavit, quod materia in artus non eliminabatur; quam sudoribus curavit. 422.
— pura oleo praefertur ab auctore, ad dilutionem veneni, ex Mercur. subl. corrosivo adsumti. 280.
— Menthae in vomitu egregie confert. 58. In ileo vero. 58.
— mirabilis, in colica biliosa, quandonam conducat. 182.
— rosarum capiti adplicata vigiliis medetur. 52.
— stillatitia composita antiscorbutica. 244. 564.
— — — ad podagram. 402.
— — — in rheumatismo scorbutico. 244.
Aquae Bathonienses in hysterica adf., si Tunbrigienses non juvant, adeundae. 364. Qua methodo sumendae, et quamdiu. ibid.
— cardiacae temperatae. 155.
— chalybeatae, vid. aquae minerales.
— — in calculo renum, saepe mortem accerserunt. 495.
— epidemiae, in colica biliosa, quando conveniant. 182.
— ferreae, vid. aquae minerales.
Aquae hydropicorum, maxima celeritate, quam aegri vires ferre queant, h. e. singulis diebus, expurgentur, et quas ob caussas. 432. Nonnumquam vero dies unus aut alter intercalari potest. 432. 434.
— — vomitione per crocum metallorum, ex abdominis cavitate, per sedem, et per os, potenter evacuantur. 440.
— in hydrope, vomitorii ope, non ita prompte expelluntur, ubi levis abdominis tumor adest, quam ubi ingens aquarum copia adgesta fuerit. 442.

Aquae in hydrope, quomodo ex abdominis cavo in intestina transeant. 436.
— in hydropica, diebus a purgationibus liberis, per sedem copiose excernebantur, et sub finem per urinas etiam. 441.
Aquae minerales ferri minerae sunt participes. 358. Nihil sunt quam simplices aquae, virtute minerae, per quam transeunt impraegnatae; quod, clavos ex calceis equorum aquae communi injiciendo, imitari possumus. 363 ad 364.
— — artificiales quomodo ex clavis fiant. 364.
— — — et naturales, diversos effectus non edunt. 364. Diureticae sunt et aliquando ventrem movent. 363.
— — quare ipso chalybe potentius agant. 363. Viam sibimet ipsis saepe praecludunt, spiritus exagitando turbandoque. 363.
— — ubi sumuntur, si aliquod symptoma, morbo proprium, superveniat, et transitum aquarum impediat, ab iis per diem unum alterumve abstinendum, donec transierint. 363.
— — sine purgantibus intercalatis efficaciores multo quam si interim exhibeantur haecce. 358. conf. 363.
— — in calculosis, ubi tantum lapilli in renibus haerent, omni aestate liberaliter epotae, praestantissimum ad eos exturbandos, horumque incrementum impediendum, remedium est. 499 ad 500. 536. Quid agendum, ubi hae non prostant. 500.
— — non usurpandae, nisi prius notum fuerit calculum majorem non esse, quam ut per ureteres transire queat: cum alias multum noceant. 499. 500 ad 501. 536.
— — purgantibus admistis, in calculosis, quomodo noceant, si calculus major, quam ut ex renum pelvi ejici queat. 499.
— — in diarrhoea, ventris torminibus, vomituritione, a febre oriundis, perniciosae sunt. 472.
— — in erysipelatosae eruptionis specie. 247.
— — in gonorrhoea virulenta quare noceant, et scroti tumorem, ut et carunculas, producant. 294.
— — in hysterica adf. ubi chalybs non juvat. 363.
— — podagricis quandonam male cedant. 500 ad 501.
— sulphureae calidae uti Bathonienses, in hysterica adf., ubi Tunbrigienses non juvant, adeundae. 364.
— Tunbrigienses ad hystericam adf., si chalybs non juvat. 363. ad icterum pertinacissimum. 187.
Ardor urinae in gonorrhoea virul. qualis. 289

Arenulae nephritidem ubi caussant, quid agendum. 372.
Argentum vivum et globuli plumbei plus mali quam boni praestant in ileo vero. 57.
Argumenta pestem inflammatorium esse morbum quae persuadent. 90. 91.
Aristoteles melancholicos ingenio caeteris praestare adserit. 347.
Aromata in podagra quare vitanda. 408.
Aromatica, si eorum species quaedam misceantur, quasi aliquid tertium gignunt, quod in ita conjunctis majorum est virium in pari quantitate, quam in eorum quolibet. 400 ad 401.
Ars medica haud rectius quam ab ipsius artis exercitio atque usu perdiscenda. 2.
— — duobus mediis ulterius provehi potest, tum ope historiae morborum exquisitae, tum methodi medendi fixae ac consummatae. 6 et 10.
— — si illa methodo semper traderetur, ut indicationes ex historia morbi, seu morborum phaenomenis observando elicerentur, hocque experientia firmaretur, non vilesceret, quin potius illustraretur; et difficilior reddita, nonnisi sapientes et peritos admitteret, atque rudi vulgo de uno aliove morbo forte tantum constaret; nam uti major subtilitas in naturae operationibus, quam in alia arte, sic ars medica quam natura praeciperet, ingenium vulgi longius superaret, quam ea, quae a philosophia docetur. 274. 275.
— — febrium curationem per diaphoresin imitari nequit: quia nescit quomodo materies ad exitum praeparanda; istius praeparationis nulla habet indicia; et deinde ignorat, quantum temporis in sudore persistendum. 479 ad 481.
Arthritis saepe habetur, quod verus rheumatismus est, quamvis essentialiter differant: sed fit quando hicce a febre sejungitur. 238.
— et pestis nec non plerique alii morbi naturae medicatricis instrumenta sunt. 22.
— — scorbutum quandonam mentiatur. 242.
In arthritide, ubi exigua malignitatis suspicio, haud minus ac in peste, materiae morbificae recursus fatum accersit. 94.
Articuli digitorum et ligamenta in podagra irregulari quomodo adficiantur. 388.
— — in rheumatismo saepe invertuntur, cessante jam dolore. 239.
Artus in podagrae irregularis paroxysmorum intervallis quomodo se habeant. 389.

Artuum, in podagra, impotentia ad motum praecavetur vectione in curru, ipso paroxysmi tempore. 419.
— dolor, in variolis, ingens ac si ex rheumatismo, confluentes eas fore praedicat. 323.
Ascites verus, pro deplorato habitus, aeque certo ac alii permulti, qui non ita funesti vulgo aestimantur, subjugatur, modo viscera non sint corrupta. 448.
— inveteratus, quomodo partes corrumpat, et insanabilis fiat. 447. Attamen curationem medicus adgredi debet, quia ignorat, quantum noxae visceribus illatum. 447.
Asthma inveteratum, et derepente recedens, in viris habitus plenioris, tumorem surarum excitat, hydropicorum aemulum, ad mortem usque comitantem. 429.
— quomodo curandum. 561.
— siccum febrem non habet, unde a peripneumonia notha distinguitur. 237.
Ἀταξία hystericorum malorum caussa. 185.
— spirituum materiem viridem, biliosam, ἄνω καὶ κάτω plerumque semper exprimit, sive ipsa fuerit a convulsionibus; sive ab hysterica adfectione; sive a motu navis in mare; sive a purgantibus, vel vomitoriis excitata. 349 ad 350.
— — hypochondriacae seu hystericae adfectionis προηγούμενα seu efficiens caussa interna videtur; cujus origo, seu antecedens caussa est debilior illorum crasis, qua facile dissipantur aut perturbantur. 348. 352. Hinc non videtur hysterica adfect. morbus a depravatis humoribus pendens, licet ille ipsos inficere valeat. 354. Quod utrumque adsertum pluribus argumentis firmatur. 348 ad 355.
— — hypochondriacorum et hystericarum, symptomata, ut uteri strangulatum etc., quomodo producat. 348 ad 353.
— — dolores producens, in hysterica et hyponchondr. adf. comparatur actioni vitri incensorii. 350 ad 351.
Auctor sapere non audet ultra quam res ipsa loquitur. 204.
— errores suos, solito suo candore, ab amicis, annosa et repetita experientia melius edoctis, reprehensos cupit. 456.
— an alii eadem cum ipso adserant, non ita quaerit, quam utrum ea, quae tradit, cum veritate consentiant. 382.
— quid de operum suorum repetita lectione promittat. 448.
— in acutorum morborum historia tradenda, non tam metam figere, quam aliis animum addere tentat. 17. Tractatum de morbis acutis edendo, viam praemonstrasse existimat, qua viri docti morborum historiam et curationem possint investigare. 284. Objectioni respondet, quam contra suam de morbis acutis doctrinam, quod malignitati

quae pluribus horum morborum adhaeret, non satis adversetur, fieri posse praevidet. 215 ad 218. Veterum et recentiorum de malignitate opinionem non rejicit, sed suam de ea sententiam exponit. 215 ad 218.

Auctor chronicorum morborum historiam promittit. 285. Temeritatis, quod tantam Laudani copiam in cholera exhibuerit, non est incusandus. 258 ad 259.

— epidemiarum constitutionum vicissitudinis caussas, ex aëris manifestis qualitatibus nondum expiscari potuit. 25. Quoties epidemia constitutio nova ingruit, anceps haeret, qua nempe via insistet, ut aegris subveniat; unde unus aut alter eorum in principio de vita periclitatur. 24. Dum epidemiorum morborum observationes aliquot annorum succedentium ita tradit, qualem finem habuerit. 31. Cum de morbis epidemiis constitut. 1676 ad 1680 scriberet; jam per triginta annos circiter podagra, et diu calculo multatus fuerat. 255. Et morbos epidemios An. 1677. non describit, quia eo tempore mictu sanguineo, dein podagra saevissima, per tres menses, cruciatus fuit. 259.

— in febribus ejusque symptomatis describendis, adeo sincerus, ut nullas opiniones, nullaque cerebri figmenta, orbi vendere cupiat. 251. Veniam rogat, quod in eruenda certiore methodo, ad febres ejusque symptomata debellanda, spretis aliorum judiciis, suo magis confisus, in semitas, nullo antea pede calcatas, ingressus fuerit, et rebus novis studuerit. 251. Integritate solita fatetur, se non semel in febribus, ubi de natura earum nondum constaret, et sibi et aegris, nihil agendo, optime consuluisse; dum interim invigilans percepisset vel febrem evannisse, vel ad typum redactam fuisse, unde cognosceretur. 222. De curatione febrium intermittentium adhucdum ignota conqueritur. 70. Serio monet de perquirendis mediis, febres intermittent. autumn. citius, quam solet, debellantibus. 76. Cuidam novae febri, pestilentiali quasi dein repertae, et pestem Lond. ipsam praegressae, methodum diversam ab ea, quam hactenus cum successu, in hujusmodi fere febribus usurpaverat, adaptare cogitur. 98 ad 100. Interturbatur aegrorum damno, prae adstantium protervia, ne tam liberaliter venaesectionem instituat, in febre pestilentiali, pestem Lond. insecuta. 100 ad 101. Hinc in febre pestilentiali illa de modo curandi, a venaesectione diverso, cogitat. 101. Et curationem hujus febris pestilentialis aliam quam per venaesectionem frequentiorem, invenit. 101. Hujusque inventae methodi successus. 101 ad 104.

Auctor in hydropicis curandis, initio suae praxeos, decipitur usu syrupi spinae cervinae, quod hujus ope curata hydropica, quae facile purgabatur, existimarit omnem hydropem isto syrupo curari posse. 434.
— in hystericae adfectionis historia tradenda, illud facit juxta vera naturae phaenomena, et propriam experientiam. 341.
— ad medicam artem, de ea ne vel somnians, quomodo celeberr. Th. Coxe M. D. hortatu, serio se adcinxerit. 1. Quare se ad artem medicam nondum pervenisse putat. 284. Qua ratione medendi scientia ulterius promoveri queat, tract. de morbis acutis, post diuturnas meditationes, et fidam plurium annor. observationem in medium proferre decrevit. 5. Perpulchre de medicorum in morbis curandis nimia festinatione ratiocinatur. 197 ad 198. De medicis calumniantibus, et super aliorum ruinis viam sibi sternentibus, quid censeat. 122.
— medicamenta in hydrope simplicia et inartificialia, quod tradat, arguentes redarguit. 448.
— de mictu sanguineo a calculo renibus impacto, tum de podagra, quae mala in semet ipso expertus, miseratione erga sodales commotus, tantum scribit. 494. 499.
— in peste et pestilentiali febre describendis veniam rogat, quoad dogmata theoretica, naturam morbi quae respiciunt: verum quoad praxin adserit, se omni fide ea tantum proposuisse, quae exploratissima habebat; et aegros suos tractasse, ac ipsemet tractari cuperet, si hocce morbo aegrotaret. 104 ad 105. Difficultates, in peste curanda, sudoriferorum effectu, subortas (98) sua methodo curativa solvit. 98. Historiam pestis tradit, quia medici alii, qui toto tempore adfuerunt, de ea nihil publici juris fecerunt. 91. Fugientium turbis, pestis metu, amicorum suasu, se adjungit. 100. Tempore pestis Lond. maximam partem, complurium milliarium intervallo ab urbe semotus fuit. 91. 100.
— in pleuritide, curationem frustra tentat, per aliam praestantiorem viam, quam per venaesectionem. 234.
— podagrae an. 1660. immaniore quam ante, paroxysmo adficitur; quem et calculus renum et mictus sanguineus insecuti. 494. De podagra tractatum edens, jam per triginta quatuor annos ab ea vexatus fuerat. 384. Et calamum regere impos adjuvatur a Joh. Drake. 383. Podagricus in semet ipso diarrhoeam, ex materia morbi in artus non eliminata, sed retropulsa, propter aquae frigidae imprudentem usum enatam, sudoribus, ubi nec exer-

citiis, nec Laudano, neque cardiacis, vel nec adstringentibus cederet, curavit. 421 ad 422. Sententiam suam revocat, sc. podagra adfectis purgantia minime conducere. 497.
Auctor rheumatismi curationem, tempore aliter edoctus, in quibusdam emendat, et de venaesectione sententiam parum mutat, quod non toties celebranda, sed catharsis ejus loco substitui possit, ut simul paregoricis occasio daretur. 280 ad 281. Rheumatismi scorbutici curationem cum publici juris facit, privato suo commodo publicum praefert. 243 ad 244.
— ad variolas decumbentes ne amplius accerseretur, cur exoptabat. 320. Cujusnam essentiae morbus sint variolae, ignorat cum aliis. 117. Quod in variolis curandis methodum novam induxerit, eo magis erit excusandus, quod haec recentiorum tantum curationibus, cum Hippocrati ac Galeno ignotus morbus fuerit, adversetur. 208 ad 209. Qualem de sua in variolis discretis et lenibus, medendi methodo fidem habeat. 126. Integerrimus in exponenda methodo variolarum curandarum. 318 ad 320. In sua variolas curandi methodo non phantasiae, sed phaenomenis practicis litat. 339. Et de venaesectione in variolis parum mutat sententiam, quod non, uti primo censuerat, pustulas intra justos limites coërcet. 315 ad 316. Quare non definiat, an salivatio ac diarrhoea in variolis confluentibus ideo a natura fuerint substitutae, quod parvum hocce pustularum genus materiem morbi non ita extermi nare queat, ac majores pustulae in discretis faciunt. 113. Venaesectionem negligit in variolis. 207. De variolis an. 1680. scribit ideo, ut quae olim deficiebant ex iis, quae experientia jam annosior suggesserat, sarciret. 308. Filium suum, variolis anomal. discret. laborantem sua methodo restituit. 177.
— istius sententiae non est, venereae luis curationem docendam non esse; cum sui negotii existimet corpora sanare, non vero aegros censorio vexare fastu, Deo relin quens sontes castigare. 285 ad 286.
Auctores in morbis, horumque historia sive phaenomenis describendis, talia vulgo praebent subsidia, quae sequentem potius in praecipitia agant, quam in genuina naturae methodo indaganda dirigant; nam nihil tradunt quam hypotheses, quas lascivientis ingenii luxuria peperit, ad quas etiam praxin suam, in hominum perniciem non ad rei veritatem, componunt. 285.
— qui venaesectionem in peste commendarunt. 95.

Aura liberior in tussi epid. 1675. concedenda. 212. 215.
— — in variolis vid. aër liberior.
Autumno humores sunt viscidiores quam vere. 63.
Autumnus dysenteriis favet. 171.
Axiomata Hippocratis aliorumque veterum, de materia febrili praeparanda ad crisin per sudores rite faciendam, isti soli febri constit. 1661 ad 1664, qua intermittentes caeteris praedominabantur, videntur adaptanda. 218 ad 219.

B.

Balsamus e Mecha, terebinthinae genus liquidum et purum, in gonorrhoea virul. bonus. 293.
Bolus purgans in diarrhoea. 156.
— diaphoreticus in pestilentiali febre. 102.
— in pruritu ferino. 246.
Botallus (Leonardus) unus, qui, aeque ac Sydenham, totum pestis curationis negotium in copiosa venaesectione collocat. 95.
Botalli argumenta luculentissima exemplis plurimis stabilita, venaesectionem in omni peste, supra omnia remedia salutarem esse. 95 ad 96.
Botanica sensuum testimonio debet inniti. 31.
Brassicae folium in pleuritide lateri imponendum. 232.
Bubo, vel parotis, in peste febri ardenti superveniens, aegros a luctuoso discrimine saepe liberat. 87.
Bubones in peste quomodo ex materia morbi subtilissima et maxime inflammabili fiant. 138.
— in peste, ut alii tumores inflammatorii, in abscessum terminantur. 90.
— pestilentiales suppurantes licet, in pestilenti febre, incerti ac fallacis tamen successus sunt. 93. 104.
— — interdum ex improviso disparent. 93.
— — diaphoreticorum praematurorum actione quomodo intropellantur et turbentur. 98.
— saepe intropelluntur, si horum materies sudoriferis aufertur. 93.
— — retrocedentes, maculis purpureis succedentibus, letales. 93 ad 94. Cujus saepe caussa sudoris expressio importuna. 94. 98.
— venerei, ex gonorrhoea virul. primum luis gradum constituunt. 289.
Butler M. D. in Africa dysenteriam et febrem dysentericam eodem modo, ac auctor in Anglia, curat. 159.

C.

Cachexia ex humoribus depravatis. 354.
Calculi minores ex renum pelvi non melius deturbantur quam aquarum chalybeatarum usu. 499 ad 500.
Calculus an major quam ut per ureteres transeat, vel an lapillorum congeries in pelvi haereat, quomodo dignoscatur. 499. 536. conf. 500.
— ex decubitu in dorso supra lectum submollem, primam originem suam in podagricis saepe desumit. 494.
— nephritidem ubi caussat, quid agendum. 372.
— renum vel vesicae aliquando videtur adesse, quod tantum effectus quidam hystericae adfectionis est. 184. 343 ad 344. Hujus exemplum notabile, ubi calculo dicata nocebant, narcotica vero juvabant. 184.
— — qua ratione se manifestaverit in ipso auctore. 494 ad 495.
— — in podagra inveterata plerumque nascitur. 422. Quid tum agendum. 422 ad 423.
— — podagricis superveniens, unde. 390. Et ischuriam aliquando excitans, aegrum de medio tollit. 391.
— — in podagricis potu acri, et attenuante, tum excitatur, tum generatur. 412. An ejusdem podagricae materiae morbificae portio? 390 ad 391. Exercitio corporis constantiore prohibetur; sed praesertim equitatione, nisi grandior aetas, aut calculus major impediverit; tum vero vectione in curru utendum; sed utrumque fiat in aëre rusticano potius quam in urbano. 416. conf. 419. Dein praecavetur lautiori usu cerevisiae tenuis. 408. Tum usu potus diaetetici. 412.
— — ubi adest, et vel nephritidem, vel mictum sanguineum producit, quaenam medela. 422 ad 423. 499 ad 501. 535. 536.
Calefacientia antidotalia pestem potius accersunt, quam praeveniunt. 91.
— in apoplexia cur noceant. 533.
— in chronicis, vid. herbae excalefacientes.
— corticis peruviani salutarem actionem delent, in febribus intermitt. 260. 266.
— in dysenteria, et ubi aetas florida, qualia phaenomena inducant. 151.
— a medicis in febribus male exhibentur, ad venenum suppositum per cutim expellendum, ubi refrigerantia requirebantur. 481.

Calefacientia in febribus acutis quot mala inferant. 466. In febre epid. an. 1673. caput adficiebant. 191. In febre nova epid. quandonam iliacam passionem excitare valent. 474. In febre hyemali vitanda. 452. In febribus interm. autumn. citius exhibita, vel has duplicant, vel in continuas permutant. 75. In febribus interm. pueris exhibere periculosum. 75 ad 76. In febr. intermitt. an. 1678., tamquam oleum camino additum, eas exasperabant. 260. In febre nova hyemali, quaenam mala inferant. 461 ad 462. 466. In febre variolosa salivationi obficiunt. 142.
— in hydrope, quando, et quare, conveniant. 444.
— maculas purpureas in febribus augent, pro gradu quo calefaciunt, et contra. 217.
— in malignis morbis quibusdam, quare laedant. 216.
— quaelibet in morbillorum et variolarum curatione nocent. 168. Peripneumoniam letalem inducunt, aliaque mala inferunt, quibus temperantibus et venaesectione succurritur. 168.
— pleuritidem symptomaticam, quandonam inferant. 230.
— in pleuritide vera obesse possunt, quo minus venaesectio omnem curationis numerum absolvat. 213 ad 214.
— medicamenta vegetabilia in podagra, quae amaricant vel linguam feriunt, vera sunt in hoc morbo digestiva: sed certa cum cautione usurpanda. 400. In aliis chronicis quoque quare conducant. 402. conf. 405.
— in rheumatismo exhibita, frequentioris solito venaesectionis caussa esse possunt. 240.
— spirituosa in tussi epid. an. 1675. sine periculo non exhibebantur. 212. 215.
— in variolis quaenam mala, et quo tempore praesertim, inferant. 119. In expulsionis, initio praesertim, aeque ac in secretionis statu nocere possunt. 121. Et quare. 121. In eruptionis finem, junioribus, et sanguineis praesertim, praemature exhibita, eidem potius obicem ponunt, temperantibus amovendum. 123. Et in temperamentis vegetis, ex discretis saepe confluentes inde redduntur. 123. Initio morbi exhibita confluxum pustularum inducunt, illo modo, quo aëris intemperies an. 1681. illud ipsum producebat. 310. Ea praemature exhibere, sive aegrum lecto adjudicare, ante diem quartum, aeque nocuum. 124.
— — — ubi symptomata a nimio frigore, vel ab evacuationibus indebitis, concedenda, sed non diu. 134.
— — — anomal. confluentibus exhibita in dysenteriam quandonam eas mutabant. 174.

Calefacientia in variolis anomal. confluent., menstruorum fluxu tempore non solito superveniente, adhibita, admistis licet adstringentibus, letalia saepe fuere. 175.
— — — pustulas nigras augent, pro ratione qua calefaciunt; et contra. 210.
— — regularibus confluentibus magis adhuc quam in regul. discret. vitanda. 127. Salivationem sistunt. 128.
— — — discretis sudorem, per se promptum, urgentia, quantum et quomodo noceant. 114. Intumescentiam faciei, quae octavo die adesse debet, nec non ruborem inter pustulas avertunt. 130.
— — — sudores promoventia, quandonam minus noceant, facieique tumorem non ita impediant. 115.
Calida in febribus, variolis etc. vid. calefacientia.
— tempestas insperata, acri gelu succedens, dysenterias, mense Novemb. an. 1673., leves caussavit. 187.
Calidum regimen, vid. regimen calidum.
Calor febris ipse fere sufficit ad materiae concoctionem, ut sudore expelli queat; nec calefacientibus iis fervidis, forinsecus adlatis, indigemus. 196.
— frigido diuturniori, vere, derepente succedens, pleuritides, anginas, qualiscumque fuerit constitutio, inducit. 224. conf 25.
— lecti in febrib. intermitt. vim corticis peruviani enervat. 328.
— — rheumatismum promovet. 240.
— — in variolis confluent. vim morbi adauget, et vim paregoricorum enervat. 328. Plura de lecti calore in variolis, vid. lectum.
Calor in pleuritide nocuus. 233.
Caloris gradus in variolarum curatione unde petendus. 122.
Canis rabidi morsus, hujusque curatio, 560.
Capillorum abrasio in phrenitide a calefacientibus inducta. 467.
Capitis dolores in febre dysent. an. 1669., frequentiores, sed sudores rariores. 161.
— motus in vomitione ex hysterica adf. ipsam prae caeteris provocat. 371.
— obtectio lacinia lanea ad sudores ciendos mirum quam conferat. 102.
Carbunculi ac bubones in peste materiae expulsioni inserviunt, uti pustulae in variolis. 138.
Carnes vetantur in podagrae paroxysmo, si ab iis abstinere sine alio incommodo possunt; alias modice concedendae. 418 ad 419. Harum usus hypochondriacos et hystericas

restaurat. 353. Et abstinentia ab iis morbum saepe invitat. 354 conf. 352.
Cardiaca servant aegrum, ubi a venaesectione temeraria damna inlata. 37. Naturam languentem adjuvant, ubi refrigerantibus aut clysteribus debilitata. 69.
— in apoplexia, cur noceant. 533. In dysenteria, qualia, quando, et in quibus propinanda. 155.
— moderatiora, uti et calidiora quo tempore febris, et quonam in casu gradatim etc. sumenda. 45.
— febribus contin. an. 1661. etc. initio quare non exhibenda. 43. Circa earum finem, quando necessaria. 43. 44. Post evacuationes institutas, quaenam esse debeant. 45. Quando in initio propinanda. 43. In debilibus requiruntur, ut febres spatio 336 hor. h. e. 14 dier. depurationem suam absolvere queant. 68 ad 69.
— inopportuna transmutant febres intermittentes in continuarum speciem. 260. 266. Et corticis peruviani salutarem effectum delent. 266.
— et corroborantia in febribus interm. autumn. ad naturam sublevandam, quando et cur conveniant. 74. Sustinent adhuc senes per tempus aliquot. 74 ad 75.
— in febre scarlatina quare damnosa. 227.
— in febre variolosa salivationi obficiunt. 142.
— in mania, post febr. intermitt. diurn. nata, exiguntur. 81. Eorum usus quando dimittendus. 81.
— vetantur in phrenitide praesertim ante usum narcoticorum. 51.
— in variolis nocent, quod ebullitionis statum nimis evehant. 119. 120. Eruptionem ipsam impediunt. 123. Intempestiva quaenam mala producant. 320. Initio si vitantur, maculae purpureae et mictus sanguineus praecaventur. 320. Ante diem quartum non necessaria, diarrhoea quamvis adsit. 124. Mortis saepe caussa sunt, licet venaesectioni praegressae saepius imputetur. 122.
— — — discretis sudorem, per se satis promptum, urgentia qua ratione noceant. 114.
— — — praematurе exhibere, et lecto aegrum adjudicare, ante diem quartum, aeque nocuum est. 124. Quarto die quandonam exhiberi queant. 124. Sed paregorica esse debent, et qualia. 124. Effectum hic quomodo edant. 124. Omni tempore, quanam occasione exhiberi queant; et quaenam tum illa sunt. 134. Confluere faciunt pustulas, si inopportune adplicentur. 119. Hocque praesertim in temperamentis vegetis. 123. In eruptionis finem et ad

eam accelerandam, praesertim in junioribus et sanguineis, in initio praemature exhibita, eruptioni potius obicem ponunt, temperantibus dein amovendum. 123. Retrocedentibus variolis ex venaesectione inopportuna, vel frigore nimio adplicato, adhibeantur; sed caute, neque nimis fortiora sint. 122.

Cardiacorum generosiorum formulae. 81.

— moderatorum series. 45.

Caruncula in gonorrhoea virul. est caro spongiosa in urethra, ab ejus excoriatione enata, sensim indurata, urinae viam intercipiens. 289. Ex ulceribus sibi adnatis ichorem saepe quemdam evomunt; quod tum pessimum malum. 289. Ex aquis mineral. saepe nascuntur. 294.

Casus rari ad historiam morborum non pertinent. 8.

Catamenia, vid. menstrua.

Cataplasma, ad dolores ab allio pedibus adplicato excitatos. 332. In hydrope, abdomini adplicitum ad discutiendum, nec nocet, nec prodest. 447. In podagrae paroxysmo, quod auctore prae caeteris profuit. 423. In punctura tendinis a venaesectione. 235. In rheumatismo. 240. In scroti inflammatione a morbo venereo. 295 ad 296.

Catarrhi, et tusses epidem. an. 1675., videantur 189.

Catharsis et cathartica, vid. purgans et purgantia.

Catulus vivens, in ileo vero, nudo ventri quamdiu accumbendus 58.

— topica medicamenta non plurimi facit. 447. Unguenta e catharticis, et vesicatoria praeprimis, damnat. 447. 448.

— ibi incipit, ubi desinit scorbutus; quomodo hoc dictum intelligendum. 242.

— ex febribus intermitt. autumn. 78. Febrium autumn. intermitt. symptoma, unde enascatur. 78. Juvenes raro obsidet, nisi catharticis accersitus. 78. Si recens, aperientibus et catharticis facile curatur. 78. et 515. Cathartica vero ante discessum febris frustra dantur: sed antiscorbuticis expellitur. 78. et 515. 547. 548.

— scorbutum quo sensu aliquando mentiatur. 242.

— ex venaesectione in podagra mox a paroxysmo. 395.

— ex subita spiritus vini interdictione, in adsuetis, oriri potest. 237.

— testium in feminis quid; et quomodo ab humorum depravatione, ex spirituum ἀταξίᾳ, in hysterica adf. diuturna, oboriatur. 355. conf. 430.

Hydropicorum sitis quomodo fallenda. 446.

Hyeme exeunte, podagrae paroxysmus invadere solet. 388. conf. 385.

Hyems rigidissima an. 1683., ut nemo tum viventium illi parem, vel frigoris gradu, vel temporis tractu, viderat. 459.

— dysentericis contraria. 146. 171.

— morbos chronicos potius gignit quam aestas. 404.

Hypochondriaca adfecito in feminis hysterica vocatur. 345. 348. 507.
— — splenis et viscerum obstructioni imputata, in omnibus convenit cum hysterica adf. uteri vitio adscripta. 341. Animi pathemata atrocissima fovet. 346 ad 347.
— — quae mala tum in corpore, tum in anima excitet, vid. hysterica adfectio.
Hypochondriaci quomodo sint animo constituti. 346 ad 347.
Hypercatharses saepe natae a purgationibus etiam lenitivis, quod medicus non inquisiverit, utrum aeger facile aut difficile expurgaretur. 432. A purgantium violentia hodie non metuimus, cum remedium his certissimum, Laudanum, habeamus. 432.
Hypercatharsis insanabilis ab unguentis purgantibus, abdomini illinitis. 447 ad 448.
Hypotheses speculationibus philosophicis innixae, quare omnino sint futiles: illae vero, ex phaenomenorum naturalium et practicorum observatione natae, stabiles manent. 439. conf. 7.
Hypothesis philosophica quaevis in scribenda morborum historia, seponenda. 7.
Hysterica adfectio chronicorum omnium frequentissime occurrit, horumque pars media est. 341. Post febres, morborum frequentissimus. 308. In maribus hypochondriaca vocatur. 345. 348. 507.
— — uteri vitio ab antiquis fuit adscripta: convenit in omnibus cum adfectione hypochondriaca, splenis et viscerum obstructioni imputata. 341.
— — feminas tamen multo crebrius quam mares corripit; licet uterus non peccet, ut voluit antiquitas. 341. Ratio hujus datur. 348. Feminis paucissimis, nisi laboribus adsuetis, parcit: viros quoque sedentarios tentat. 341.
— — quomodo corpus male adficiat et conquasset, adeo ut instar aedis ruinas minitantis tandem corruat. 342 ad 346.
— — animam adhuc magis aegrotare facit quam corpus. 346. Cujus aegritudinis ratio traditur. 346 ad 347. Desperationem de sanitate recuperanda solet in animum inferre. 346. conf. 343. Animi pathemata atrocissima fovet. 346.
— — frigus cadaverosum partium externarum, symptomata praecedens, saepe habet. 345. conf. 349. 352. Et periculum non infert, nisi ab evacuatione enormi fuerit. 349.
— — diagnosin difficilem, prae caeteris quibuslibet morbis, et perobscuram habet. 341.

Hysterica adfectio apoplexiam inducere potest; et in puerperis, magna haemorrhagia passis, vel partu laborioso cruciatis, vel animo commotis, satis frequens. 342. Calculum renum aliquando, aliquando et vesicae, exquisite simulat. 184. Flatus excitare valet hujusmodi, ut abdomen, tamquam ab aquis collectis, intumescat. 441. Flatus jam acidos, jam nidorosos, e ventriculo eructare cur faciat. 345 ad 346. Lacrymas nunc, nunc risum, sine ulla caussa excitat. 345. 352. Lochiorum suppressionem cum diris et letalibus symptomatibus inducit. 373 ad 374. Quomodo occurrendum. 374 ad 376. Podagram, in feminis gracilioribus adolescentibus, vel constantioris aetatis, aliquando mentitur; nam vetulas tantum vel viragines podagra infestat. 392.

— — pulsum sanorum similem sistit, utut aegra strangulari videatur. 349.

— — sudores nocturnos quomodo eliciat. 352.

— — urinam limpidam tamquam pathognomonicum signum habet. 345. 347. 507. Exemplum. 351.

— — salivationem mercuriali similem, quomodo excitet. 351 ad 352.

— — varietate multiformi se ostendit, et nullum non aemulatur adfectum. 341 ad 342. conf. 347. Pro parte corporis quam occupat, symptomata parti competentia statim producit; adeo ut medico sagaci opus sit, ne ista a morbo essentiali hujus illiusve partis penderet arbitretur. 342. 507.

— — caput externum occupans, dolorem vehementem in quadam parte pollice tegenda, clavum hystericum dictum, adfert, praesertim in iis, quae chlorosi laborant. 342. Quid sit iste clavus, et quomodo fiat. 350 ad 351. 508.

— — — — — producit apoplexiam; quae frequens in puerperis, ubi sanguinis multum amisere, vel partu laborioso cruciatae, vel passione animi commotae fuere. 342. Producit spasmos persimiles epilepsiae, qui uteri strangulatus dicuntur; et describuntur. 342.

— — partem quamlibet corporis, sive internam, sive externam, adficere valet. 184. 344.

— — partes externas, ut crura, humeros, manus, maxillas, tibias occupans, nunc dolores, nunc tumores excitat. 344. conf. 342.

— — dentibus non parcit, quos, nulla alia caussa concurrente, crudeliter adficit. 344. 508. In dorso dolorem vehementiorem aliquando excitat. 345. Intestina occu-

pans diarrhoeam excitat cum rejectione materiae viridis, sed sine dolore. 344. Colicam biliosam imitatur, ubi partes colo adjacentes occupat. 184. In colon et regionem scrobiculo cordis subtensam impetum faciens, dolorem similem iliacae passioni aut colicae biliosae infligit, cum vomitu enormi; subsequente dein ictero, paroxysmum quasi solvente; accedente desperatione de recuperanda sanitate. 343. conf. 349. Fit praesertim in laxis, crudisque habitu, vel quae fetus grandiores sunt enixae. 343. Hic adfectus docet morbum ex *ἀταξίᾳ* spirituum ortum. 349. Pulmones obsidens, tussim hystericam excitat, non adeo tamen frequentem, et pituitosas exagitantem. 342 ad 343. In renes incursans parit dolorem, nephriticum paroxysmum omnino mentientem, ut vix an a calculo, an ab hoc morbo sit, nisi aliquando vomitu materiae viridis vel nota adfectione animi distinguentibus, dignoscatur. 343. Ventriculum adficiens vomitiones excitat, rejecta materia viridi, sed sine dolore. 344. Vesicam adficiens calculum aemulatur. 343 ad 344. In vitales partes incidens cordis palpitationes excitat, praesertim in macilentis, vel febre alba pallescentibus. 342.

Hysterica adfectio ubi discesserit a parte adfecta, teneritudinem in ea relinquit, ac si ipsa verberibus fuisset petita. 184. 345. 508.

— — sive vaporum, sive convulsionum particularium partium ratione agat, eodem modo solvuntur phaenomena; et pro parte quam occuparit, symptomata isti parti adcommoda parit: unde plerosque morbos homines vexantes simulat, quamvis sua natura unus idemque morbus sit. 184.

— — in materiae viridis, bili porraceae similis, excretionem, tam *ἄνω* quam *κάτω*, aegros saepe incitat. 349. conf. 343. 344. 350. Hoc tamen, morbum in humoribus horumque acrimonia residere non magis indicat, quam vomitus persimilis, navigantibus in irrequieto mari, vel infantibus in paroxysmis convulsivis superveniens, illud indicaret. 349 ad 350. Nec magis sequitur, quod viride est, acre esse, quam quod acre est, viride esse. 350. Hysterica et hypochondriaca adfectio non a menstruo sanguine, aut semine corruptis, halitus excitantibus; nec a succorum depravatione; nec ab humoribus acribus enascitur. 353 ad 354. Quod si verum esset, purgantia, vomitoria, haemorrhagiae et alia, quae morbum invitant, potius eum fugarent. 354. conf. 350.

Hysterica adfectio caussas procatarcticas, seu externas, adgnoscit: α. corporis et animi motus vehementiores. 347. Sic et in puerperis tenerioribus, nimis cito e lecto surgentibus, invitatur. 373. 374. β. Stomachi vacuitatem ab inedia. 348. Quae et a carnium abstinentia saepe invitatur. 354. 418 ad 419. conf. 352. Unde et carnium usus hocce morbo adfectos restaurat. 353. γ. Evacuationes nimias, sive sanguinis, sive humorum per emetica vel catharsin. 348. Sic a sanguinis jactura ingenti, corpus debilitante, excitatur. 442. Itidem purgantibus allicitur. 441. Sed violentius vomitoriis advocatur. 441. Si vero morbi fomes in aliqua involveretur materia, tum evacuantibus, ut haemorrhagiis, venaesectione, purgantibus, emeticis, non invitaretur, sed contrarium foret. 354. conf. 350.

— — ex uteri procidentia, post partum laboriosiorem. 379. Quomodo curetur illa procidentia. 379.

— — caussas προηγουμένας seu internas efficientes ex ἀταξίᾳ spirituum animal. in hanc illamve partem, nimia copia et nimio impetu, ruentium, unde tum symptomata producuntur, deducit. 348 ad 349. conf. 372. 373. 185. Et quod ab hujusmodi inordinato motu, potius quam ab humorum aliquo vitio, licet ipsos inficere valeat, producatur morbus, caussae occasionales probare videntur. 185. 354. Et argumentis pluribus firmatur. 348 ad 354. Istius ἀταξίας originaria caussa debilior crasis sanguinis. 368. Et praesertim debilior crasis, sive nativa, sive adscititia, spirituum: unde facile dissipantur aut perturbantur hi. 348. 353. eorum systemate fracto et debilitato. 377. 439. 477 ad 478. Et hinc hystericae fere omnes de subsidentia spirituum conqueruntur. 345.

— — ex spirituum debilitate, non nativa sed adventitia, oritur, si mensium fluxus fuerit immodicus, sive in puerperio sive extra. 377. 378. Quid agendum si in puerperio. 377. Quid si extra illud. 378.

— — diuturna humores corporis inficere valet, licet ipsa ex iis non immediate pendeat; eodem modo ac quartana diuturnior. 354 ad 355. Et quinam morbi ab hac humorum depravatione. 354.

— — periculo per se vacat, nisi perversa cura exasperetur. 184. Hinc non letalis sua natura, sed vi malorum subsequentium aliquando necat. 374.

— — curatur, imminuendo prius humores vitiatos diuturnitate morbi, si aegrae vires concesserint; tum corroborando sanguinem, quae praecipua est indicatio: sed si sympto-

mata, ut dolores, vomitiones, diarrhoeae urgeant, nec inducias ferant, anodynis sopiendum, priusquam aliquid peragatur. Symptomata leniri solent mediis, foetida exhalatione spirituum impetum reprimentibus. 355 ad 356. 508 ad 512. conf. 511.

Hysterica adfectio venaesectionem et catharsin quando exigat. 355. 508. 510. Chalybem quandonam expostulet; et qua ratione hicce adsumatur. 356 ad 360. 508. 509. Theriacam Andromachi non denegat pro roborando. 364. 511. Corticem peruvianum auxiliatricem novit. 364 ad 365. 511. Foetidis quomodo delectetur; quaenam illa sint. 369. Clysterum frequentiorem usum renuit. 213.

— — chalybe si curari nequit, aquae minerales adeundae. 363. 510. Quae si necdum juvant, aquis sulphureis calidis utendum. 364. 510.

— — lacte solo, omnibus aliis frustra tentatis, saepe curata fuit intemperamento bilioso ac tenui. 365 ad 366. 511 ad 512.

— — levior, sine venaesectione, catharsi, chalybe, sed solis pilulis hystericis saepe curatur. 362.

— — extra paroxysmum quomodo tractanda, ut caussae originariae occurratur. 355 ad 367.

— — in paroxysmo quomodo tractanda. 368 ad 377. 511.

Hystericae aliquando ita abhorrent a medicamentis hystericis, ut ex iis in vitae periculum conjiciantur: quae tum omittenda. 362 ad 363.

In hystericae adfectionis curatione quibusnam formulis remediorum usus fuerit auctor. 360 ad 361. 508 ad 512.

Hystericorum adfectuum classi rheumatismus scorbuticus fere referendus videretur, nisi ipsum remediis hystericis minime cessisse comprobatum fuisset. 243.

I.

Ialapa radix in gonorrhoea virul. saepius sola pauperibus profuit. 291.

Ichor in gonorrhoea virul., qui mane praesertim, urinae ardore et stillicidio disparentibus, in summitate colis, digito compressi, guttatim adparet, non est a debilitate, ut vulgo putant, sed a reliquiis contagii, minima occasione, uti post nimiam potationem, exercitium validius, novas tragoedias excitantibus. 292.

— in variolis confl. loco puris, si sanguis exaestuet, adparet. 325.

Icterus ex colica hysterica, nullis catharticis, vel solo Rhabarbaro, curandus; et quare. 186. Si pertinaciter adhaereat, quomodo curandus. 186. 543.
— a lecto nimis quam par est abstinendo, in febre epid. an. 1673. ad 1675., aliquando, sed raro, et in declinatione morbi oriebatur; hinc tum potius lecto decumbat aeger; et quare. 194.
— ut curetur. 186 ad 187. 544.
Idiosyncrasiae in adfect. hyster. curatione ratio habenda. 362.
Ignis sacer qualis morbus apud saniores medicos. 89. Fere ut pestilentia invadit. 89. 90.
— — Latinorum, pestis imago non obscura videtur. 89. Suspectus de malignitate auctoribus, ex methodo tractandi liquet. 90. A peste quomodo differat. 90.
— — naturae ope discutitur in corporis partem quamdam externam, specie tumoris (vel eo deficiente macula rubra rosa dicta) ad alas et inguina, haud secus ac in peste, sicque solvitur morbus critice. 89.
Ileus seu iliaca passio quid sit, et quomodo fiat ex intestinorum inverso motu. 56. 540. Hujus inversionis caussa duplex; vel obstructio, scilicet, vel irritatio. 57.
— duplex ponitur, verus scilicet, tum iliaca adfectio notha. 57.
Ileus verus tamquam febrium continuar. symptoma; quomodo excitatus. 57.
— — totius tractus intestinorum, a ventriculo, choream ducente, ad majora intestina usque, inversum motum ponit. 57. Hinc clysteres per os rejiciuntur. 57.
— — habetur Sydenhamo, qui ex humoribus acribus, primo ventriculum invertentibus, nascitur. 57. Eum curandi methodus nulla fere cognita auctori habebatur. 57.
— — qua methodo ab auctore tractetur. 57 ad 58.
— — ex usu argenti vivi et globulorum, plus mali quam boni accipit. 57.
— colicam biliosam insequens. 178.
— a calefacientibus, in febre nova epid. quomodo excitetur. 474. Non ut de torminibus ventris dictum (471), tractandus ac ipsa febris: nam ultra unam venaesectionem progredi nequit medicus, et cathartica emetica fiunt. 474.
— hicce curatur, si post venaesectionem, clysma ex fumo Nicotianae exhibeatur, tamquam optimum. 474. Quo non juvante purgans fortissimum exhibendum. 475. 541. Sublato morbo, quamdiu a purgatione abstinendum. 475. Paregorica quando exhibenda. 475. conf. 541.

In ileo vero primo erit corroborandus ventriculus, quam exhibendum catharticum, quod alias emeticum fit. 58. 178. 541.

— — catulus vivens nudo ventri quamdiu accumbendus. 58.

Iliaca adfectio notha vocatur Sydenhamo illa, quae ab obstructione fit; quia in hoc casu motus contrarius ingestorum, potius quam intestinorum, est habendus. 57. Non totius intestinorum ductus, sed illorum tantum, quae supra sedem obstructionis sunt, inversionem ponit. 57.

— — ab hysterica adfect. in laxis et crudis habitu, vel foetum grandiorem enixis, ictero quasi solvitur, subsequente desperatione de recuperanda sanitate. 343. conf. 349. Hic adfectus docet morbum ex *ἀταξίᾳ* spirituum ortum. 349.

In iliaca passione cathartica medicamenta in emetica transeunt, nec non enemata. 58. 178. 540.

Imaginationis laesae per cardiaca restitutae exemplum. 81.

Indicationes curativae bonae ac certae, non ex speculatione naturae principii corporis, sed ex observatione exquisita *φαινομένων* morborum, et eorum, quae ex juvantibus et laedentibus sequuntur, tum et remediorum, atque medendi methodi, qua utimur, tandem inter se diligenter collatorum, petuntur. 439. Hinc ad phaenomena naturalia morborum diligenter advertendo, maxime eliciuntur, et verae. 2. Adeoque symptomatum peculiarium perceptione deprehenduntur. 9. Et quidem ex minutissimis morbi circumstantiis. 9.

— — ex caussis conjunctis et proximis, quae solae a nobis cognosci possunt; non ex remotioribus, quae inscrutabiles, sunt mutuandae. 12. Quod demonstratur. 12 ad 13. confer 13 ad 14.

— genuinas plus praestat solertes veros medicos expiscari, quam remediis excogitandis inhaerere. 17.

Indigestio illa morborum chronicorum quid sit, in corpore ipsam considerando. 403 ad 404. Quod argumentis stabilitur. 404 ad 405.

— humorum podagrae primaria caussa. 415.

Infantes convulsivi materiem biliosam viridem, similem isti hystericarum, *ἄνω καὶ κάτω* rejiciunt. 350.

— corticem peruvianum quomodo adsumere possint. 267.

— evacuantibus vexati quomodo restaurandi. 358 ad 359.

— febre, sive tertiana autumnali, sive quartana, laborantes, sanguine depuratione sua defuncto, sponte sanantur saepis-

sime. 74. Et tenelli de febre quartana in cunis saepe triumphantes jacent. 65.
Infantes purgantibus, in tumore abdominis, saepe repetitis, quamplurimi interempti. 359 ad 360. Hujus tumoris et duritiei medela per linimentum. 79.
— ubi spasmis corripiuntur, qui a dentitione non amplius procedere possunt, de variolis, morbillis, aut febre scarlatina, cogitandum. 322. 526.
— in variolis multum dormiunt. 325. 326.
— — — confl. quali sustentantur diaeta. 130.
— — — — diarrhoea adficiuntur, uti salivatione adulti 113. et 129. Diarrhoea tamen non ita certo ac salivatio discruciat. 114. 528. licet certo satis. 129.
— — — discretis erupturis, epilepticis paroxysmis ubi adficiuntur, semper variolae boni moris et majores indicantur. 108. 526.
— — — — sudoribus, ut adulti, neutiquam vexantur. 108. 526.
Infantium febres intermittentes cessuras, ex tumido et indurato horum ventre constat. 79.
In infantibus venaesectio aeque tuta et necessaria aliquando est, atque in adultis. 169. 170.
Inflammatio tonsillarum, vid. tonsill. inflamm.
— specialis variolas constituit. 117.
— in variolis, in interstitiis pustularum, octavo die incipiens, bonum; si cito recedit, malum. 110. 114 ad 115.
Infusum corticis peruviani, cum vino Rhen. 266. 515. Hujus unc. iv., corticis in substantia drachm. unius virtutem continent. 266.
— rad. Serpent. virgin. contra tertianas, cum vino albo. 515.
Infusio Croci metallorum, in hydrope praesentissimum medicamentum in iis, qui aegre purgantur. 435. Ad quam dosin exhibenda et iteranda. 435 ad 436. conf. 440. Quomodo operetur. 435. Quaenam ipsi purgantia nonnumquam, et quando admiscenda. 435 ad 436.
Ingravidatio saepe habetur, quod nil nisi vel carneae excrescentiae in abdomine, vel flatus distendentes, praecipue in viduis vel sero nubentibus, sunt. 431.
Inquietudo, in variolis discretis, et vigiliae, phrenitidem minitant. 126. Paregorica ibi indicantur, et juvant. 126.
Insania ex lochiorum suppressione ab hysterica adf. in puerperis teneris, nimis cito surgentibus. 373 ad 374.
Intercurrentes febres, vid. febres intercurrentes.

Intercurrentes morbi acuti, videantur morbi sporadici.
Interstitia pustularum, in variolis discretis, die octavo inflammantur, et colorem rosarum Damascen. aemulum exhibent; si e contra albescunt, malum. 110. 114 ad 115. confer 206. 526.
Intumescentia faciei et manuum in variolis, frigore nimio decedit. 205.
— faciei ac manuum in variol. nigris pessimis 1674. itidem salutaris. 208.
Injectiones in gonorrhoea virul. praesertim acres, ab auctore non commendantur. 294.
Inunctio in lue venerea ad salivationem excitandam, ex quibus et quomodo, et quamdiu, fieri debeat. 297. 299 ad 300.
Julapia refrigerantia salivationem in febre variolosa inferunt. 136.
Julapium in apoplexia. 533. Cardiacum. 505. Roborans in chorea sancti Viti. 469. 532. In dysenteria cardiacum. 155. In febre hyemali. 452. In febre tertian. dupl. corroborans. 72. In febre nova epidem. unum et alterum. 465. Ex cortice peruv. in febre nova epid. pro infantibus. 476. Ex cortice peruviano pro infantibus in febr. intermitt. 267. Diaphoreticum in pestilentiali febre. 102. In febre contin. variolosa. 139. In haemorrhagia narium quale debeat esse. 250. In hysterica adfect. 360 ad 361. Cardiacum in languore febrili. 45. Ad lochia suppressa ex hysterica adf. 375. Adstringens in mensium fluxu immodico. 378. In mictu cruento. 336. Adstringens in mictu sanguineo in variol. confl. 492. Perlatum. 505. In pruritu ferino. 247. In rheumatismo refrigerans et incrassans. 240.
Juscula avenacea omnibus anteponit auctor. 47.
— — et hordeacea in febr. contin. 46. 47.
— — in variolis confl. 332.
— farinosa, non carnea, in morbillis conducunt. 168 ad 169. In morbill. anom. an. 1674. commendanda. 201. In rheumatismo proponuntur, carnea rejiciuntur. 240.
— in dysenteria, ex ovinis carnibus. 155.
— in febr. tert. duplici qualia exhibenda. 72.
Jusculum in cholera morbo. 148.
— avenaceum in podagra non regulari tempore paroxysmi commendatur. 418.
— — in podagra, idem fere praestat, ac lactis solius usus. 409.

Juniores aetate febrem quartan. quomodo ferant. 65.
Juvenes athletico habitu, et sanguinei, in febribus illico venaesectione, ne periclitentur, indigent. 37.
— diuturno morbo confecti, pueri, senes, venaesectionem in febribus vetant. 36. Et quare. 36. 37.
— hydropem sibi, in febribus autumn., usu nimio et inconsulto catharticorum, accersere possunt. 78.
— podagra genuina non adficiuntur; licet qui ex podagricis nati, illa aetate aliquid praesentiant. 392.

K.

Kendrick, M. D., auctori amicissimus. 380.

L.

Lacrymae ex hysterica adf. sine ulla saepe caussa. 345. Etiam in viris. 352.
— in morbillis certissimum horum ingruentium signum. 166.
Lac cerevisiatum, vid. zythogala.
— crudum tepefactum, in dysenteria quando exhibendum. 158.
Lactea diaeta in hysterica adf. quando usurpanda, in temperamento bilioso et tenui; et ubi narcotica saepius repetita, ubi recidiva fit colicae hyst., non amplius juvant. 365 ad 366. In quibusnam non conducat. 366. In podagra. 408 ad 409. Qua ratione magis obest, quam prodest. ibid.
Lactis natura et proprietates, respectu nutritionis et instaurationis. 365 ad 366.
Lactis serum, vid. serum lactis.
Laudanum nimis repetitum digestionem vitiat, et functiones naturales debilitat. 370. Ubi frequentius exhibetur, intra singulas doses tantum spatii interjiciendum, ut quid prior praestiterit, ante noscamus, quam aliam repetamus. 371. Ejus usus non immediate nervis nocet. 370.
— ad corticis peruviani vim purgativam sistendam. 265. In infantibus. 267. Dysenteriam, ex torminibus ventris in febre nova epid. obortam, celerrime et certissime sistit. 473. In dysenteriis epid. prius evacuationes instituendae. 473 ad 474. In hypercatharsi, a nimia purgatione, certissimum est remedium. 432. In hystericae adf. paroxysmo, ubi dolor urget, quanam cum circumspectione exhibendum; et an ipsi evacuationes praemittendae vel non,

et quando. 369 ad 370. conf. 371. 511. Ubi vomitus enormis, illico exhibendum, pro ratione symptomatis. 370. 371. Exhibitum semel, continuandum in ejus usu, donec symptoma debellatum; sed interim evacuantia nulla adhibenda, ne motu excitato symptomata revocentur. 370 ad 371. In nephritico paroxysmo post venaesectionem et enema. 500. In podagra inveterata, si dolor intolerabilis. 423. In podagrae inveteratae paroxysmo, ubi mortis metus ex recessu materiae. 421. Podagrae paroxysmum a purgantibus oboriturum reprimit: quod auctori in mentem nondum venerat, dum tract. de podagra scripsit. 497. Ad vomitum compescendum in corticis peruviani usu. 265.

Laudani liquidi auctoris descriptio. 157. Quare aliis formis sit praeferenda. 157. Hujus guttae xvj idem valent ac syrupi de Meconio unc. un. 329.

Laudanum liquidum, ad diarrhoeam in salivatione mercuriali. 298. In variolis ad epileptic. adfectus infantium. 322.

— — in infantibus dosis. 322.

Laudanum solidum Londinense, quare anteponatur Laudano liquido, et syrupo de Meconio. 493. Illius dosis. 493.

Laudano liquido auctor tandem anteponit syrupum de Meconio, in variolis. 326. Laudanum liquidum tamen propinandum, si syrupi frequentior usus nauseam creaverit. 329.

Lecti calor non prodest in usu corticis peruviani pro fuganda febre. 428.

— — febres intermittentes in continuarum speciem transmutare valet. 260. 265. Et corticis peruviani salutarem effectum turbat. 266.

— — nimius in febre erysipelatosa rejicitur. 246.

— — quomodo sanguinem exagitet, et in caput mittat. 467.

— — in variolis morbum ferociorem reddit. 141.

Lecto in angina quotidie abstinere quare debeat aeger. 249. In comate febrili abstinendum, vel cum vestibus incumbendum. 467. In haemorrhagia narium, quotidie per horas aliquot abstinendum. 250.

— defixi aegri, febribus continuis laborantes, post purgationem adsumtam non amplius detineantur. 47. Ex eo surgendum quotidie in febre epid. an. 1673. ad 1675., et si debilitas vetat, vestibus indutis ei incumbendum, capite elato. 194. Si nimis tamen abstineant, praesertim in declinatione morbi, quid fiat. 194. Hinc caveant, ne nimis pro una vice surgant. 194. In febre hyem. seu nova epidem. non incarcerandi aegri; non sine periculo etenim

detinentur in eo. 461. conf. 452. Miliares eruptiones exinde nascuntur. 461. In febre scarlatina perpetim non adfigatur aeger. 227. In febre variolosa non continendus aeger. 139. Licet sudoribus aeger vexetur. 139. Femina illico addicenda, simulac lochia suppressa. 375. In mictu sanguineo abstinendum. 336. In morbillis quando et quamdiu aeger adfigendus; non tamen praeter modum tectus sit. 168.

Lecto in morbillis an. 1674. addicebantur. 201. Indesinenter adfigi, praesertim aestate, in omnibus morbis inflammatoriis, per venaesectionem et refrigerantibus curandis, nocuum. 139. In phrenitide instante, vel jam calefacientibus invitata, in febre nova epidemia, abstinendum, vel cum vestibus decumbendum. 467. In pleuritide quotidie pro viribus eximendus aeger; quod plurimi momenti, quin alias medicamenta vix proficiant. 233. In pleuritide, praesertim aestate, non continendus aeger. 139.

— in rheumatismo, praesertim aestate, non continendus aeger. 139. Sed aliquot horis de die abstinendum. 240. Abstinendum in tussi epid. quotidie, ubi febris etc. adsunt. 213.

— in variolis primis diebus non adfigendi aegri. 315. 125. Et illi non addicendus aeger ante eruptionem pustularum, et priusquam hae integre in conspectum se dederint. 309. 323. Lecto ante diem quartum pertinaciter addicere aegrum, aeque malum, ac intempestive cardiaca ingerere. 124. Junioribus praesertim, nimis cito illo adfixis, symptomata letalia, ut mictus sanguineus, maculae purpureae, oboriuntur. 124. Sed eo primis diebus abstinere maculas purpureas et mictum sanguineum praecavet. 320. conf. 124.

— in variolarum initio, quibusnam symptomatis praesertim abstinere cogatur aeger. 323. Quid tunc agendum. 324.

— in variolis abstinendo primis diebus, eruptio, negari nequit, utcumque impeditur; quae tamen sufflaminatio, et symptomata inde sequentia, tutius feruntur, quam mala, ex pustularum, et inde subsequentis puris abundantiam oboritura. 316. conf. 318. 323. Lecto in variolis adfigere aegros incautioribus necesse videbatur ideo, quia sudores, in quos ipsi proclives, manantes febrilem aestum levabant; quod tamen ipsum letalitatis saepe caussa fuit. 318.

— in variolis, post venaesectionem, aegrum committere pessimum. 315.

Lecto in variolis quo die addicendus aeger. 124. 309. 312. 323. 531. In variolis, initio, etiam ante eruptionem, quandoque addicendus aeger. 322. Infantes primis diebus tutius committuntur, ubi convulsiones praecedunt; quia post eas raro multum confluunt variolae. 323.

— — commissi qua ratione ibi se gerere debeant, respectu motus vel quietis, copiae stragulorum, atque sudoris. 332. 531.

— in variolis anomalis discretis, quandonam addicendus. 177. Quare addicebatur. 205. Lecto quandonam adjudicandus in variol. anom. nigr. pessimis. 206.

— in variolis confl. primis diebus non adfigendi aegri. 315. 316. 317. 318. 320. Et ubi, initio, eas confluentes fore praevidemus, non nisi nocturno tempore committendus aeger; et quare. 324. Atque, ut minori copia prodeant et coeant, non nisi sexto die ab invasione aegrum addicendum, quomodo natura digito monstret. 312. 324 ad 325. 488. Nec abstinere die sexto aegri amplius valent. 334. A die sexto in eo se contineant usque ad decimum septimum. 531. Infantes in cunis nunc jaceant, nunc istinc auferantur. 130.

— — — — aeger adjudicandus, tam ad promovendum manuum et faciei tumorem, quam pustularum elevationem etc.; sed modice tegatur, et corpus hinc inde transferat, ad sudores vitandos, praesertim exeunte morbo, adpetente jam febre maturationis. 127. conf. 531.

— in variolis discretis oborituris, an primis diebus abstineant vel non, idem erit. 318.

E lecto surrectionem quaenam contraindicant. 323 ad 324.

In lecto decubitus nimius pustulas variolarum pejores reddit. 125.

Lectuli, initio in variolis, nimius usus quomodo morbum exacuet, et pustularum numerum adaugeat. 124. 314.

Lectulus in podagrae inveteratae paroxysmo exercitii defectum aliquatenus supplet. 420. Quandonam, exercitio dimisso, aeger in eo fovendus, adhibita tenui diaeta. 420. Quandonam vero ipse ille decubitus enecat. 420.

Lectum podagrici hyeme mature petant. 413. Hoc enim, bruma praesertim, solis vicem gerit. 414.

— puerperis tenerioribus quodnam emolumenti adferat. 374.

Lepra morbus est ex iis, qui olim exstitere, jam occiderunt, vel aetate confecti exolevere, et raro comparent. 209. Apud medicos depingitur, ac si esset lues venerea, respectu crustularum latiorum partes occupantium. 289.

Lienis regio infantium, in febr. autumn. intumescens febris fugam praenuntiat. 79. Intumescentiae hujus descriptio. 80.

Linctus in febre hyemali. 452. In pleuritide essentiali. 232. 519. In tussi. 562. Incrassans. 506. Ad tussim in morbillis. 169.

Lingua nigra et sicca in febr. contin. 1661. etc. 34. In febre hyemali alba. 451. Arida, si male tractetur. 452. In febre nova, hyemali, quomodo se habeat. 462. In febre variolosa qualis. 135. et 141. In febre variolosa a regimine calido quantum mutata. 141. In variolis regularibus incipientibus similis ac in febre variolosa. 136. sed vide 135.

Linimenta in hydrope, abdomini illinita ad discutiendum, nec obsunt, nec prosunt. 447.

Linimentum in pleuritide ad latus inungendum, superimponendo Brassicae folium. 232. 519. In pruritu ferino. 247. 523. In rhachitide. 79. 555. In tumoribus abdominis infantium, ex rhachitide vera, vel ex scrophulis. 359. Hoc etiam axillis adfricandum. 359. Ad ulcus glandis, vel praeputii, *φλυωσιν* creans. 295. 550.

Linteamina lecti, pro phthisicis equitantibus, calefacta esse debent. 368.

Linum crudum in podagra ad partem adfectam leviter ustulandam, idem praestabit ac moxa. 424.

Liquor in febre erysipelatosa parti laesae adplicandus. 245.

— niger in variolis confluent, loco flavi humoris, si sanguis exaestuet, effluit. 325.

Liquores generosi in hydrope, modo non sint spiritus destillati, morbum incipientem saepe soli curarunt, praesertim si aromaticis impraegnati fuerint. 445. 547. 548. Liquores refrigerantes et tenues, licet aegris ob sitim grati, quare non concedendi. 445. Et si eorum usui indulgendum sit, parce iis utendum. 446.

— spirituosi in tussi epid. 1675. vitandi. 212. 215.

— in variolis anom. temperantes, et salivationem promoventes. 174. 175. 176.

Lochia supprimuntur per hystericam adfect. in puerperis tenerioribus excitatam, quod nimis cito e lecto surgant. 373. conf. 374. Suppressa per hystericam adf. dirissima symptomata, cum magno vitae periculo, inducunt. 373 ad 374. Quomodo occurrendum. 374 ad 376. conf. 545 ad 546. Quibus indicationibus tum satisfaciendum. 374. Medicamenta fortiora non usurpanda, nec in mitiorum usu

perseverandum. 374. Ubi emplastro, emmenagogis, paregoricis, enemate, adplicatis, non redeunt, nihil amplius agendum; sed tempori res committat prudens medicus. 375 ad 376.
Lochiorum fluxus nimius quomodo sistendus. 545.
Lock (Johannem) elogiis quibusnam dignum censuerit auctor. 4.
Lucianus in τραγοποδάγρᾳ podagrae personam introducit eos adloquentem, qui arcana habere jactant. 425 ad 426. Tum et eos, qui cum eo morbo diu conflixere. 427.
Lues venerea, ex India occidentali an. 1493. primum in Europam adpulsa, antea cognita non erat. 286. Endemius morbus Americanis putatur: sed auctor potius e regione aliqua Nigritarum Guineae conterminorum ortum putat; quia morbus illis populis, luis nostrae simillimus, et forte idem, Yaws dictus, endemius est. 286. Hinc Hispani in America videntur hanc contraxisse ex Africanis ibi delatis. 286.
— — non ea celeritate ac ante grassatur: quod si foret, exstincta brevi esset gens humana, vel in nosocomiis langueret. 287. Sed instar vegetabilis transplantatae, Europaeo solo non laetata, languet indies. 287.
— — in initio symptomatis quibusnam prodierit. 287. Gonorrhoeae virulentae specie, ulcusculis in pudendis aliquando concomitantibus, a centum retro annis se primum ostendit: per quam, ni virus probe ejiciatur, sanguinem inficit. 287.
— — propagatur vel per generationem, vel per contactum; quod aut lactatione, aut concubitu in eodem lecto, praesertim in infantibus, raro in adultis, tum coitu fit. 287.
— — oritur saepe a gonorrhoea virul. diuturniore; vel a materia virul. adstringentibus intempestivis coërcita. 289. 295. Facile illos aegros adoritur, quorum corpora, ubi gonorrhoea laborant, catharticis fortius obsistunt. 292.
— — crustulas et porrigines in variis partibus, sed flavescentes, et aliquando latiores, uti lepra describitur, habet. 289. Et quo majori copia adsunt, eo dolores in corpore minores. 289 ad 290. 550 ad 551.
— — dolores, in initio, quosnam, ejus praesentiam designantes, habeat. 289. Dolores, progressu temporis, quales habeat. 290. 551.
— — exostoses, excrescentiis in tibiis equorum similes, habent. 290. 551. Ulcera phagedaenica, temporis progressu, quaenam, et ubi habeat. 290. 551.

Lues venerea symptomata quaenam in summo gradu habeat. 290. 551.
— — cujus naturae, quam essentialem vocant, sit, ignorat auctor. 290. Videtur inflammationis particeps. 290.
— — quomodo curanda veniat, nonnulli indicare aequum non aestimant. 285. Auctor contrariae est sententiae. 285 ad 286.
— — evacuantibus curari vult; qualem quoque vim possident, quae huic curandae primaria. 290. Et ut a gonorrhoea adhuc longe distat, sic evacuatio, qua haec ejicitur, differre debet. 291.
— — per salivationem ab hydrargyro tantum exstirpari posse, ubi confirmata, putat auctor. 296. Haec autem quomodo instituatur. 297 ad 303. 551. Si gonorrhoeam comitem habet, prius salivatione tollenda lues, tumque gonorrhoea facilius curatur. 301.
— — specificum nullum habet remedium, cujus ope sine evacuatione curetur. 290. Hincque sudorifera quaelibet aeque valent ac ligna illa exsiccantia: et si aliud medicamentum daretur, quod salivationem moveret, pariter ac Mercurius ad sanandam luem valeret. 290 ad 291.
— — quare in Gallia facilius sanetur, quam in Anglia. 302.
— — non sanatur Mercurii aut Sarsaparillae virtute specifica, sed vi evacuandi. 92. et 290.
— — recidivam unde habeat. 298.
Lumbago rheumatica rheumatismi species est, licet vulgo non credatur. 239. Describitur. 239. Ejus curatio eadem ac rheumatismi. 239. etc.
— — nephriticum paroxysmum mentitur, excepta vomiturition. 239. Ejus dolor imponit medico, tamquam sabulum vel calculus adesset. 239.
— — caussam materiam rheumatismi inflammatoriam, eas solas partes urentem, agnoscit. 239.
Luxus animo et corpori quantum laedat. 410 ad 411.

M.

Macula gonorrhoeae virul. initio, vid. pustula.
Maculae in febre scarlatina quales, et ut a morbillis differant. 227.
— purpureae, unde. 481.
— — et petechiae, tum virium subita prostratio, signa habentur malignitatis, quae phaenomena solvuntur ab auctore. 481 ad 482.

Maculae purpureae febrium augentur calefacientibus, et contra. 217.
— — in febre nova, hyemali, a calefacientibus. 461. 466.
— — — — scarlatina, quando. 315. 320.
— — — — variolosa, ptyalismo disparent. 141.
— — in morbillis quando. 315. 320.
— — — — venaesectione et refrigerantibus sublatae. 170.
— — pestis sub adventu. 481.
— — in peste praesentanei interitus nuntii, raro sine febre contingunt. 87.
— — — — vera bubonibus retrocedentibus succedentes, certissimi mortis indices. 93 ad 94.
— — — — ob venaesectionem non satis iteratam, cur erumpant. 101.
— — in variolis, interspersae pustulis, mortis praenuntia, aeque ac in peste. 116. 310. 492. Confluentes utplurimum comitantur. 310.
— — — — confl. ubi mictus sanguinis vel sputum sanguineum, adesse solent. 492. Aliquando, vix adhuc adparentibus, vel paucis modo variolis, comparent, et praematuram mortem accersunt. 310. In variol. confl. an. 1681. eruptionem saepe praeveniebant. 309 ad 310.
— — et mict. sanguineus in variolis unde. 315. 481 ad 482. 492. Caussa harum vel constitutio aëris favens. 116. 109 ad 110. Vel a lecti saepe calore; praesertim in junioribus. 124. Vel ex regimine calido. 133. 410. Tum ex sanguine inflammato. 481. In variolis a regimine calido, praesertim aestate, et in juvenibus. 314. Quomodo fiant. 314. In variolis an. 1681. ex siccitate anni inaudita. 309 ad 310. Avertuntur venaesectione tempestiva, vel regimine temperato. 133. 320. 482.
— — et mictus sanguineus, regimine temperato non curantur amplius, ubi jam adsunt. 315.
— rubrae in morbillis, unde. 167.
— — — cutis aequabilitatem nulla eminentia sensibili transgrediuntur. 167.
— — — quandonam recedant. 167 ad 168.
Magnitudo morbi, in variolis confluentibus, pro quantitate et more variolarum, quae faciem, non quae reliquum corpus obsident, aestimari debet. 112. 528.
Malignitas in morbis, quid. 215 ad 218. confer 481. In epidemiis plerisque satis conspicua, et cum veteribus, tum etiam neotericis notata, quomodo ab auctore intelligatur.

215 ad 218. Hujus quaenam signa haberi soleant. 481 ad 482.

Malignitas morbi non in omni specie per sudores eliminatur, licet in peste propter subtilitatem partium fieri queat: nam in morbis ubi sunt minus subtiles, et crassioribus inviscatae, diaphoreticis adgravantur mala. 216. Quaelibet in morbis, evacuatione eadem, qua morbus ipse epidemius, cui inhaeret, tollitur; sive id fiat per sudores post concoctionem, ut in autumn. intermitt. vel continuis; sive per alias vias ut in variolis per abscessus; sive per artis praesidium evacuationes fiant. 217 ad 218.

— morborum in quibusnam partibus, quae in propriam indolem illas, quae obsistunt, inflectunt et adsimilant, consistat. 216.

— aliquando plus a therapeia perperam administrata, quam a venenosa morbi indole, proficiscitur. 48. 84. conf. 452. Hujus rei ratio. 85.

— — per sudorifica, aliaque calida medicamenta, nonnumquam augetur. 216. 481. Et saepe contemperantibus edomatur. ibid.

Malignitatis notio vel verbum, ab hominibus inventum, ipsis pyrii pulveris inventione letalius fuit. 481.

— praesentiam medici petunt vel ex maculis purpureis et petechiis, vel ex virium prostratione, ubi febris symptomata non vehementiora. 481 ad 482.

Malthus, pharmacopola, rheumatismo laborans, sero lactis curatur. 278 ad 279.

Mane corpus magis firmum et robustum cur sit. 413 ad 414.

Mania communis. 82. 559. In vegetis hominibus oritur. 82. Caussa ejus nimis exaltata et vivida sanguinis crasis. 81. 559. Curatio hujus diversa longe ab illa alterius speciei a debilitate. 82. Quomodo instituenda. 82. Absolvitur α. evacuantibus, ut humores a capite derivarentur. 82. 559. Sed β. quae cerebrum ac spiritus roborant, non omittenda. 82. Hinc roborantibus utendum. 82.

— peculiaris ac sui generis, a debilitate, post febres intermittentes, quartan. praesertim, ex perversa medela, evacuationibus nempe, nimis diu protractas, aliquando nascitur, in stultitiam nonnumquam degenerans. 64. 80. 559. Hujus apud auctores nulla mentio. 80. Ejus a mania communi differentia respectu caussae plane oppositae. 81. Evacuationes, ut venaesectionem et catharsin, uti alia amentiae species, non fert. 80 ad 81. Verum ab illis vires sibi adquirit. 80. Immo ex solo enemate e lacte

saccharato fere sanata recrudescit. 81. Ejus curandae modus. 81. 559. Metus hic a febre, ob regimen calidum, vanus. 81. Quomodo aliquando pro ratione virium incrementi recedat. 64.

Mania particularis altera, debilitate, febribus non praegressis, ex frigido et infirmiori temperamento. 81. Curatur eadem methodo ac altera particularis species. 81. Exemplum in gravida. 81.

Manna quid sit. 495. Lithontriptica vi quare prodita existimetur ab auctore. 495. In calculo purgans lithontripticon: in podagricis tamen non innocuum, nisi insuper paregoricum adsumatur. 496. 497.

— quomodo adsumta in mictu sanguineo a calculo, ab auctore. 496.

— in aquis mineral. catharticis adsumta, in calculosis, quomodo noceat. 499. Cum sero lactis et succo limonum, in calculo, usurpatur ab auctore, cum levamine. 495. Et ad menses singula hebdomade iteratur; dein bis in septimana adsumitur. 496.

Manus, in variolis confluentibus, intumescere solent, cum faciei tumor et salivatio cessant. 113 ad 114.

Mapletoft, M. D., auctoris in medendo socius. 208.

Mares hypochondriacae adfectioni minus obnoxii sunt quam feminae. 341. Ratio hujus redditur. 348.

Martialia, vid. chalybeata seu chalybs.

Materia febrilis in intermittentibus quando adgregetur. 263.

— excreta post febrilem commotionem, vitiosa esse potest, licet sanguis antea bonus. 36. Expellitur quoque, quia natura ejus consortium ferre amplius non potest. 37.

Materiae febrilis concoctionem promovere quid, re ipsa, sit. 44.

— — concoctae signa post dies tredecim vel quatuordecim adparent. 277.

Materia medica cur adeo immensa. 7.

— morbi in podagra irregulari, in paroxysmorum intervallis, numquam perfecte dissipatur. 389.

Materies viridis bili porraceae similis, in hysterica adfect. saepe rejicitur. 343. 344. 349. 350. Et licet purgantibus fuerint detersa intestina, tamen paroxysmo ingruente talis subsequitur materies: immo quo frequentius haec fuerint exhibita, uti et vomitoria, eo uberior istius materiae seges. 350.

Maturatio variolarum discretarum regular. octavo die incipit, et quibusnam cum symptomatis. 109.

Maturationis febris seu secundaria vel et putrida dicta, in variolis confluent. 127. 175. 486 et sequ.

Meatus coeci ex abdominis cavitate in intestina dantur. 436.

Medendi necessitas, ante secula uti jam cur habita. 5.

Medica ars, vid. ars medica, vel medicina.

Medica praxis si scribendi vel docendi ordinem respicias, ex hypothesibus orta licet videatur; nihilominus ipsae hypotheses, si modo regulae certae ac solidae fuerint, praxi originem debent; quod exemplo confirmatur. 439.

Medicamenta praestantissima a natura praecipuas vires accipiunt, cum ipsa illas suo igne elaboret atque evehat; quod docent cortex peruvianus, et opium. 357.

— specifica quaenam intelligenda juxta auctorem. 14 ad 16. Quo simpliciora eo meliora. 400. Specifica nulla, uno cortice peruviano excepto, cognita. 15.

— ad morborum magis insignium curationem, in patrio cujuslibet solo data, verisimile videtur. 16.

— ex plantis desumta, reliquis, uti ex animalibus nimis naturae nostrae similibus, vel ex mineralibus nimis distantibus, palmam praeripiunt. 16. Ex alia tribu desumta prodesse tamen possunt. 16.

— simplicia adeo tradit auctor, ut ad materiam medicam vix possint referri; et ab Hippocratis methodo in eo non deflectit. 17 ad 18.

— simpliciora a levioribus tantum ingeniis vilipenduntur. 279.

— vilissima quoque habita hominibus, ab orci faucibus liberandis, quomodo inservire queant, si medici solertia dirigantur, exemplo comprobatur. 279.

— optima chemicorum, nimis officiosa horum sedulitate enervantur saepe. 357.

— calidiora, in febribus continuis, quando concedenda. 43. et vid. 44.

— concoctionem materiae febrilis promoventia, medicis dicta, non intelligit Sydenham. 44.

— refrigerantia et clysteres in caussa aliquando sunt, quo minus despumatio febrium spatio 336 horarum, h. e. 14 dierum, persolvatur, sed in longum evagetur. 69.

— — febrem continuam, ad diem decim. quart. soluturam, in vigesimum diem et ultro, protrahunt. 44. 49.

— hysterica roborantia. 359. Hysterica foetida quaenam

dicantur. 356. 368 ad 369. Dum roborantia adhibentur interim exhibenda. 360.
Medicamenta hysterica quaedam sunt naturalia ex plantis et animalibus; quaedam artificialia, ut praesertim spiritus foetentes, ex animalium partibus, qui omnes creaturae ignis sunt. 369. Medicamenta hysterica, ubi feminae ab iis abhorrent, sunt omittenda. 362. Diutius agunt, si forma solida, quam si liquida deglutiuntur. 360.
— roborantia in hydrope loco purgantium, quando necessaria. 443.
— in morbis chronicis, digestiva, sunt tam pharmaca, quam victus ratio, exercitatio, et similia. 400. 405. 407. Quaecunque fuerint, plus praestant, quam quis existimare possit. 405.
— — — — eadem sunt, quae in podagra. 405.
— in chronicis plerisque, aeque ac in podagra, ex calefacientibus quae amarescunt, vel linguam leviter feriunt, quare conducant. 402. conf. 405.
— pharmaca, stricte dicta, sola morbos chronicos et podagram non curant, sed victus ratio concurrere debet. 407.
— in podagra digestiva, quaenam. 400. etc. Qua cautione, ne fomes morbi irritetur, in eorum usu procedendum. 400. conf. 399. In paroxysmorum intervallis, et quam fieri potest longissime ab insecuturo, in usum revocanda. 407. Constanter et adsidue usurpanda, quia corporis habitus omnis alio traducendus est, atque homo integer quasi nova incude refingendus, ut coctionum robur et firmitudo partium pedetentim reducatur. 406 ad 407.
— externa in podagra an dentur. 423. Aliquando nocent, prosunt numquam. 423. Si refrigerantia et repellentia fuerint, periculosa. 423. Ubi experiunda, sub initio paroxysmi sunt tentanda, non sub declinatione ejus, ne fucus nobis fiat. 423.
Medicamentum externum in podagrae paroxysmo, quod solum bonum fuit, quale. 423.
— ex pluribus simplicibus mistis constans, quandonam potentius operetur. 400.
Medici in morbis depellendis non satis lente festinant. 197 ad 198.
— calumniantes quinam. 222.
Medici fama in variolis tractandis, ubi de caloris gradu expulsionis tempore adplicando agitur, in angusto versatur, ob vulgi non modo, sed et ipsius artis professorum, calumniam. 122. Quid de hujusmodi medicis auctor. 122.

Medicina jam multis seculis ante Aesculapium Aegyptium, qui mille annis Graecum antecessit, quare necessario excoli debuerit; licet ejus natales, uti et aliarum artium, indigitari nequeant. 5. Quam antiqua, haud minus ac Nili fons investigatur; cum ab initio exstiterit, jam diligentius, jam frigidius exculta. 5. Varie exculta etiam fuit, pro vario tempore et varia regione; et dein pluribus mediis ampliata. 5.

— quomodo ulterius promoveri queat, auctor tract. de morbis acut. post longas meditationes, ac fidam plurimorum annor. observationem, in medium proferre decrevit. 5. Incrementum duobus mediis, nempe historia morborum graphica et naturali, tum methodo curandi seu praxi stabili ac consummata, capere potest. 6. confer 11. His vero tertium accedit, specificorum remediorum scilicet inventio. 14. Primum traditur 6 ad 10. Alterum traditur 10 ad 14.

— chemiae utilia medicamenta nonnulla debet; sed errant, qui medicinam nulla re magis, quam chemicorum inventis, promoveri posse volunt. 438. Non deficit in eo, quod indigeamus mediis, indicationibus satisfacere aptis; sed quod indicationes, quibus satisfaciendum est, ignoremus: hocque non nisi ab exercitato, pari certitudine noscitur. 438 ad 439. Quomodo vero haec cognitio adquirenda. 439.

— cur uti reliquae artes incrementa sumere potest, sine priscorum hominum injuria, quidquid dicant illi, qui praetextu reverentiae pro antiquioribus, ab iis discedere nolunt. 449. Duplici hominum genere in progressu suo impeditur; primum est eorum, qui nullum symbolum ad artem suam conferentes, aliis, qui vel minimum conferre videntur, succensent, ac si ab antiquioribus, specie reverentiae, discedere non auderent; alterum est eorum, qui speculationes, ad morborum curationem nihil facientes, moleste ingerunt, et sic ignibus fatuis medicos in errores ducunt potius quam ipsis viam praemonstrant. 449 ad 450.

— ad experientiae leges et normam nisi exerceatur, exsulanda potius. 274. Cum laude non exercetur, si ad subtiliores in praxi minutias non attenditur. 339. Non rectius quam ab ipsius usu addiscitur. 2.

— accessionem practicam quantulamcumque longe pluris facere debet, quam inanem subtilium speculationum pompam. 105.

— ubi methodum quamdam certam vel levissimi morbi de-

bellandi prodidit, majoris felicitatis est, quam Tantali vel Croesi thesauros adcumulasse. 255.
Medicina practica in indicationibus genuinis expiscandis, non ita in remediis excogitandis, praecipue stat. 17.
— in variolarum genere, ubi exanthemata pauca et discreta, nullius est momenti. 325.
Medicinae natales, aeque ac Nili fons, incognitae. 5.
— pompa et dignitas, non tam in formularum elegantia, quam morborum curatione cernitur. 448.
Medicus et chirurgus structurae humani corporis probe gnarus quare debeat esse. 436. 437. Tamen morbis inest τὶ θεῖον, quod ex corporis contemplatione indagari nequit. 437.
— curam omnem in expiscanda morborum historia, et adhibendis remediis, quae magistra experientia indicat, debet collocare, rejectis speculationum commentis. 262.
— et formularum praescriptor, toto coelo differunt. 331.
— peritissimus aeque probus, ubi aliquando nihil agit, ac alio tempore efficacissima adhibebit remedia, licet a vulgo ignaro negligentiae vel ignorantiae tum reus habeatur. 222. Bonus ac probus ubi fuerit, suo pulchre defungitur munere, tam in acutis, quam puerperarum morbis, cum, ubi de successu certior non fuerit, nihil potius tentat, si aeger de die in diem pejus modo non habet, quam quod aegrum in geminum discrimen, cum ex ipso morbo, tum ex suo experimento, conjiciat. 376 ad 377.
— ad hystericas adfect. a morbis essentialibus partium distinguendas, sagax et arte peritus sit oportet. 342.
— in variolis discretis nihil habet, quod agat, nisi sibi et aliis imponat: si vero jactet, tum in variolis confluent. tentet, quantum in arte valeat, praesertim in juvenibus et vino potatis. 335. In variolis incipientibus, in eo tantum aegro suppetias ferre potest, ut pustularum numerum coërceat, ne confluant. 311.
— in variolis, ubi sanguis educendus, vel aura frigidior adplicanda, ad conscientiam suam potius, quam ad incertam famam, se componat. 131 ad 132.
Meditationes nimiae podagricis nocent. 393.
Melancholia podagrae prae caeteris comes semper adhaeret: et profundas cogitationes producendo, hic laedit. 414 ad 415.
Melancholici quo animo sint constituti. 346 ad 347. 353. Ingenio caeteris praestant. 346 ad 347.
Membra in rheumatismo, motu omni, cessatis jam dolori-

— periculi plus vel minus inferunt, pro pustularum numero, quarum paucitas omnem salutis spem constituit; et e contra. 310. confer 311 ad 324. Hinc ubi copiosae prodeunt, unicum est, in quo suppetias aegro initio morbi adferre potest medicus. 311.

— pro diversa constitut. quemnam etiam diversum periculi terminum habeant. 203.

— in anomalas seu irregulares, et in regulares seu genuinas vel legitimas, ab auctore dispesci solent. 107. 135. Regulares et genuinae quare ita vocatae. 107.

— in confluentes, tum in discretas sive distinctas seu inter-

stinctas, iterum dividuntur tam anomalae, quam regulares. 108. 486. 525.

Variolae confluentes et discretae licet essentialiter non differant, et quaedam symptomata habeant communia (110 ad 111); tamen ab invicem immaniter discrepant, et tanto intervallo distant, ut per illustriora quaedam symptomata facile discriminentur, licet hoc vulgus non animadvertat. 108. confer 125. 127. 310. 311. 486.

— methodo nova a Sydenhamo tractantur, quod aegre ferri non posse existimat, cum non veterum, sed modernorum tantum curationibus adversetur. 208 ad 209. Solebant diro calidorum, tum regiminis, tum remediorum, usu tractari, immo et aliquando curari; contraria tamen hic ac plane opposita methodus, temperata ac refrigerans, feliciter cedit; quomodo itaque dijudicari debeat, quaenam optima sit. 484. confer 126.

— triplicis generis praesertim, ab auctore, hoc opere describuntur, juxta tres constitutiones diversas, per quas gradibus se ita illae promovebant, ut posterius genus prius semper exsuperaret, respectu putredinis et materiae incoctilitatis. 203. confer 310.

— constitutionis 1661. ad 1664., quare non describantur a Sydenhamo, sed de iis tantum pauca tradantur. 83. Diris symptomatis brevi jugulabant hae. 83.

Variolae regulares constitutionis 1667. ad 1669. illae sunt, ex quibus, tamquam in suo genere omnium perfectissimis, variolarum historia vera et methodus medendi sunt desumendae. 107.

— — seu legitimae, postquam durante constit. pestilent. fere delituerant, circa ver an. 1667. incepere, et auctae, sub autumno epidemiae factae sunt; sed superveniente brumali frigore parcius lacessebant: proximo vere iterum invaluere, earum impetu hyeme iterum coërcito: tertio demum vere surgente, increbrescebant, sed minori impetu; atque Augusto penitus intercidere, surgente dysenteria. 106. Benignae erant, plures infestantes, et paucos jugulantes. 106. Hasce comitabantur febris variolosa, toto tempore. 106 ad 107. 135 ad 143. et diarrhoea, ultima aestate. 107. 142 ad 143.

— — discretae in eruptione quomodo cognoscendae. 125. Quaedam phaenomena naturalia seu genuina habent; inter quae, statu seu tempore invasionis, notatu digna sunt in adultis ingens in sudores propensio. 108. Hocque variolas minime confluxuras praenuntiat. 111. 526.

In infantibus stupor et somnolentia. 108. Tum et aliquando epileptici motus; qui boni moris, atque eas in procinctu esse, et non confluxuras, indicant. 108. 322. et 322 ad 323. 526. In utraque aetate, uti et specie, a primo insultu febris praecipue dominatur ad eruptionem usque: inde dat inducias ad maturationem; quo elapso desinit. 114. 528. Dolor in scrobiculo cordis, admota manu. 108. 135. 136. 526. Notandum interim, quod in laxioribus temperamentis aliquando, sine insigni aegritudine praegressa, sensim atque gradatim, ad eruptionis periodum pervenere. 109. In eruptionis statu (qui tardior quam in confluent. 125) quarto die ab invasione, si primum etiam includas, raro citius, nonnumquam serius (111) contingente, erumpentes pustulae considerandae veniunt. 109. 123. 172. 526. Symptomata prioris status minuuntur. 109. 111. 128. 526. Sudores in adultis persistunt. 109. 111. 125. Faucium dolor cum pustulis surgit et augetur. 109. 526. In maturationis statu, exordientis octavo die (dies in hac specie fatalis,) pustulae, praesertim in facie (nam in reliquo corpore aliter habent) laeves et rubrae, asperae jam, per album in flavum, pro maturationis ratione, abeunt colorem, illis tum genuinum; et in eum, quo mitior fuerit morbus, magis vergentem. 109 ad 110. 112. 116. 174. 526. Tumque maturae hae tandem similem luteum liquorem evomunt. 110. 173. 526. Intervalla pustul. in facie, prius alba, interim, et quo mitiores variolae magis, rubent instar ros. Dam.; inflammata, tensa dolent, tument una cum palpebris, quae, si pustulae copiosae, citius quidem tument. 109 ad 110. 114 ad 115. 526. Dein et manus ac digiti intumescunt, quod aeque salutare ac pustularum eruptio, si hae numerosae. 114. 117. In exarescentiae vel decidentiae statu, suppuratione undecimo die ad summum evecta, pustulae maximae factae exarescere et decidere incipiunt, recedente faciei tumore. 110. 526. Die decimo quarto vel quinto funditus disparent in facie, in reliquo corpore nondum. 110. 526. Et in manibus disruptione, ac in facie et reliquo corpore desquamatione recedunt. 110. 526. Denique cicatrices oboriuntur, quae tamen in hac specie rarae, nisi confluant. 110.

Variolae regulares discretae phaenomena anomala, ipsis singularia a perversa tractatione, habent. 114 ad 115. Occurrunt die octavo, et bene expendendá sunt, quia moriuntur illo die, qui ex hoc morbo pereunt. 114 et 115. Mortis

hic praenuntia quaenam. 114 ad 115. Fiunt praeprimis ob cardiacorum usum et regimen calidum, quibus sudor, per se promptus satis, nimis exantlatus subito cessat, nullis mediis revocandus; unde tumor partium requisitus denegatur; hinc plura mala; et quae tumere, rubere deberent, pallent et flaccescunt, pustulis interim rubentibus atque elevatis, etiam post aegri mortem. 114. 115. 119. 123. 124. 126. 130 ad 131. 527. Non enim moritur aeger ob retrocessum pustularum, sed quod facies non turgescat. 131.

Variolae regulares discretae phaenomena anomala cum confluent. variol. communia, quolibet morbi statu occurrentia, habent. 116 ad 117. Et producuntur ex calore sanguinis proprio, vel ex caussa externa; et sunt phrenitis satis frequens, coma. 116. 527. Tum maculae purpureae, leti nuntia, pustulis interspersae. 116. 310. 527. Pustularum subsidentia et flacciditas, cum maculis nigris in harum summitate depressa. 116. 527. Mictus cruentus in adolescentibus quibusdam, et sputum sanguineum, quod tamen raro; hinc symptomata mortis certa praenuntia, initio morbi plerumque contingentia, pustulis nondum vel vix erumpentibus, et in tali specie occurrentia, quae in maxime confluentes adolesceret, nisi ante morirentur. 116 ad 117. 133. 527. Urinae suppressio, praesertim in juvenibus, et in discretarum declinatione. 117. 133. 527. Dein ex frigore sanguinis, ab aëre, vel venaesectione importuna, aut catharsi nimia, inducto; quae mala rariora, quam quae a nimio calore. 117. 134. Attamen pustularum retrocessus, una cum diarrhoea adultis periculosa, et partium detumescentia, aliquando ex eo consequitur. 117. 134. 205.

Variolae regulares confluentes quaedam phaenomena naturalia et specialia habent; quaedam cum discretis communia, et haecce praeprimis habent tempore invasionis. 110 ad 111. Sed ea vid. supra. Haecque atrociora ubi reperiuntur, quam in discretis, ut febris et alia, de confluentibus futuris tum constet. 111. 323. Sudor spontaneus tantus non adest, ut in discretis. 111. 527. Jam specialia ipsis non multa, tamen quae quo graviora, eo certius indicant eas confl. fore, nec sine magno periculo. 111. Ut diarrhoea eruptionem praecedens, et aliquando protracta post illam. 111. Unde oriatur. 124. Tum dolor acutissimus in lumbis, latere, artubus, ventriculo, vomitus enormis, anxietas, aegritudo, vertigo. 111. 323.

527. Tempore eruptionis, nunc erysipelatis, nunc morbillorum ritu prodeunt; quod fit utplurimum tertio die, aliquando citius, raro tardius, licet aliquando post contigerit. 111. 112. 335. 527. Et quo citius ante illam. eo magis confluunt. 111. 527. Si ad quartum vel quintum diem defertur, atrox symptoma est in caussa, hinc periculosae futurae. 111. 527. Hae variolae erumpentes vix a morbillis, nisi tempore eruptionis, distinguuntur. 111. 527. Post eruptionem symptomata priora non desistunt, et febris ad multos dies adhuc excruciat, et vix desinit ante maturationem. 111. 125. 527. conf. 114. et 528. Et si vehementior fuerit morbus, sub vesperam cum aliis symptomatis exasperatur. 114. Praesertim diebus intra undecimum et decimum septimum. 528. Pustulae non in molem auctae, ac discretarum. 112. Et depressiores multo sunt, quam in illis; unde medicorum error aliquando, et falsus de pustularum retrocessione rumor. 134. Pellicula quasi vesicula rubra, dein in album abiens, ex implicitis sibi invicem pustulis conflatur, nec multum elevatur. 112. 527. Haec post diem octavum exasperatur, et in fuscum, non flavum, abit. 112. 527. Sed quo propius ad subfuscum vergit, eo pejores variolae, et magis confluentes. 527 ad 528. Quo in flavum magis vergit, eo mitior morbus. 116. Pustulae manuum ac pedum majores quam faciei et reliqui corporis, et quo altius ab extremitatibus ad truncum itur, eo minores. 113. 528. Magnitudo porro morbi et periculi pro pustularum in facie numero tantum aestimari solet. 112. 310. 528. Tibiae quoque tument in hac specie. 203. Symptomata interim duo, non parvi momenti, et in hoc genere adeo necessaria, quam pustulae, vel faciei ac manuum tumor, adsunt, quae in adultis salivatio, in infantibus diarrhoea. 113. 129 ad 130. Illa, si foetorem excipias, ptyalismo a Mercurio excitato similis est. 113. Cur adesse debeat, quando incipiat, desinat, vid. salivatio in variol. regul. confl. Ubi incipit desinere, undecimo die, quaenam adsint symptomata. 206. 528. Facies quoque detumescit, sed ejus loco manus intumescere solent, aut debent, ob pustularum exiguitatem. 113 ad 114. 115. 117. Diarrhoea vero licet certo satis, tamen non tam certo discruciat infantes, ac salivatio adultos. 113. 114. 129. Verum ubi adest, salutem his adfert, non periculum. 134. Nec adeo mature eos invadit, ac salivatio; et ubi ingruit, ni arte sistatur, singula morbi stadia percurrit. 114. Quare necessaria

haec sit excretio. 113. Tempore desquamationis, praeterlapso die octavo, pellicula in facie, fuscior, adhuc, desqamatur, et aliquando post visesimum diem separatur. 112. 527. Quo fuscior, eo lentius abscedit. 112. 527 ad 528. Humeri et dorsi cuticula aliquando etiam deperditur. 112. 528.

Variolae regulares confluentes phaenomena anomala specialia, ex perversa tractatione, adipiscuntur. 115 ad 116. 528. Occurrunt hic undecimo die, et bene expendenda, cum eo die qui ex hac specie intereunt, pereant. 114. 115. conf. 328 ad 329. In crudiori adhuc genere moriuntur decimo quarto die, in crudissimo decimo septimo; aliquando, sed raro, non ante vicesimum moriuntur. 528 ad 529. Horum caussa sanguinis nimius fervor, vel sudor nimis extortus. 115. 174. 311 ad 312. Primarium est salivationis subita suppressio, nec faciei tumore persistente, aut manuum istius vices supplente subsequente. 115. 128. 528. Hoc symptoma solum omnes fere jugulat, qui in hac specie moriuntur. 133.

— — — symptomata anomala communia cum discretis quaenam habeant, vid. variolae regular. distinct. etc. confer 311. 312. 325.

Variolae anomalae nigrae constitutionis 1670. ad 1672. per morbillos introductae, et una cum febre dysenterica, et dysenteria grassantes, sed his autumno primas cedentes, Januario mense jam ingressae, a variolis regularibus phaenomenis insignioribus discriminabantur, atque ad aliam classem reducendae omnino videbantur. 144. 145. 171. 174. 202. Et eaedem, quod notandum, ut epidemii solent, primo atrociores, ultimo anno, remota saevitia et nigredine, induta flavedine, benignae sunt factae respectu generis. 171 ad 172. 174. 202. Cur variolae constitution. dysentericae vocatae. 144. Phaenomena quae habent singularia, non quae communia, exponuntur. 172.

— — — discretae discriminabantur a regularibus distinct. eruptionis tempore. 172. Pustularum mole, asperitate, colore. 172. Ptyalismo, qui ut in confluent., at non semper, aderat: unde constabat ad confluent. naturam magis accedere, et inflammatorias magis esse. 172.

— — — confluentes discrepabant a regularibus confl. admodum. 172. Nam die secundo vel tertio erumpebant. 172. Febris inflammatoria major quam in aliis. 173. 174. 177. Pustulae in facie instar erysipelatis; reliquo corpore congeries ex pustulis conflata. 172. Quomodo a

morbillis et erysipelate distinguebantur. 173. Vesiculae inter pustulas, in femoribus, in nigredinem abeuntes aderant. 172. Has brevi mors insequebatur. 173. Pellicula alba resplendens, undecimo die, primo in facie; atque maturitate in nigrorem fuliginosum abibat. 173. Qualis ex ea stillabat singularis materies. 173. Aegri ad salivationem procliviores. 173. Discrimen (ni vesiculae inter pustulas, instantem mortem designantes, aut calidis mors praecipitata) die decimo quarto aderat; aliquando decim. septim. exspectabat; quo die elapso nullus moriebatur. 173. 203. Furfures diu adhaerebant; stigmata foediora in cute. 174. Notandum, dysenteriis tum regnantibus, has variolas, calido regimine excitatas, per dysenteriam saepe sibi viam parasse. 174.

Variolae anomalae, nigrae, pessimae, constitut. 1674. et 1675. istis an. 1670. adeo similes, ut eaedem renatae viderentur. 202. 204. Pluribus tamen, ut putredine (hic longe maxima, 205), tum incoctilitate, dissidebant. 203. Hinc species nova videntur ex praecedente suborta. 203. Pustulae immaturae erant fuscae; si vero maturae et numerosae, quia tum pusillae, nigredine fuliginem aequabant. 202. Si pauciores essent, non minores tum, quam in aliis generibus, et raro nigrae. 202. Salivatio, nec non faciei ac manuum tumor, hic quoque salutares. 208. Foetore, ubi maturae, omnes fugabant adstantes. 203. Periodum suam tardius absolvebant, et diutius haerebant, quam ulla species nota. 203. Dies fatalis ne quidem decimus septimus, sed post vicesimum adhuc trucidabant. 203. Confluentes plures orco dabant, quam ulla species, et pestem pernicie aegrorum fere aequabant. 204. Nec tamen nisi maturae necabant. 202. Si discretae aliquando forent, non pejores erant aliis. 204. Et satis benignae. 208. Tumores quidam, si aegri evaderent, quod raro, enati in apostemata ibant. 203.

— — confluentes pessimae an. 1681., epidemiae fiunt Londini. 309. Hyeme incipiunt, an. 1680., pergunt usque in annum sequentem, ubi aestate increscentes, tandem *ἐπιδημικάταται* factae, stragem ingentem edunt. 309. Siccitate inaudita istius anni acuuntur vehementer. 309. Eruptionis tempore, exanthematibus nondum plane expulsis, maculae purpureae exoriuntur, praematuram mortem accersentes. 310. Horum confluxus iterum incitabatur aëris intemperie, eadem ratione, qua scioli ac medicastri regimine calido et cardiacis suis illud ipsum facere solent.

310. Post eruptionem corpus, ac inprimis caput, copia pustularum calefiebat adeo, ut aeger, nisi infans, vigiliis et inquietudine vexaretur. 325. Quo sedatior erat sanguis, eo majores et minus confluentes pustulae; et contra: hinc quo tumultuatior eo tardius ad separationem pertingebant, tumque et ichor, loco puris, fiebat: et nigricans humor quidam, loco flavi coloris pustulis continebatur. 325.

Variolae curandae ubi veniunt, indicationes seu methodus medendi cuidam fundamento superstruendae. 118. Sed indicationes contrarias plane suggerit hic morbus, nam calidum, aeque ac frigidum, nimis justo, regimen obest. 205. Et quod praecipue hic agendum requiritur, praesertim in speciebus vehementioribus, erit α. ut sanguinis ebullitio compescatur: β. tum ut pustularum elevatio, atque faciei et manuum tumor, procuretur. 205. Notandum enim est morbum hunc duo habere tempora: primum separationis est; alterum expulsionis. 118. Indicatio tempore separationis (in quo natura ebullitione febrili, per tres vel quatuor dies, partes inflammatas seligit, congregat et relegat, quod citius etiam persolvitur, quam sequens, 118) curat, ne ebullitio illa exorbitet, neque nimis langueat. 118. Quo enim separatio tardior, modo non langueat, eo melius illa absolvitur. 119. 123. Natura enim sibi permissa, in junioribus praesertim, per se dives et satis edocta, materiam debito ordine ac via secernit et expellit. 119. Sic variolae primo non erumpentes minus timendae, quam quae praemature retrocederent. 120. Cavendum itaque sollicite, tum a regimine justo nimis calido, sive fuerit ex stragulis lecti; ex aëre loci calefacto; ex calidis nimis et cardiacis mediis; praesertim vigente aetate, in plethoricis, vel aestatem inter et ver. 119. Ex his variolae nimis protrusae, et separatione tumultuario procedente, confluunt. 119. Vel sudores fiunt ingentes opus turbantes. 119. Vel alia plura mala, opposita methodo numquam observata. 119. conf. 111. 120. Cavendum itidem a regimine refrigerante nimis, ut per evacuantia instituta, ne ebullitio nimis langueat. 120. Inde enim pustulae quasi repercussae detumescunt. 205. Et quare. 120. Si vero confluentium metus adsit minimus, non modo venaesectio, sed et emeticum propinandum. 120. 529. Praemissis his evacuationibus, aliquando tum melius erumpunt. 120. Indicatio tempore expulsionis curat, ut abscessus excitati suos modos bene percur-

rant, unde curationis summa pendere soleat. 118. 121. Ergo praestandum, ut pustulae debito modo sustineantur, quo rite atque ordine destinatam periodum adsequantur. 118. 121. Hoc tempore plus adhuc alio, cavendum a regimine calefaciente. 121. Quomodo vero haec noceant. 121. 123. Quae mala producant. 111. 119. 120. 121. 205. Porro vid. calefacientia, vel regimen calidum. Quandonam vero cardiaca convenire possint. 122. Exquisite tamen vitandum, ne aegrum frigoris injuriis exponendo eruptionem impediamus. 121. Hinc caloris gradus optimus, naturalis est; qui ab hoc deficit, huncve excedit, periculosus est. 121. At hunc definire gradum ardua res, et quae prudentem ac sagacem medicum expostulat, propter plura, quae pensanda, et nutricum, inde saepe errantium, judicium superant. 122. Quare in hoc casu tum morbus tum praxis medica in incerto ac lubrico loco sistuntur; atque medici fama in angusto versatur; et quare. 122.

Variolarum curatio generalis ante eruptionem. 122 ad 125. Aura liberior interdicitur. 128. Diaeta ex eupeptis et temperatis, demto potus frigore, commendatur; nec improbatur rustica ex lacte cum pomis cocto. 123. Calefacientibus et cardiacis ne acceleretur eruptio, ut ante diem quartum saepe satagunt. 123. Saepe hoc illi potius quasi obex; vel, quod malum, confluentes factae sunt, quae per se discretae fuissent. 123. Quo tardius prorumpunt, eo melius. 123. Nemo enim interiit, quod ocyus prodierint variolae, nisi calefacientia impediverint; hinc ubi earum suspicio, non illico propellendae 123. Lecto addicere ante diem quartum, aeque malum, ac cardiaca intempestiva 124. Cardiaca sed paregorica, si eruptio ex voto procedat, quare exhibenda, et quando. 124. Venaesectio quandonam instituenda. 125.

— regularium discretarum curatio specialis, post eruptionem. 125 ad 127. Discretas fore unde constet. 125. Omni prorsus periculo vacant. 126. Regimen calidum absit. 126. Diaeta vero tenuis et temperans. 123. 125. E lecto quotidie quando, et quare, surgendum. 125. Si ei incumbendum, stragula ut in sanitate sint. 125. Quomodo vitandi sudores nocui in eo. 126. Focus an exstruendus. 125 ad 126. Cardiaca suppurationis tempore, quaenam, quando et quare. 126. Diaeta cur tum cardiaca paulo. 126. Paregorica quaenam suadeant. 126. Venaesectio in hac specie per se nocens, quandonam con-

cedenda. 126 ad 127. In hac specie, opposita methodo tractati tot periere, ut pudeat in tam levi morbo. 126. Ratio, cur ex plebe in hoc morbo pauciores pereant quam inter divites. 127.

Variolarum regularium confluentium curatio specialis ante eruptionem innititur eo, ut pustularum nimia frequentia praevertatur, cum ab hac multitudine vel paucitate dependeat discrimen aut salus. 310. 311. Post eruptionem. 127 ad 130. 310 ad 324. etc. Hae periculosae admodum. 127. Paregorica undecimo die temporius h. e. hora quinta exhibita, inopinato, mortem saepe antevertunt. 328 ad 329. Vulgus harum et discretarum male curationem aequo praedicat. 127. Hae medici artem vere occupant, non vero discretae, nisi medicus sibi et aliis imponat. 335. Hinc vera medela duobus his inniitur; ut initio morbi praecaveatur, ne materies, nimis fota seu nimis adsimilata, exorbitet, et pustularum ingentem frequentiam procreet. 331. conf. 311. 312. 316 ad 317. 324. 333. 334. Tum ut spirituum inordinatus motus, ab inflammatione externarum et puris acrimonia excitatus compescatur. 331. conf. 310. 311. 313. 316. 325 ad 330. 332. Duas has indicationes qui persolvit, jam ut medicus satisfacit, quamvis nondum ut formularum praescriptor. 331. Hinc curationis exitus pendet a modo, quo aeger fuerit tractatus. 324.

— — discretarum, et confluentium, symptomatum curatio, ex methodo diversa ab illa auctoris enatorum. 130 ad 135. Symptomata ex regimine refrigerante et frigore externo, quomodo tractanda. 134. conf. 117. Pustularum depressio in confluentibus non timenda, cum nihil habeat, praeter morbi morem. 134.

— — post pustularum recessum curatio. 134 ad 135.

— anomalarum nigrarum constit. an. 1670. ad 1672. curatio. 174 ad 177. Regimen temperatum, per liquida aestum mitigantia, praesertim maturationis febre vigente, tum hypnotica opus persolvunt. 174 ad 175. 176. Hi liquores quid faciant, et qui ptyalismum adjuvent. 175. Di saepe etiam variolas confluentes futuras, in boni moris discretas transmutarunt. 175. Mensium fluxus insolito tempore, hic frequens, qui tractandus. 175.

— — — pessimarum constit. 1674. ad 1675. curatio. 204 ad 208. Methodum, in aliis var. confl. optime cedentem, hic non profuisse, queritur auctor; et plures interibant. 205. Unde concludebat praeter temperantia etiam, quae

putrefactioni vincendae paria, requiri. 205. Hincque Vitrioli spiritus, tamquam specificum quid, reperitur. 205. 206. Qua ratione exhiberetur. 206. Ejus porro doses. 206. Ex eo saliva undecimo die non ita suffocabat, sed aliae dejectiones, ut diarrhoea, vices subibant, quae tum vel sponte, vel hydrogala, vel narcoticis sanabatur. 206.

Variolarum anomalarum confluentium pessimarum curatio. 319 ad 340. In iis Vitrioli sp. 324. 337. conf. 205. 206.

Variolarum eruptio cardiacis impediri potest. 123.

— eruptio festinata cur noceat. 123.

— — tardior signum discretarum. 125. conf. 123.

— — — nunquam necavit. 120. confer 123. 125.

In variolis pauci moriuntur, quia tardius erumpunt, ubi contra plures leto dantur, quoties pustulae intempestive et nimio opere exiguntur. 316 ad 317. conf. 123. 125.

— — scrobiculus cordis dolet. 108.

— — confluentibus medici solertia quid valere potest, praesertim in juvenibus, vel vino deditis, patet. 335. Et in hac specie pendet curationis exitus a modo, quo aeger primis diebus fuerit tractatus. 324. Verum exquisite notandum, quod, cum periculum a pustularum frequentia modo pendeat, hae omni ope sint coërcendae. 310. 311 ad 324.

— — discretis vix refert, qua methodo utatur, qui medebitur. 325. 335. Nam medica ope non indigemus, et sponte sua ac naturae vi se solvunt. 335. 486. Sed perversa cura tamen letales fieri possunt. 486 ad 487.

— — a lecto abstinentia quantum prosit, pluribus indicatur. 124. 315 ad 323. conf. 309 ad 310.

Vegetabilia ad podagram digestiva, praecipue sunt excalefacientia, quae vel amaricant, vel linguam leviter feriunt. Quae tamen miti calore atque amaritudine agunt, usu praeferenda iis, quae acria et pungentia, ne morbi fomitis, aculeis his suppeditatis, augeatur calor. 400. conf. 399. Species aliquot eorum permistae plus faciunt, quam unicum simplex ex iis: ac si ex hac miscela quasi aliquid tertium produceretur, quod in ita conjunctis majorum est virium in pari quantitate, quam in eorum quolibet. 400. 401.

Vegetabilia fermentatione in vinum et acetum vertuntur. 35.

Venae membri vexati, in podagra vigente dolore, tument. 386.

Venaesectio, in infantibus, aeque tuta et necessaria aliquando, ac in adultis. 169. 170. Aliquando non. 36.

Venaesectio lecto decumbente aegro, facilius multo fertur, quam erecto corpore. 236.
— in angina, eodem die iteranda, sine catharsi, ni febris et dolor venaesectione minuantur. 248. In apoplexia, qualis esse debet. 533. In chorea sancti Viti. 468. 532. Quoties, et quando repetenda. 468. 469. 470. 532. In colica biliosa largior; et aliquando post emeticum. 178. 179. 539. In colica hysterica quando. 185 ad 186. In convulsionibus infantium dentientium specificum est. 170. Corticis peruviani usum ne praecedat in quartanis. 73. In diarrhoea non exigitur. 156. Sed in diarrh. post morbillos. 525. In diarrhoea variolosa. 142. In dysenteriae initio. 154. 158. In inveterata iteretur. 160. In febribus semper catharsi praemittenda. 478. In quibusdam febribus prodest, in aliis nocet. 36. In febre acuta cum mictu cruento et petechiis. 336. 337. In febribus contin. aliquando non prodest. 42 ad 43. Quomodo dirigenda in his. 36 ad 37. Si ex intermitt. aut. natae, nocet. 42. Aliquando non necessaria. 36. 37. Ejus mensura. 37. Quando vero, et in quibus iteranda. 41 ad 42. Emeticum, ubi utroque indigemus, praecedere debet. 39. In febre dysenterica. 164. In ea const. an. 1661. etc. pueris et senibus non conducebat; sed in juvenibus, athleticis, plura mala ejus neglectu, ut pleuritis etc. inferuntur: qua copia. 37. In febre epidem. nova tantum, ubi signa peripneumoniae nothae adessent. 463. Fit tum ad revellendam materiem; et iteratur. 452. 453. In infantibus qualis instituenda. 476. In febre erysipelatosa, et quando iteranda. 245. 246. Intermitt. autumn. nocet, et morbum protrahit. 71. 260 ad 261. Vernales itidem prolongat. 64. 66. Infantibus has febres pejores reddit; seniores in mortis periculum conjicit. 36. In febre morbillosa non ferebatur. 202. In febre pestilent. necabat, si tumores jam adparebant, nisi certa sub conditione. 104. Caeterum largissima juvabat, uti in pleuritide; parcior nocebat. 99. 100. 101. Methodum tamen mutat auctor. 101. 102. In febre quartana junioribus et senioribus nocet. 71. In febre scarlatina cur rejiciatur. 227. In febre tertiana quid efficiat. 32. In febre ex tussi male curata. 276. In febre variolosa quando mox necessaria, et iteranda. 139. Quando vitanda. 142. In gonorrhoea virul. ad temperandum; et in iis, qui difficile purgantur. 294. Tum ubi scroti tumor et dolor ingens. 296. In haemorrhagia narium, in brachio. 250. In hysterica ad-

fect. quare et quando in initio. 355. 356. 360. In leviori specie omittenda. 362. Quandonam et in quibus ante catharsin et Laudani usum, quod tum certius agit. 369 ad 370. Hanc adfectionem saepe invitat; ubi contrarium foret, si ejus fomes in materia aliqua involveretur. 354. conf. 350. In hystericae adfectionis paroxysmo, ubi dolores ex humorum copia, in sanguineis et masculo habitu praeditis, et paroxysmis frequentioribus nondum debilitatis, instituenda, superadjungendo catharsin, antequam Laudanum exhibeatur: ubi tum minori dosi efficit, quod majori prius negabat; neque tam facile recidiva fiet. 369 ad 370. conf. 370.

Venaesectio in juvenibus, athletico habitu, et sanguineo temperamento praeditis, febre continua laborantibus, illico instituenda. 37. Neglecta hic quaenam inferat mala. 37.

— in lue venerea, ante salivationem, non instituenda. 296.

— — maniae aliquando caussa. 80. Et in eadem nimis repetita, stultitiam infert. 82. In mensium immodico fluxu, extra puerperium. 378. In mictu cruento a calculo. 495. ex febre acuta. 336. 337. ex variolis confl. 492. In morbillis et ipsis infantibus, etiam tenellis, quam necessaria, ad superanda mala per calefacientia inducta; et aliquando iteranda. 168. 169. Post morbillos si diarrhoea. 525. In morbis chronicis, aliis saepe praemittenda. 405. In morbo epidem. quolibet, sed recenti, ante catharsin instituenda; contra methodum vulgatam; cum tamen auctori experientia multiplici edocto omnino necessaria videtur; cum aliter morbi hi, si nondum febres sunt, per catharsin in eas facile transeant. 273. In nephritide ex calculo quandonam, et quando omittenda. 500. et quare. 372. Si morbus ex hysterica adfectione, omittenda. 372. 184. 185. In nervosis adfectibus repetita saepe bona. 468. In peripneumonia notha, quandonam iteranda; quando non. 236. In peste et febr. pestil. ante bubonum eruptionem, et in lecto, quod diaphoresin tutiorem reddit, instituenda. 101 ad 102. Larga et plus semel iterata nulli funesta fuit, in peste Londin. 94. Parva, vel quae fit tumore jam conspicuo, in peste, semper nocua; et quare. 94 ad 95. Tamen plerumque perverse hoc ritu administratur, quod plurimos sententiae contrariae patronos ab ea deterruit, in hoc morbo. 95. Hinc licet in peste damnosa plerisque habeatur, 94, hanc tamen Sydenham proponit, et simul histor. chirurg. 94. Et alii auctores qui proposuere enumerantur. 95. At totum curationis nego-

tium in ea copiosa venaesectione cum L. Botallo collocat Sydenham. 95. 96. Atque ea in castro Dunstar milites servantur. 96. Parca vero, et adparente tumore instituta, ut institui solet, necat, quod plures deterruit. 94. 95. In phrenitide quando. 50. In pleuritide essentiali, qualibet constit. indifferenter infestante, curationis praecipuum, fere sufficiens, et omnem numerum absolvens, si calida non ingerantur, et pro necessitate iteretur. 213. 214. 231. 234. 237. Nec larga quid damni infert. 234. Qua copia instituenda; est multo tutior via quam expectoratio. 234. Non vero si febris epidemiae alicujus symptoma fuerit; ibi ratione ad febrem habita, reiteranda tantum venit. 214. Et quoties iteranda in adultis, et in infantibus. 233. 519. Quomodo ad vires morbi, aegri, et aetatem attendendum. 232. In pleuritide symptomatica saepe non ferri potest. 214. In pleuritide an. 1675. toties ac requiritur ferri non poterat. 214. In podagra quomodo ingenter noceat, cum ipsius caussae, quae indigestio spirituum est, opposita sit. 394. In intervallis, diu post paroxysmum si instituitur, hunc, sanguinem debilitando, de novo advocat, et diuturniorem ac vehementiorem reddit; si ineunte paroxysmo instituitur, idem fit; si brevi a paroxysmo, metus est, ne hydropi viam sternat. 394 ad 395. Ad materiam morbi ejiciendam neutiquam conducit, praesertim in aetate provectioribus. 394. In juvenibus vero vino excalefactis, initio paroxysmi institui potest. 395. Sed si in aliis paroxysmis iteretur, brevi morbus inveterascet. 395. Nec non ubi metastasis materiae ad pulmones. 422. 569. In pruritu ferino, quandonam. 247. 523. In rheumatismo in latere adfecto, illico instituenda, ante catharsin. 240. 521. Repetenda, praesertim in juvenibus. 240. 521. Tertio tamen celebrata sufficit, ut postea invenit auctor, et cathartica potius iterentur, ut sanguini parcatur, et paregoricis locum detur. 280 ad 281. Frequenter iterata vires frangit, et aegros aliis morbis obnoxios reddit. 278. Hinc auctor illius loco diaetam tenuem ex sero lactis et pane similagineo excogitavit. 279. Atque inde, ne copiosa foret, serum lactis copiose haustum ejus loco substituitur. 278. 279. In rheumatismo inveterato, majoribus intervallis interpositis, quam in suis primordiis, iteranda. 243. Et illo medio morbus hicce debellatur, vel eo deducitur, ut aliis facile curetur. 243. In scroti tumore et dolore vehementi, a lue. 296. 550. In sputo sanguin. in variolis confl. in tussi epid. an. 1679.

requisita, et repetenda. 272. In variolarum initio, non in omni, sed ubi symptomata graviora eas confluentes fore indicant. 120. 207. 208. 324. 529. Tum ubi phrenitis, quia facies non tumet. 131. Tamen in hoc morbo minus quam aëris contemperatio, vel catharsis iterata, morbi violentiam cohibet; nec ita, ac auctor prius censuerat, pustulas intra justos limites coërcet. 315 ad 316. In initio, ubi celebratur, fit praecipue, ut mictus sanguineus, maculae purpureae et alia vitentur. 125. 208. Male in quodam casu negligitur ab auctore. 207 ad 208. Cum evacuantibus, in initio, quomodo nocere possit; et an vitanda. 120. Si inopportuna fuerit, pustularum recessus, nec non faciei ac manuum detumescentiae caussa esse potest. 122. Si justa, in confluent. erumpere pustulas aliquando facit. 120. In var. discretis potius nocua, minime requiritur, et cur. 126. At tamen instituenda ibi, si perverso zelo calefacientibus curatum voluerint aegrum. 126. In regularibus, si morbus fuerit vehementior, pustulis jam deciduis, quare instituenda. 134 ad 135. In agone mortis quandonam. 131. 132. Post variolas confl. pessimas curatas, quare. 335.

— et purgantia, alternatim iterata, contusiones tutissime curant. 425. 559. In febre epid. nova, in adultis, tum in infantibus, quoties repetenda. 463 ad 464.

Venaesectionis non congruentis, in febribus, effecta, sanguinem debilitare, ut despumationi impar sit: quod damnum cardiacis resarciendum 36 ad 37.

Venenum medici supposuere in febrib. malignis, hocque per calefacientia et alexipharmaca, per cutim expellendum putarunt errantes; cum contra in illis tum refrigerantia omnino conducant. 481.

Venter induratus unum ex gravissimis symptomatis, intermitt. autumn. diuturn. insequentibus. 64. et 65. In infantibus febricitantibus, quid indicet. 79.

Ventris tormina, vid. tormina ventris.

— tumor, vid. abdominis tumor.

Ventriculi debilitas symptoma podagrae inveteratae sequela, quomodo tractanda. 421. In recenti spirituosis excitatur. 421.

Venus in podagricis cur noceat. 416 ad 417. Praematura, et nimia, cur podagram advocet. 384. 392. 568.

Vesicatoria in apoplexia nuchae adplicanda. 533. In comatosis adfect. variolas praecedentibus. 323. In comate febrili,

calefacientibus excitato, nocent. 467. In febre, ex tussi male tractata, nuchae adplicanda. 276. In febre epid. nova. 463. In hydrope gangraenam facile invitant; et quare. 448. In phrenitide a calefacientibus, nocent. 467. In tussi epid. quare nuchae adplicanda. 272. In variolis confl. perampla et acria quandonam adplicanda, ut die undecimo suum effectum edant, materiae peccanti exitum praebendo, tumori et salivationi subveniendo. 331.

Vesiculae, in variol. confl. an. 1670., inter pustulas sero limpido distentae, cum subjecta carne nigra. 172.

Vestimenta consueta non sunt deponenda, nisi mense uno ante solstitium aestivum: nam horum praematura abjectio, tum refrigeratio post incalescentiam ab exercitio plerumque febrium caussae externae sunt. 224. 225. Quae tum pro constitutione anni, vel humorum dyscrasia, varia specie exoriuntur. 224. conf. 225. Et ex his duabus caussis plures quam fame, gladio, peste, simul sumtis, pereunt. 224.

Vetulae sudoriferis suis quam saepe noceant. 480.

Vertigo, in variolarum initio, has confluentes praenuntiat. 323.

Verpus, vid. recutitus.

Verulamius de historia naturali qualis tradi solebat, quid censeat. 6.

Vibices seu maculae in cute nigrae quomodo excitentur. 97.

Victus ratio, vid. diaeta. Incrassans in mensium fluxu puerperarum immodico. 377.

Vigiliae post catharsin, et venaesectionem, omnium maxime vires subruunt. 413. Et vespertinae plus nocent, quam diluculo surgere. 413 ad 414. Post febres aqua Ros. frigida consopiuntur. 52. In variolis discret. paregorica exhibent. 126.

Vini spiritus, vid. spiritus vini.

Vino adsueti, in senio, aquam aut aquosa sumentes brevi internecantur. 410. conf. 413.

Vinum et acetum fermentatione vegetabilium producuntur. 35.

— immodicum corpus laxat et emollit, ac coctiones subvertit; unde bibaces plurimis morbis obnoxii. 410. Modicum autem et cibi eupepti, ubi cortex peruv. nihil amplius efficit, rem saepe absolvunt. 267 ad 268.

— antidotalis instar pestem potius accersit, quam praecavet. 91.

— in cutis eruptionibus quibusnam concedendum. 247. In

febribus intermitt. licet in continuar. speciem vergant, cum cort. peruv. exhibitum, non nocet. 266. In gonorrhoea virul. vitandum. 293. In hydrope conducit tum modo, ubi meatus reclusi et porta aquis data. 445. In podagra haud concedendum, non obstante adagio: nam sanguinis hic inflammatoriam diathesin, et luxuriam sanguinis, hic saepe peccantem, adauget, unde saburra major adcumulatur, et fomes morbi excitatur. 409 ad 410. et 412 ad 413. In adsuetis tamen derepente ne interdicatur; praeferendum tum hispanicum. 413. In variolis confl. quando exhibendum. 332.

Vinum canariense et hispanicum in diabete. 269. In dysenteria ex tormin. ventr. 473. In hysterica adf. vel solum vel aromatisatum, omni nocte, hora somni, mira facit. 364. In infantibus purgantibus debilitatis, cum herbis roborantibus. 359. In podagra quandonam concedendum, sed cum exercitio. 413. 421. In variolis anom. semicoctum, quando conducat. 176. 207.

— malaganum vel falernum sive muscatum, in tussi post febr. contin. 48.

— medicatum in chorea sancti Viti roborans. 469. 532. In diabete. 269. In febr. tert. vern. pro pauperibus. 271. In fluxu muliebri. 269 ad 270. In hydrope. 443 ad 444. Pro divitibus. 445.

Vires subito prostratae, maculae purpureae, et petechiae, in morbis, malignitatis signa habentur; quorum ratio redditur ab auctore. 481. et 482.

Vir prudens quare quis evadere potest, philosophus autem nemo mortalium. 450.

Viri hydrope, aetate praesertim ingravescente, adficiuntur. 429. Sedentarii tentantur, ut feminae, hystericis adf. sic dictis. 341.

Virulenta materia in gonorrh. per glandis substantiam penetrans. 288.

Viscera debilia et putrefacta in hydrope evacuantia vetant. 443.

— in podagra irregulari, si ambulando ex pedibus materies dissipatur, periculose adficiuntur. 389. In inveterata adeo infarciuntur materia, ad extremitates non amplius explosa, ut mors insequatur. 391.

Vitri incensorii actio spirituum exorbitantium impetuositati in hysterica adf. comparatur. 350 ad 351.

Vitrioli spiritus, quia stypticus, non convenit in morbis, quorum curatio purgationi innititur. 465.

Vitrioli spiritus, cum cerevisia tenui vel decocto vulnerario in febre acuta cum mictu cruento et petechiis. 337.
— — in phrenitide febris epid. an. 1674., unicum remedium. 199. In variolarum initio ubi, ex symptomatibus, confluentes eas praevidemus. 324. 529. In quibusnam omitti possit. 324. In variolis anom. nigris, pessimis, ingentis usus. 205. 206.
Ulcera phagedaenica, in lue venerea, quaenam. 290.
Ulcus glandis, a Shanker, in gonorrhoea virul. in recutitis, vel qui numquam eo morbo laborarunt. 287. 288. Ubi phimosin excitat, quid agendum. 295.
— vesicae quomodo cognoscatur et curetur. 560 ad 561.
Underwood, Senator Londinensis, cortice peruv. occisus. 263.
Unguenta purgantia, in hydrope, hypercatharsin insanabilem excitare valent. 447 ad 448.
Unguentum in pleuritide essent., brassicae folio imponendo, quale. 232. Ad salivationem excitandam, ex Mercurio, quibus partibus adplicandum. 297.
Vomendi propensio emeticum indicat absolute; nec sine aegri periculo, medicique molestia, omittitur. 37 ad 38. 98.
Vomitio in peste diaphoretica rejiciens, sudoribus brevi sistitur, qui certa ratione excitandi. 102.
Vomitiones ex hysterica adf. medicis imponunt, aliorum morborum prae se ferentes speciem, ut nephritidem, vel colicam bilios. 371. 372.
— virides non semper talem humorum depravationem denotant, cum hic color a spirituum inverso motu excitari queat. 185. 268.
Vomitoria ex Croco metallorum, infra adolescentiam constitutis non propinanda. 41. Adultis vero non nocent, si copiose diluantur, ope Zythogalae. 38 ad 39. 41.
— in hydrope, ex Croco metall. aquas ἄνω καὶ κάτω potenter evacuant. 440. Non ita prompte aquas expellunt, ubi levis tantum abdominis tumor, quam ubi ingens harum copia adgesta. 442. In hysterica adf. paroxysmum saepe invitant; quod non foret, si morbi fomes in materia aliqua involveretur. 354. conf. 350. Sed praeterea materiae biliosae viridis uberiorem copiam excitant. 268. In podagra idem praestant ac cathartica. 395.
Vomitorium in apoplexia, quale. 533. In colica biliosa, ex Zythogala, quando conducat. 179.
— diarrhoeam in febribus, vix adstringentibus obedientem, fugat. 38. Eamdem in febribus contin. quoque arcet; ne-

que nisi raro aliter evenit. 55. Sed in febribus inflammatoriis eam potius excitat. 55. Hinc in febre pestilent. nondum cognita emeticum, plane contrario eventu, propinavit auctor. 98.

Vomitorium in febre contin. unde indicetur, et quandonam exigatur, ni aetas aut debilitas contraindicent. 37 ad 38. Quaenam harum symptomata, praeter diarrhoeam, mirifice eruat. 39. Hanc in iis febribus praecavet. 37 ad 38. An initio neglectum postea exhiberi queat. 40.

— — — — venaesectionem semper insequatur, ubi utroque indigemus. 37. Et cur praecedere debeat. 39. Quo tempore febris exhibendum. 39. Omni tempore febris, si occasio jubet, modo vires dentur, adsumendum et quare. 40. 55. Qua hora diei adsumendum. 38 ad 39.

— in febribus intermitt. vernal. quando adsumendum. 66.

— in tertiana vernal. an. 1671., quale. 270.

— in variolis initio morbi an conducat. 120. Ubi symptomata eas confluentes fore indicant, initio aegrum refocillat. 324. conf. 333. Hinc in iis, simul una cum venaesectione, ubi harum suspicio adest, praescribendum. 120. 529. Dein, ubi saliva spissa facta, undecimo die, quasi suffocat, propinandum. 133.

Vomitum et alvum moventia simul in hydrope proponuntur. 435. et 442.

Vomitus capitis motu, ubi dispositio adest, prae caeteris provocatur. 371.

— e corticis peruv. usu quomodo compescendus. 267. Ex febre epid. nova, aestate, quomodo tractandus. 471 ad 472. Ex hysterica adf. cum rejectione materiae viridis, sed sine dolore, quandonam. 344. Si enormes sunt, anodynorum usum, horumque dosin saepe repetitam, forma praeprimis solida, exigunt. 369. 370. 371. In peste, una cum alvi profluvio sudoribus curantur. 102. In variolarum initio, si enormes, confluentes eas fore praedicant. 323.

Urina designare potest operantem naturam, dum impuras a puris partes secernit, h. e. dum concoctionem materiae febrilis, in continuis praesertim, et in harum declinatione persolvit. 44.

— crassa vel et tenuis cruditatis indicium. 34.

— cruenta a calculo, ambulatione, vel vectione, excitatur: quomodo se habeat, ubi subsidet 494 ad 495. vid. mictus sanguineus. In diabete qualis. 269. 553. In febre cont.

an. 1661. etc. qualia cruditatis praebebat indicia; et quandonam prodibant, in ea, coctionis signa. 34. In febre hyemali, turbida et intense rubra fuit. 451. In febr. intermitt. plerumque rubro saturata, ut ictericorum, cum pulvere lateritio praecipitato. 268. In febre variolosa fallax. 136. In hydrope suppressa penitus, post emeticum, saepe iteratum. 440. In hydropicis parca, unde. 429 ad 430. In hystericis et hypochondriacis limpida semper et copiosa. 345. 347. 351. In nephritide nigra ac sabulosa, venaesectionem vetat. 500. In peripneumonia notha turbida est et rubens intense. 235. In podagrae irregularis intervallis, similis ac eorum, qui diabete laborant. 389. In regularis paroxysmo qualis. 387. In variolis malignis frequens et pauca, paulo ante mortem. 83. In discret. regular. frequens et pauca, paregorica indicat. 131. In regularibus incipientibus similis ac in febre variolosa. 136.

Urina tenuis vel et crassa, cruditatis indicium. 34.

Urinae ardor in gonorrh. virul. qualis. 289. 548. Ejus suppressio ex hysteric. adf. 344. Suppressio in variolis confl. in junioribus familiaris. 334. 117. et unde. 133.

Ustulatio in podagra per moxam, vid. moxa.

Uteri procidentia quomodo curanda. 379. 535.

— — hysteric. adf. saepe infert, post partum laboriosum. 379.

— strangulatus, vid. strangulatus uteri.

Uterum sexcentarum aerumnarum auctorem statuit Democritus. 347.

Y.

Yaws, in insulis Caribes morbus endemius, nostrae lui venereae simillimus; et, uti lues nostra, sanatur salivatione mercuriali, licet Guajacum et Sarsaparillam, integris ibi viribus, obtineant. 286.

Z.

Zythogala emetici actionem facilitat. 39.

— in cholera loco jusculi ad diluendum. 148. In colica biliosa, ante alia, si morbus a fructibus, ad diluendum.

178 ad 179. 539. In dysenteria. 155. In febre acuta cum mictu cruento et petechiis. 337. Cum Salvia incocta, in febribus intermitt. autumn. sudoriferum. 71. Cum rad. Alth. incocta, in nephritico paroxysmo. 535. 422 ad 423. 500. Cum Salvia alterata in pestilentialibus morbis, ad sudorem continuandum. 103. Cum rad. Alth. in podagra, ubi nephritis adest. 422 ad 423.

Bei Leopold Voss sind erschienen:

Meckel, J. F., Joanni Friderico Blumenbachio die XVI. septembris 1825. 4. (8 gr.)

— — Handbuch der pathologischen Anatomie. 2 Bände, oder 3 Abtheilungen. 1812—1818. (8 Thlr.)

— — Descriptio nonnullorum monstrorum. C. tab. 6 aeneis. 4. 1826. (3 Thlr.)

Burdach, K. F., Die Physiologie als Erfahrungswissenschaft, mit Beiträgen von *v. Baer* und *Rathke*. 1r Band. Mit 6 Kupfertaf. gr. 8. 1826. (3 Thlr. 12 gr.)

Biot, J. B., Lehrbuch der Experimentalphysik, oder Erfahrungs-Naturlehre. Dritte Auflage, bearbeitet von *G. T. Fechner*. Mit 20 Kupfertafeln und Biot's Portrait. 4 Bände. gr. 8. 1824—1825. (8 Thl.)

Thenard, L. J., Lehrbuch der theoret. und prakt. Chemie. Vierte Auflage, bearbeitet von *G. T. Fechner*. Mit 42 Kupfertafeln und Thenard's Portrait. 6 Bände. gr. 8. 1825, 1826. Erster uud zweiter Band. (6 Thl. 20 gr.) 3r Band. (3 Thl. 12 gr.)

Celsus, A. C., De re medica libri octo. Editio nova, curant. *Fouquier* et *Ratier*. 12. Parisiis. 1823. (1 Thl. 12 gr.)

Casper, J. L., Bescheidene Zweifel gegen die neue Hellseherin in Carlsruhe, mit einigen Gedanken über den thierischen Magnetismus überhaupt. 8. 1818. (12 gr.)

Choulant, L., Tafeln zur Geschichte der Medizin, nach der Ordnung ihrer Doctrinen. Von den ältesten Zeiten bis zum Schlusse des achtzehnten Jahrhunderts. gr. fol. 1822. (1 Thl. 20 gr.)

— — De locis pompejanis ad rem medicam facientibus. Cum tab. lithogr. gr. 4. 1823. (12 gr.)

— — Rede über den Einfluss der Medizin auf die Cultur des Menschengeschlechts. gr. 8. 1824. (4 gr.)

— — Prodromus novae editionis A. C. Celsi librorum VIII de medicina. Inest apparatus critici Celsiani tentamen bibliographicum. gr. 4. 1824. (1 Thl.)

— — Anleitung zur ärztlichen Rezeptirkunst, nebst einem systematischen Grundrisse der Arzneimittellehre. Als Leitfaden zu seinen Vorlesungen entworfen. gr. 8. 1825. (12 gr.)

Coster, J., Handbuch der chirurg. Operationen, worin die neuen Operations-Methoden von Lisfranc beschrieben sind. Aus dem Franz. mit Zusätzen von *J. C. W. Walther*. Mit einer Steintafel. 12. 1825. (1 Thl. 12 gr.)

Darstellung der neuen Entdeckungen über Electricität und Magnetismus, von Oerstedt, Arago, Ampère, Davy, Biot,

Erman, Schweigger, de la Rive u. m. a. durch *Ampère* und *Babinet*. Aus dem Franz. Mit 2 Kupfertafeln. gr. 8. 1822. (16 gr.)

Ducamp, T., Ueber Harnverhaltungen, welche durch Verengerung der Harnröhre veranlasst werden, und von den Mitteln, durch welche man die Obstructionen dieses Canals zerstören kann. Aus dem Franz. Mit 5 Kupfertafeln. gr. 8. 1823. (1 Thl. 12 gr.)

Hartmann, Ph. K., Glückseligkeitslehre für das physische Leben des Menschen, oder die Kunst, das Leben zu benutzen, und dabei Gesundheit, Schönheit, Körper- und Geistesstärke zu erhalten und zu vervollkommnen. gr. 8. 1808. (2 Thl.)

Körber, J. F. von, Auszug aus den im russ. Reiche erschienenen Manifesten, Ukasen u. s. w., welche das Medicinalwesen betreffen. gr. 8. 1816. (3 Thl. 12 gr.)

Kunze, G., De Dysphagia commentatio pathologica. Cum tab. II. gr. 8. 1820. (1 Thl.)

Lisfranc, J., Ueber Verengerungen der Harnröhre. Aus dem Franz. gr. 8. 1824. (18 gr.)

Magendie, F., Vorschriften zur Bereitung und Anwendung einiger neuen Arzneimittel. 5te Auflage mit Anmerkungen und Zusätzen von *G. Kunze*. gr. 8. 1826. (12 gr.)

Ollivier, G. P., Ueber das Rückenmark und seine Krankheiten. Mit Zusätzen von *J. Radius*. Mit 2 Steintafeln. gr. 8. 1824. (1 Thl. 20 gr.)

Patrix, E. G., Ueber den Gebärmutterkrebs und die Krankheiten der zu dem Uterus führenden Theile, Aus dem Franz. Mit 3 Kupfertafeln. gr. 8. 1821. (1 Thl.)

Platner, E., Quaestiones medicinae forensis et medicinae studium octo semestribus descriptum. Primo junctim edidit, indicem copiosum et vitam Platneri adjecit *L. Choulant*. Accedit effigies Platneri. gr. 8. 1824. (2 Thl. 16 gr.)

Rostan, L., Untersuchungen über die Erweichung des Gehirns, zugleich eine Unterscheidung der verschiedenen Krankheiten dieses Organs durch charakteristische Zeichen beabsichtigend, Nach der zweiten Auflage von G. *T. Fechner*. gr. 8. 1824. (2 Thl. 16 gr.)

Schilling, M. G., Quaestio de C. Celsi vita. Pars prior de Celsi aetate. gr. 8. 1824. (12 gr.)

Sachs, L. W., Versuch zu einem Schlussworte über S. Hahneman's homöopathisches System nebst einigen Conjecturen. gr. 8. 1826. (12 gr.)

Weller, C. H., Icones ophthalmologicae seu selecta circa morbos humani oculi. Fasc. primus. gr. 4. 1825. (5 Thl.)

43200
1-